


Columbia University
in the City of New York

THE LIBRARIES



Bryson Library,
Teachers College,
New York.

Ann. XIII. - XIV ROMAE, Mense Ianuario MCMX - XI Num. I.

VOX VRBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

CONDIDIT ARISTIDES LEONORI EQUES

POSSIDET ATQUE ADMINISTRAT SOCIETAS ROMANA EDITRIX

Pretium annuae subnotationis, est:

In Italia: Libellarum **6**

ubique extra Italiam: Lib. **9** (Doll. **1,80**; Sch. **7**; M. **7**; Rubl. **4**; Coron. **9**)

ante solvendum et recto tramite mittendum

ad SOCIETATEM EDITRICEM ROMANAM

ROMA - Via delle Coppelle, 35 - ROMA



SUBNOTATIO EXTRA ITALIAM FIERI POTEST:

IN RUSSIA

apud
Gebethner et Wolf
Varsaviae Polonorum
Rakewskie Przedmiescie, 15

apud
"Kronika Rodzinna"
Varsaviae Polonorum
Krakowskie Przedmiescie, 6.

IN ANGLIA

apud
Burns and Oates
London W.
28, Orchard Street.

IN CANADA

apud
Libraire Granger Frères
Montreal
1699, Rue Notre-Dame

"CORRIERE D'ITALIA"

879.5
V948
13-14

Diarium Romanum negotia pertractans quae ad res civiles, religionem, commercia spectant.

Catholicorum diariorum omnium in Italia maxime diffusum.

Notitias quotidie sibi proprias accipit tum ex Italia, pro cuius provinciis peculiares, quotidie pariter, vulgat editiones, tum e praecipuis civitatibus orbis universi.

Pretium annuae subnotationis est:
In Italia lib. 15; apud exteras gentes lib. 30.

Subnotatio cumulativa cum commentario VOX URBIS:
In Italia libel. 18; ubique extra Italiam lib. 34,50.

Subnotationes mittantur
ad SOCIETATEM ROMANAM EDITRICEM

ROMA — Via delle Coppelle 35, — ROMA

1,15

Ann. XIII. ROMAE, Mense Ianuario MCMX Num. I.

12-11-61 G2C

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Sociis et lectoribus commentarii VOX URBIS humanissimis

Opus nobis assumentes, quod abhinc annos tredecim vir egregius Romano semine ortus, Romano quidem ausu aggressus est, atque invicta constantia, magno sumptu, indefesso labore tot annos indesinenter est prosequutus, dum rei pondus sentimus, non alienum tamen a nobis invenimus. Qui enim societatem inivimus, ut Italicam regionem ephemeride ditaremus, quae ab Alpibus ad Africum mare civium animos uno animo, dissociatas vires uno agmine colligeret, quod Christiana iura eademque humanitatis ab invadentibus undique oppressoribus vindicaret; brevi autem tempore, imo praeter ipsas cogitationes nostras, eam imposito nomini *Corriere d'Italia* apprime iam respondisse vidimus, oblatam invitationem reiiceremus, collectis viribus, operam nostram per totum orbem sermone illo conferendi, quem, olim universum, per Catholicam Ecclesiam unum et hodie, quibusvis nisibus frustra contraria molientibus, nisi loquuntur, certe culti omnes populi intelligunt? Atqui latinum hunc sermonem ad exprimenda omnia aptum et conformatum *Vox Urbis* commentarii conditor et scriptores iam satis ostenderunt; restat, ut eius studium et usus, ablatis undique praeiudicatis opinionibus, latius latiusque diffundantur, magis magisque in dies augescant; ut denique formam illam eximiam, quam uti propositum prae oculis nunquam non tot clarissimi viri habuerunt, tandem aliquando assequamur: ut doctorum saltem virorum omnium gentium latinum eloquium commune fiat. *Hoc opus, hic labor!*

*

Quae itaque ad obtinenda, quum voluntatem et opes nostras conferimus, potius quam eos in nostram societatem adiungamus, nos in bene meritorum illorum societatem, qui tam diligenter in tanta tamque nobili re operam impenderunt, nos, inquam, accedimus. Nobiscum enim manebit Aristides Leonori, commentarii conditor; manebit primasque aget qui ipsis fere ab incunabulis rem est mo-

52399

deratus, dr. Iosephus ille Fornarius, quem e nobis nonnulli non sine iucundo ac suavi animi motu hodie salutamus, quippe qui etiamtum a pueris non excedentes, in ludis litterarum eius discipuli, universa ea latinitatis humanitate imbuti sumus, ad quam hodie tributum solvere gaudemus. Manebunt Franciscus Xaverius Reuss poeta exquisitus, et Ioannes Baptista Francesia, Subalpinorum scholae omnibus laudibus abundantis clarus et foecundus superstes, et Goritianus ille doctor, latinorum scriptorum Austriacae civitatis Nestor, cuius verecundia — in hoc sane iniqua — a nobis repetiit ne eximii viri nomen aperiremus; ceterique omnes, qui usque ad haec tempora in rem incubuerunt; quibus alii accedent, qui nobis promissione sese obligarunt, praesertim ut de philosophicis ac theologicis quaestionibus, tantum hodie agitatis, firmo ac tuto gressu sint in nostris paginis tractaturi.

Praesertim diximus; *Vocis Urbis* enim eadem semper summa erit scripta edendi, « quae populos omnes aliquo modo attingant, a publica re ad bonas artes, a litteris ad historias, a philosophicis ad sociales quaestiones, a nunciis et significationibus ad simplices et facili stylo expressas descriptiones, narratiunculas, dramaticas actiones; ab antiquitatis scientia ad dialogos vitae argumenta maxime communia tractantes, unde colloquia latine inire atque alere detur; a doctorum virorum scriptis nondum vulgatis aut parum cognitis ad primas adolescentum exercitationes, quae incitamentum veluti in palaestra eorum conatibus, laude quidem amplissima dignis, conferant; a Pontificiis denique documentis praecipuis ad iuris regulas in S. Congregationibus inductas; haec omnia ut quisque vel ex dissitis regionibus, vel cultu, doctrina, animi proclivitate, artibus, alter ab altero difformis per commentarium hunc explere desideria sua possit ».

Qui quidem commentarius inter Kalendas et Idus cuiusque mensis prodibit; dumque in animo est bis in mense eum iterum edere, supplebimus interim, si eventus maxime peculiaris momenti occurrerint, extraordinariis fasciculis, quum tamen *subnotationis pretium immutatum omnino permaneat; quod est in Italia libell. sex; ubique extra Italiam libell. novem* (*Doll.* 1,80; *Sch.* 7; *M.* 7; *Rubl.* 4; *Coron.* 9). Quod si quis Italicum etiam nostrae Societatis diarium *Corriere d'Italia* sibi cupiat, cuius pretium annuae subnotationis est in Italia libell. 15, extra Italiam lib. 30; aut eius subnotator iam exstiterit, *Vocem Urbis dimidiato pretio habere poterit.*



Quibus positis, vos, o socii et lectores humanissimi, ut fideles nobis persistatis non solum confidimus, at pro certo habemus incoeptum amplissimum in dies magis vestro opere foecundaturos. Ut enim *Vox Urbis* optatis plane respondeat, sitque apprime « radiationis centrum quod animos usque a remotissimis orbis partibus amice cum Romae almae matris animo coniungere valeat », necesse est vos quoque ad eam scripta vulganda mittatis tum locorum vestrorum notitias, tum animi vestri firmum testimonium afferentia. Tirones praecipue apud collegia et seminaria in litteras et bonas artes incumbentes invitamus, iisque et sociis omnibus *singularia praemia* constituimus, sub anni exitum assignanda, *trium numismatum argenteorum* ex iis, quae Pontifex Maximus quotannis in festo Apostolorum Principis cudi iubet, Sacro Purpuratorum Senatui, Romanae curiae, aulicisque pontificiis distribuenda. Quorum unum collegio, aut seminario, aut scholae illi

tribuetur, unde plurima soluta oratione scripta cuiuslibet argumenti publicatione digna ad nos per annum pervenerint; reliqua duo sociis illis, quorum scripta pariter per annum in commentario vulgata, a doctorum virorum collegio, quod in proximo numero enunciabimus, maxime fuerint commendata.

⁂

Haec pro *Vox Urbis* commentario in annum MCMX edicimus; haec ut perficiantur, in vestra praesertim manu est, o socii et lectores humanissimi.

SOCIETAS ROMANA EDITRIX.

PHILOSOPHICAE DISPUTATIONES

Modernistam inter et Thomistam de actus voluntarii dependentia erga actum rationis.

MODERNISTA. — Id mihi periucundum advenit, amice inter omnes charissime, quod te obviam hic habeam. Me etenim deprehendis lectioni voluminis recentius vulgati, tibi sane non ignoti neque etiam probandi, intentum, in quo id singularissimum comprobare nititur auctor, primatum omnem inter facultates humanas appetitui rationabili seu voluntati competere, ceteras autem omnes, imprimisque intellectum, ipsi eidem subesse, quin distinctionem solitam, quam vos Thomistae infertis, inferat, motionem inter, quae est per modum finis, qua intellectus voluntatem movet, et eam quae est per modum agentis, qua voluntas intellectum impellit ad actum.

Quam confusionem et indistinctionem philosophis passim antiquis, quorum tu te asseclam profiteris, comprobari non potuisse mihi satis patet. Nonnihil tamen negocii id mihi facessit quod pluribus hodiernis, iisdemque doctis, imo et vetustioribus nonnullis, non haereticis modo, sed et orthodoxis doctoribus aetatis mediae, arridere compertum sit praedictam « modernistarum », quos vocant, sententiam quorum nonnulli, acerrimi ingenii quidem, eamdem et suam faciunt, et tuentur et propalant.

THOMISTA. — Quare igitur, amice dilectissime, quum id certum teneas me huiusmodi doctrinis peregrinis assentiri nullatenus posse, eo quod tum ratione mea philosophica, eademque serio inquirenti, tum Summi Pontificis vetito prohibear, id gratum habes quod tibi occurram legenti et ebibenti modernistarum sententias?

M. — Id gratum habeo, quia tu sententiam communem tuam fecisti, egregieque calles, unde non minus egregie eamdem tu mihi, homini fidei bonae, enucleabis, ita ut alteram cum altera doctrina conferre penitius clariusque mihi in promptu sit, iudiciumque proprium efformare de hisce arduis sane argumentis: ego siquidem discipulus inquiro, nullus autem magister doceo.

T. — Quam libentissime igitur pro posse tuis intentis faciam satis. At vero quum quaestio illa de primatu rationis et intellectus supra voluntatem, actusque proinde rationis supra actum voluntatis, qualem profitentur et propugnant plerumque Aristotelis discipuli, imo et philosophi Christiani, complexa sit et ambitu multiplex, hinc apprime in partes suas distribuenda erit, teque demum rogo ut argumentum colloquii sponte proponas.

M. — Sit ergo pro ratione tua voluntas. Quum igitur id in volumine isto, non sine vehementi admiratione legerem, nempe vetus veterum et vulgatissimum axioma « Nihil volitum, nisi praecognitum », et quod idem est, « Ignoti nulla cupido » non ubique et semper retinendum esse ut verum: quin potius voluntatem plerumque velle id quod minime ratio praecognoverit et eidem praemonstraverit, proindeque omnia primum e voluntate pendere, hinc a te rescire velim quid assertis istiusmodi respondere tibi videatur et occurrat.

T. — Id utique fatendum est, axioma praedictum apud antiquos paucissimos non minus quam apud hodiernos quosdam negatum vel in dubium revocatum ex parte saltem fuisse.

M. — Ita prorsus ! Neque immerito ! Siquidem prophetae, quibus et nos credimus, videntur voluisse et optasse, imo et odio damnasse, vel ex desiderio praenuntiasse, quae tamen nullimode nota prius habuerunt.

Haud secus amor Dei extaticus, seraphicus, seu perfectissimus, in Deum tendere absque ulla praevia cognitione, et quidem per tenebras densissimas, videtur. Quod ceterum confitentur, et explicatius profitentur nonnulli aetatis mediae theologi, imo et doctores.

Neque haereticorum, quales Montanistae et Quietistae fuerunt, auctoritates referam, etsi non ea omnia quae tenent haeretici, extemplo ut falsa reprobanda sint.

T. — Axioma tamen omnino retinendum est, et quidem ut verissimum.

Et primo sane, ut rationes a te significatas statim amoveam, falsum oppido reputatur prophetas ea intendisse et prophetasse, quae nullimode cognoscerent, nisi velis omnes assimilandos esse asinae Balaam, quae tamen actum humanum, de quo agimus, nullatenus elicuit. Etsi enim concedatur, res a prophetis praenuntiatas in sua extensione forsan, ubi imprimis ageretur de mysteriis futuris, incomplete perspectas fuisse, nullatenus tamen concedendum est incognitas remansisse, siquidem ex ipsorum eloquiis patet ipsos id intellexisse in suis sermonibus quod et nos intelligimus, Deo imprimis ipsorum intellectum fusius illuminante et scribenda dictante.

Neque illi mystici doctores aetatis mediae, si qui reapse inter catholicos exstiterint, secus sentiebant, quum assererent amorem perfectissimum per tenebras et mysticas ignorantias procedere, siquidem mystica illa ignorantia, quam invexit, descripsit ac vulgavit Pseudo Dionysius, nihil aliud est quam Dei cognitio per negationem dicta, qua in Deo negantur omnes creaturarum imperfectiones et limitationes, quaeque nedum ignorantiam supponat ac significet, altiorem e contra Dei cognitionem subaudit, Deum videlicet tantum esse cui nullae insint, neque inesse possint imperfectiones et perfectionum limitationes, talesque inesse perfectiones quae creaturis vel nullimode, vel non nisi imperfectissimo modo competant.

De Montanistarum, Quietistarum et similium auctoritate nihil occurrit reponendum, siquidem auctoritas illa nulla prorsus est, neque validiores sunt eorum allatae rationes.

M. — Quid tamen sentiendum de amore extatico, quo, ut aiunt, homo « extra se » ponitur, nempe extra propriam rationem, proprium intellectus actum, unde nullae videntur subesse cognitionis partes?

T. — Falsa consequentia, amice charissime! Homo extaticus « extra se » poni dicitur, non quod extra cognitionem quamlibet seponatur, sed quod extra modum connaturalem cognitionis intellectualis seu rationalis, aut etiam sensitivae.

Si vero asseratur usum rationis in proposito non esse liberum, hinc sequetur forsan amorem exinde ortum non esse liberum, non tamen coecum.

Imo quo melius colliguntur potentiae subordinatae ad eumdem actum potentiae nobilioris, eo perfectius ista in actu proprio iuvabitur, saltem indirecte perfectiorque proinde asserenda erit cognitio eamque subsequutus amor.

M. — Quae omnia penitus intelligo, neque parum exinde nutare videntur adversariorum argumenta. Id tamen subobscurum mihi remanet, quare voluntas hominis in se et natura propria in bonum nata et acta, in bonum ex se ferri nequeat, imprimisque in summum bonum, scilicet Deum, absque alieno rationis concursu, imo primatu.

T. — Voluntas sane in se bona est et in bonum acta. Nullus inter nos id inficiabitur. Neque tamen inde colligendum est ipsam in bonum proprium immediate, id est absque rationis mediante illuminatione, seu in bonum incognitum, ferri: fertur omnino in bonum, sed in bonum connaturale, ratione scilicet cognitum, quum istud homini qua homini, qui animal rationale optime passim definitur et audit, solum congruere posse pateat, si ratione cognitum primo fuerit, ut quid nempe vel bonum seu conveniens appareat rationi, proindeque contrarium seu malum ut quid disconveniens.

Ea est intrinseca ratio cur omnes plerumque doctores ab Aristotele ad nos usque veterem teneant ac foveant sententiam, utpote naturae humanae, eidemque immutabili sibique constanti maxime congruam.

Si qui hodiedum, Kantiani nuncupati, aliter sentiant, id evenit ex infantili nonnulla superbia, qua Kantius sese ut alterum Copernicum, et quidem altero maiorem, iactavit, imo et locum Aristotelis maiori profunditate, ait, occupare nisus fuit ut ipsemet innata vel ingenuitate vel fatuitate confessus est, indeque ut nos, quod solemnius promiserat, perspicaciores faceret, obiectum scientiae nostrae negando, coecos fecit. Ubi autem nonnullus Kantianus fuerit qui tantae fatuitatis fastigium non ascenderit, doctrinas tamen praedictas tenuerit, is sane sibi fingit progressum, quem dicunt, cui omnes inhiare debemus, non nisi in evolutione perpetua et totali rerum et scientiarum consistere, ita ut non amplius quis investiget vetera utrum sint vera necne, quibus, si vera sint, addenda forsan nonnulla forent vera, sed ad nova quaecumque quasi « a priori » sese praecipitem det, ubi praesertim a philosophia et religione christiana recedant, eique, si diis placeat, contradicant.

His adde nonnullos scientiae sacrae tirones, forsanque nonnullos nomine christianos, his doctrinis promptius adhaerere, quia hinc studium inutile

prorsus evadit, ubi scientiae humanae obiectum vel nullum vel dubium remanet: quod ipsis in studiis non secus ac in ipsa fide, socordiae propriae emolumentum videtur.

M. — Sed tamen omnes illi doctores tui eorumque sequaces, etsi asserant necessitatem cognitionis praeviae ad actum voluntatis, absolutam necessitatem minime innuunt et metaphysicam, sed tantum hypotheticam aut communem: unde ex ipsorum dictis non nisi vel subdubia vel imminuta consequentia elici poterit.

T. — Id asserti oppido falsum et erroneum dicendum est.

Ipsi namque absolutam absolute sententiam suam, nullatenus autem hypothetice hypotheticam proferunt: unde ipsorum terminis et dictis standum prorsus est, neque id iuris nobis competit ut illud ipsorum nomine tradamus hypothetice, quod iidem ipsi absolute tradiderunt.

Quinimo ratio quam propriae sententiae fulciendae causa afferunt, absoluta prorsus est, neque exceptionem aut patitur aut pati potest.

Quae idcirco sic se habet, nempe appetitum naturalem inter et vitalem elicitum haec intercedit diversitas, quod ille quidem in bonum proprium tendit absque praevia cognitione, iste autem, sive sensitivus sit, sive intellectivus, in bonum suum ut cognitum fertur. Quia vero actus intellectivi appetitus, seu voluntatis, est quid vitale, et obiectum est bonum ratione cognitum, implicat autem potentiam tendere in obiectum non suum, seu in aliud quam in obiectum proprium, repugnat, iuxta praefatorum sententiam, voluntatem in bonum non cognitum sponte ferri.

Inde etiam colligitur in angelis, quin etiam et in ipso Deo, voluntatem dari quia in ipsis datur bonum cognitum.

Inde rursus passim colligunt doctores Deum non posse appetitum intellectivum seu voluntatem movere in bonum non cognitum, siquidem appetitus ille eo ipso non possit amplius dici intellectivus, ubi defuerit actus intellectus.

Hinc iterum eruitur bonum vel malum cuique tribuendum esse ut meritorium vel secus, ea ratione qua praeit actus intellectivus, ita ut ille neque laudetur neque vituperetur qui nihil in agendo praecognoverit.

Hinc denique, omnibus fatentibus, cessat voluntas, cessante cognitionis actu, et e converso quo perfectior fuerit intellectus actus, eo vehementior voluntatis adhaesio vel repugnantia.

M. — Nonne tamen sufficiet cognitio habitualis, quin requiratur actualis, ad actum voluntatis eliciendum?

T. — Minime cognitio illa mere habitualis sufficere ad actum voluntarium dicenda est, siquidem obiectum voluntatis non fit eidem voluntati praesens nisi per cognitionem actualem, licet tamen non requiratur cognitio distincta ad qualemcumque voluntatis actum.

Id ceterum quotidiana patet experientia, quum nullus velit actu id de quo non cogitat actu, saltem indistincta cogitatione, ut siquis aliqua confusa cognitione valeat iter prosequi quod distincta cognitione ingressus est.

Neque sat erit quod bonum in rerum natura reipsa exsistat ut voluntas in idem sese ferat, sed requiritur omnino ut appetitui vitali et elicitivo coniungatur, quod fit per cognitionem.

M. — Sed iam « sat prata biberunt ». Neque tamen omnibus titulis soluta remanet quaestio: quapropter iterum tibi et alias alia dubia tibi solvenda afferre in propositis habeo.

Nunc tibi gratias ago maximas, teque valere ex animo iubeo.

I. I. B.

De Tulliano sermone in usu latine scribendi

Ille multum se profecisse sciat,
cui Cicero valde placebit.
QUINCTILIANUS.

Quum multa a Tullio dicta praeclare, tum maxime quod scribit de libris pulcherrimum mihi videtur. Quemadmodum quum in sole ambulamus, etiamsi ob aliud ambulemus, fit tamen natura ut coloremur, ita doctorum libros studiosius, ut Dantis, Vergilii, legentes, licet non percipiamus, sentimus nostram quoque orationem quasi colorari.

Quamquam enim rei exprimendae vel pertractandae magister est suus cuique animus et intima vita, omnis tamen loquendi scribendique elegantia sumitur legendis optimis auctoribus: quo fit ut rei sapienter cogitatae et alte perceptae egregia forma adhaereat. Itaque, qui optimum latine dicendi genus assequi studet, exemplaria quaedam sibi proponat necesse est, e quibus discere possit quid latine, quid ornate, quid apte congruenterque dicere sit; quae omnia qui melius est assequutus, quam Tullius, a quo sermo elegans omnis sumi potest? Concinnitatem, elegantiam, simplicitatem, numerum,

et alia eiusdem generis unde melius didiceris quam ex optimo latinitatis auctore?

Neque ita videamur latinae coarctare facundiae fines. Sit sane Tullianus vocabulorum index pars latinitatis minima: ad studium autem latinitatis grammaticus, seu philologus, aliter sese habet ac latinus scriptor, cuius est tectum sartumque ius artis servare. Praeterea, aut alium quemvis latinum auctorem vel aetatem imitanda suscipiemus, aut undique collata membra ex omni aetate quasi in acervum congeremus. Si prius, videbimur quidem rem praestare admiratione dignam; sed non optimam secutis rationem scribendi illud aptari poterit:

Video meliora proboque, deteriora sequor.

Quis enim ignorat tertiam latini eloquii aetatem summa praesertim in Cicerone attigisse? Aut quem latet, quavis de arte quaeratur, de absoluta et perfecta quaeri solere? Latinus scriptor a cognitione universae latinitatis ne abhorreat, sed in ea, quasi in ornatu, sit usus Tulliani sermonis dispositus, quo melius intellegatur eius praestantia, a quo et exempla petenda, et certae sermonis elegantioris regulae.

Quod si, quidquid romana lingua exaratum est, quasi bonam suppellectilem congesserimus, novum inauditum, ac sine artifici stilo conficiemus sermonem ab Horatiano monstro parum dissimilem, et a lingua latina maxime abhorrentem, quae non arbitrio effingenda est, sed qualis exstat, referenda.

Ergo, si seligendorum rationem verborum, atque integritatem et elegantiam latinae orationis assequi voluerimus, auctore Tullio maxime utamur.

Marius Cardinali.

DE RE LITTERARIA APUD SUBALPINOS

DE ELOQUENTIA SACRA

Si nova aetas multos tulit errores, in iis praesertim quae ad rempublicam christiana sapientia regendam pertinent, haud pauci inter nos adstiteterunt, qui nova quadam dicendi ratione innixi, securi et praeter omnium opinionem voce atque egregiis operibus editis laborantem ecclesiam adseruerunt.

Hi enim, Deo devoti, quum animum sanctis cogitationibus exercerent, et toti essent in enucleanda Christi doctrina, haud poenitendam sibi temporis iacturam facere videbantur, quod in stilo recte figendo insumpsissent, quo melius ad animorum dilectum per aurium delectationem pervenirent. Quapropter venustae et concinnae orationis studiosi, elegans atque politissimum scribendi genus plerumque usurpabant. Quin imo, suffragante Carolo Alberto rege, ad Supergam, qui mons est ad orientem Augustae Taurinorum, in cuius summo vertice templum dedicatum hodieque testatur insignem victoriam a Subalpinis de Gallis relatam VII die mens. Sept. an. MDCCVI, ad provehendam sacrorum alumnorum disciplinam ephebeum apertum est, in quo lectissimi adolescentes ex unaquaque regni sui dioecesi, elegantioris ingenii atque virtutum praestantia clariores tuto et sine ulla offensione publice alerentur. Ut hi adolescentes pulcri sensui magis in dies adsuescerent, atque ad maximorum doctorum consuetudinem moremque deducerentur, adhibebantur nobilissimi doctores, sub quorum disciplina, maximam inde doctrinae segetem hauriebant, quam postea cum civibus communicarent.

Iuvabit in memoriam nostram Willielmum Audisio revocare, cui munus demandatum, ut, praeclarissimorum oratorum exemplo, sacram eloquentiam alumnos suos doceret, quo in munere obeundo, se ita navum atque industrium egit, ut clarum nomen consequeretur. Namque minime contempsit tamquam parva quae prius sunt discenda studia, quasi perfectos alloqueretur, omni alia genere doctrinae relicto, summam tantummodo eloquentiae manum imponeret. Ipse vero acuto ingenio praeditus et multo rerum usu subactus, praecepta quae vel minima ad eloquentiam spectantia miro ordine atque verissimis coloribus ad suos auditores referebat, quaeque insigni congesta eruditione compluribus voluminibus in vulgus edidit.

Eius scribendi ratio in universum grandior est, elegans, pura, venusta, fluens aequabiliter; quae doctis adprobaretur atque indoctis. Ex eius disciplina complures sanctissimi exempli sacerdotes exierunt, qui gentem nostram pietate excoluere atque sapientia: alii quoque ingenio clariores ac religione ad altiora ecclesiae munera fuerunt evecti. Inter optimos hominis discipulos eosdemque clarissimos suae aetatis scriptores posuerim Iacobum Margotti, domo S. Romulo apud Ligures, qui Paulum verborum fortitudine ac celeritate referens, et aurea eloquentia ac sententiarum fluiditate, Ioannem Chrysostomum, ingenio atque studio rem christianam suis temporibus mirum in modum ac subdolum labefactam defendit atque a calumniantibus insigniter adseruit.

Hic cum sancto Hieronymo prae ceteris esset componendus, qui, per triginta et amplius annos

quotidie acerrimus catholicae professionis vindex, neque instantis necis periculo exterritus, non paucorum prava audentium vafritiam timuit, nec inconditae multitudinis clamores expavit, sed aequo animo firmoque a voluntate Pontificis Max. nunquam dissensit, eumque italicae dignitatis et incolumitatis adsertorem libero ore est professus atque defendit.

Ephemerides, queis ex *Unitate Catholica* nomen adhaesit, primum scriptitavit atque strenue rexit, ut Christianorum nomen ab adversariorum factionibus acerrime vindicaret. Pie decessit pridie Id. Mai. an. MDCCCLXXXVI.

Multi quoque apud nos exstiterunt, qui vel ipso saeculo decimo nono labente, in sacra eloquentia honorem sibi haud mediocrem compararunt. In quibus adnumerandus est Ioseph Tonso dominicianus, qui patrum memoria, pacatis Europae rebus, Augustae Taurinorum coram rege sacer orator fuit, atque eloquentis nomen acquisivit per ieiunium quadragesimale.

Sed paulo post adstitit I. B. Giordano Tauri nensis, qui primas facile retulit inter sacros suae aetatis oratores. Hic acre ingenium ab adolescentia studio theologiae sic dedit, ut penitiora disciplinae pervaderet. Suavissimis moribus, pectore candidus, vix sacerdotio auctus, amplissimis muneribus naviter et sancte perfunctus, ac benigno alloquio ita omnium animos vel in familiari consuetudine sibi devinxit, ut per civium ora atque advenarum victor pervolaret. Quum primum ad populum oravit, magnus ad eum hominum concursus fiebat, ut alii pietatem, cuncti flexanimam eloquentiam admirarentur. Inter canonicos adlectus quibus est nomen *a Corpore Domini*, opem suam ingeniumque erga egenos, infirmos adhibuit. Sic pietate, doctrina, integritate vitae bonis omnibus commendabat. Sed adversa usus valetudine, vacatione ab omnibus muneribus impetrata, ad umbratilem vitam se contulit.

At vix convaluit, totum se ad eloquentiam colendam confidentissime convertit. Incredibile dictu est quot brevi retulit fructus. Augusta Taurinorum semel atque iterum celebris huius filii eiusdemque sanctissimi orationes admirata, nunquam ab eius ore discedere fastidiose videbatur. Egregium eloquentiae praemium Bononiae, Mediolani, Neapoli obtinuit; atque vel ex humili suggestu, divino animarum actus desiderio, vel per ieiunium quadragenarium, vel aliud tempus, audientium mentes tenebat pectusque pervadere consuevit. Dolendum sane quod antiquo iterum morbo implicitus, vix quinquagenarius, flebilis omnibus, placido spiritu occubuit.

Eius opera, plurimis voluminibus congesta et nunc doctorum manibus teruntur.

Huic est equidem addendus Aloisius Nasi Taurinensis, pietate et modestia insignis. Sic eius vestigia est sequutus, sic morem quoque dicendi arripere visus est, ut fratres identidem appellarentur, et si ille Basilius quandoque videbatur, hic Gregorius Nazianzenus, vel ob fluiditatem sermonis vel pectoris mansuetudinem. Dei amorem, religionis studium, ecclesiae muneribus posthabitis, cum perpetua in egenos liberalitate coniunxit. Aeterna spectans, vis ingravescente morbo, ne amicorum desiderio plus aequo obsisteret, edi passus est sacras quadragesimales orationes. Quas affabre confectas et suavitate quadam animi candoris spectandas, cunctis etiam nunc lectoribus admirantibus, facile laudaveris.

SUBALPINUS.

SEBASTIANUS MARTYR IN BONIS ARTIBUS

Sebastiani, Christi martyris, gloriosa passio tantum populorum studium semper et ubique commovit, ut perpaucis ex universo sanctorum agmine simile aliquid contigisse videamus. Cuius rei causas si quaesieris, varias eas quidem et multas procul dubio invenies; praecipuas, et viri incorruptam vitam eiusque castrensem virtutem. Quamvis enim tribunus insigni forma praestaret summaque iuventa, inter imperialis tamen domus blandicias et corruptelas integer semper et castus vixit: simul vero strenue militare officium inter praetorias cohortes exercebat, tantaque fide, ut Diocletiano Augusto semper carissimus fuerit; cui tamen vix atque innotuit christianae religioni eum esse addictum, huiusmodi crimen adeo grave apparuit, ut nec diuturna quidem stipendia ullam reo veniam impetraverint. Insano enim delendae Fidei nostrae furore praereptus, iussit eum Caesar in vincula coniici; mox Cappadociis militibus lentissima morte necandum tradidit. Cuius certaminis actio praeclara nullum per aevum inter Christianam plebem commemorari desivit; imagines autem quae tantum facinus effingerent nulla pariter aetate cultu frequentissimo caruere.

***

Itaque tum ipsa lentissimae necis ferocia, tum martyris virtus, tum denique populorum fidelis

pietas artificum animos passim moverunt, ut qua maxima peritia essent, Sebastiani martyrium coloribus aut marmore effingerent. Huiusmodi operum celebratissima quaeque christianarum gentium in templis aut pinacothecis summa religione asservantur.

Horum vero operum quum pleraque inspexeris, causam frustra quaeres cur praeclaris artificibus summo iuventutis flore pulcherrimum, imberbem, cincinnatum, flavum, Sebastianum fingere passim placuerit, tribunum militum; quod grave sane munus tam immaturae aetatis nemini committebatur. Contra, antiquissima martyris imago, musivo opere expressa, eum barbatum et a pueris iam excessum repraesentat; barbatumque etiam, quamquam iuvenem, insculpsit Berninius in perfectissimo illo signo, quod sub ara ipsi in suburbano templo dicata posuit.



S. Sebastiani statua a Berninio insculpta. (Photographice expresserunt Fr. Alinari, Florentiae).

Neque Dominicus Zampieri, pictor eximius, secus gessit, tabulam fingens, quae in templo Urbano S. Mariae ab Angelis nuncupato asservatur, cuiusque musivum exemplar super altero ex altaribus Vaticanae Basilicae venerandum prostat.

Inter pulcherrimas autem tabulas, quae iuvenili aetate summa florentem martyrem praeseferunt, ea profecto pulcherrima est, quam Guercinius depinxit ac modo Florentina regia pinacotheca custodit, quaeque genuflexum iuvenem, oculis in caelum elatis, sagittasque, martyrii symbolum, Deo offerentem exhibet. Ibidem vero non desunt aliae quoque martyris imagines a pictoribus celeberrimis depictae, quas inter et Sodomae et Pollaioli; quemadmodum asservant et Perusina civitas, et Mediolanensis et Romana haec nostra, quae in Capitolio Guidonis Reni tabulam illam custodit notissimam, passim apud omnes populos reproductam.

Verum, uti diximus, si paucos excipias, unus idemque fuit pictoribus aut sculptoribus singulis fingendi martyris modus, una consuetudo; ea nimirum, quae tribunum praefert arbori adligatum, iuvenem admodum, membris pulcherrimis, confixis hinc inde sagittis, cuius tamen in vultu acerbi cruciatus nullum fere vestigium apparet, sed quaedam inest beata serenitas, et prope laetitia caelestis, veluti ac si quis, ipsa inter tormenta caedis, divinis perfrui gaudiis iam videatur.

I. Antonelli.

RHEGINAE POST ANNUM RUINAE

Amplissimo viro Pascali Aldinio,
studiorum curatori, Rhegii Iulii.

Omnia strata iacent, desertaque litora ponti
Squalent, et nudo luget arator agro.

A Calabris Siculos potuit seiungere montes
Aspera vis olim: nunc ruit illa domos.

Urbes ingentem vicique dedere ruinam,
Infremuit rabie per vada Scylla truci.

Non resonant dulci viridaria carmine blanda,
Fugerunt nymphae; tristis Erynnis adest.

Non fulget calabris antris Morgania Fata;
Turbatum furiis horret adire fretum.

Spectantur tumuli, praeruptaque tecta domorum:
Infelix sparso sanguine terra rubet.

Iam dilapsa iacent sine nomine corpora multa,
Multaque sub foveis gaza sepulta iacet.

Heu! cives lugent, et tristia funera ducunt;
Pupilli matrem nocte dieque vocant.

Agmina densa stipem coguntur quaerere passim;
Hinc alio migrant agricolae miseri.

Eversas miramur opes, ac templa scholarum
Diruta, dum puerûm turba tenella vacat.

Caedis inassuetos oculos nunc pascit inani
Prospectu puer, et luctibus obruitur.

Nunc age, Curator Studiorum, coge magistros;
Iam pateant pueris ostia sacra scholae.

Afflictos recreant animos bona verba magistri;
Rebus in adversis corda pusilla vigent.

Heu! iuvenes, calabrae perierunt robora pubis;
Grandia praeruptus contegit ossa lapis.

Rara quidem superest pubes, spes una parentum.
Custodes doceant, quidquid adest puerûm.

Agmina, clare Pater, patriae puerilia serva:
Te duce, florescet Graecia Magna scholis.

Radicenae in Calabris.

FRANCISCUS SOFIA-ALESSIO.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Diomedis et Glauci permutatio.

Quae refertur apud Homerum Diomedis et Glauci permutatio, in proverbium abiit, quoties inaequalem commutationem significamus, hoc est, deteriora pro melioribus reddita, aurea pro aereis. Nam libro



S. Sebastiani antiquissima imago ex musivo opere.

Iliados sexto, poeta Glaucum quempiam inducit, Hippolochi filium, Lyciorûm ducem, iactantiusculum et ostentatorem magis quam pugnacem; contra, Diomedem vafrum callidumque. Duo hi congrediuntur singulari certamine inter se dimicaturi. At Glaucus, rogatus a Diomede, quisnam hominum aut deorum esset, longa oratione natalium suorum seriem exposuit, patriam Lyciam, civitatem Ephy-

ram indicavit. Mox Diomedes, utpote Graecus, hominis barbari stuporem ex orationis arrogantia intelligens, illudendum magis ratus quam occidendum, respondit suis maioribus cum illius progenitoribus vetus hospitium ac necessitudinem intercessisse, muneraque hospitalia, quae xenia vocant, inter ipsos ultro citroque data. Iamque defixa humi lancea, coepit hortari, ut omissa pugna maiorum suorum amicitiam inter ipsos renovarent, alterque alteri in Lycia, alter in Argo hospitem praestaret,



Dominici Zampieri tabula martyrium S. Sebastiani effingens.
(Photographice expresserunt Fr. Alinari, Florentiae).

simul atque incolumes in patriam redissent. Interim, si quando forte fortuna occurrissent, armis invicem abstinerent, inter se dumtaxat religionem hospitii custodientes, in reliquos nihilo minus iure belli usuri. - Tu, ne id videamur, - inquit - proditiones magis quam hospitii observantiam facere, arma inter nos permutemus, quo reliquus exercitus intelligat, nos maiorum necessitudine devinctos esse. Quibus dictis, uterque ex equo desiliit, datis dextris ac fide pacta, veluti foedus quoddam hospitii sanxerunt, permutatis armis, sed admodum inaequalibus:

Iupiter hic stupidum spoliavit pectore Glaucum
Qui cum Tydide mutarit protinus arma, et
Aurea donavit, sibi reddenti aerea, centum.
Bobus emenda daret demens, pro vilibus, atque
Quae vix esse novem dicas redimenda iuvencis.

Usurpatum est adagium passim a laudatissimis auctoribus. Plato in *Phaedro* faciens Socratem Alcibiadi suo more respondentem, quod lucri cupidus formam corporis forma mentis meliore commutare vellet: « Et cum his - ait - quae vere aurea sunt, aereis commutare cogitat ». Quamquam interpres pro aureis vertit « aurichalcum ». Item Aristoteles, (V *Moralium*, libro de Iustitia): « Qui vero dat sua, quemadmodum Diomedi arma sua dedit Glaucus, ut dicit Homerus-... » etc. - Plutarchus, adversus Stoicos scribens, eleganter huc torquet, ut dicat non admodum iniquam fuisse permutationem Glauci, propterea quod arma ferrea non minus usui sint pugnaturis quam aurea; sed qui corporis valetudinem anteponit honesto, aut virtutem relinquit ob bonam corporis valetudinem, is vere permutat aurea aeneis. - Cicero in *Epistolis ad Atticum* (libro VI): « Habes ad omnia non, ut postulasti, aurea aeneis, sed paria paribus respondimus ». Utrumque proverbium esse significat Cicero: « Par pari » de aequali pensatione; « aurea aeneis » de inaequali commutatione. - Plinius iunior in *Epistolae ad Flaccum:* « Respiciens epistolas steriles et simpliciter ingratas, ac ne illam quidem solertiam Diomedis in permutando munere imitantes ». A. Gellius (*Noctium Acticarum* lib. II) Caecilianam translationem cum ipso Menandro, quem verterat, componens atque expendens, ostendensque quantum a Graecanica venustate degeneret: « Diomedis - iniquit - hercle arma, et Glauci, non dispari magis pretio aestimata sunt ». - Fit denique huius adagii mentio etiam in prooemio *Pandectarum* iuris Caesarei hisce verbis: « Nostris temporibus talis legum inventa est permutatio, qualem apud Homerum, patrem omnis virtutis, Glaucus et Diomedes inter se faciunt dissimilia permutantes. Nam ille significat pro relictis inutilibus ac fastidiendis voluminibus, recepta tum meliora, tum breviora, hoc est permutationem factam vehementer inaequalem. Ergo conveniet uti, quoties officium aut munus longe impari munere pensatur, aut contra. Aut quoties aliquis rem pecuniariam auxit, sed dispendio famae; magistratum assequutus est, sed iactura bonae mentis; lautam fortunam reperit, sed amisit animi tranquillitatem ».

Forfex.

ACTA PONTIFICIA

Per Apostolicas litteras d. XXVI mens. Iulii MCMIX, sodalitas ab Infante Iesu Bethlehem erecta apud Fratres Scholarum Christianarum, archisodalitas renunciata est cum facultate aggregandi.

— Per Apostolicas pariter litteras dat. d. XXXI mens. Iul. MCMIX Confraternitas Immaculatae Conceptionis ac Defunctorum in dioecesi Nuscana titulo « archisodalitatis ad honorem » decorata est.

— Item, sub d. XII mens. Augusti MCMIX, Institutis religiosis Parisiensi, Versaliensi et Tolosano Ancillarum Mariae indulgentiae ad septennium concessae sunt, atque datum « ut in singulis oratoriis supradictarum dictae congregationis piarum domorum, unicum altare, vel si plura exsistant, maius, apostolico Missarum privilegio ita polleat, ut quandocumque sacerdos aliquis saecularis, vel cuiuslibet Ordinis regularis Missam pro anima cuiuscumque ex praedictis Sororibus ibidem celebraverit, idem Sacrum ei piandae animae, pro qua celebratum fuerit, perinde suffragetur ac si foret ad privilegiatum altare rite litatum. »

— Item sub d. XVII mens. Augusti MCMIX, cathedrale templum Constantinopolitanum, Spiritui Sancto dicatum, a Pio PP. IX iam pro Vicariis apostolicis cathedralis titulo ornatum; et sub d. XXIII eiusd. mens. Bonaërense templum B. Mariae Virginis a Rosario, ad basilicae minoris dignitatem evecta sunt.

— Item, sub d. VIII mens. Septembris MCMIX, novae Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci constitutiones approbatae et confirmatae sunt.

— Item sub d. XVII mens. Septembr. MCMIX, « inspecto prospero statu reique catholicae incremento » Praefectura Apostolica *Delta Nili* appellata, missionariis concredita Societatis Lugdunensis Missionum ad Afros, in Vicariatum Apostolicum erecta est.

— Item, sub d. VII mens. Octobris. MCMIX, indulgentiae perpetuae concessae piis sodalitatibus sub titulo « Missionis Iuvenum, puellarum et patrum matrumque familiarum » in dioecesi Gurcensi erectis vel erigendis.

— Per Apostolicas litteras d. XXII mens. Novembr. MCMIX datas instauratur Pisis, in seminario dioecesano, theologica facultas, et archiepiscopo pro tempore ius conferendi doctorales laureas et academicos gradus in sacra theologia traditur.

— Motu proprio d. XV mens. Decembr. MCMIX, Institutum filiorum Sacrae Familiae unitur et incorporatur congregationi Clericorum regularium, vulgo Theatinorum, ita ut Bonaventura Mullol, eiusdem Instituti praepositus, eiusque Consultores generales universosque ipsius Instituti sodales deinceps sint veri legitimique filii S. Patris Caietani, veri legitimique alumni congregationis clericorum regularium vulgo Theatinorum, cum omnibus iuribus et privilegiis iisdem Clericis regularibus a S. Sede concessis et concedendis. Iosephus autem S. R. E. Cardinalis Vives, hactenus Instituti Sacrae Familiae protector, universae Clericorum regularium Theatinorum congregationi praeficitur, facta eidem potestate, ut Pontificia auctoritate, instaurationi et reformationi eiusdem congregationis ad nutum Sanctissimi, etiam in futurum providere possit, cum opportunis et necessariis facultatibus.



S. Sebastianus a Guercinio pictus.
(Photographice expresserunt FR. ALINARI, Florentiae).

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Concilii.

De abstinentia a carnibus in pervigilio Annuntiationis B. M. V. occurrente in feriam V in Coena Domini.

— Quum festum Annuntiationis B. M. V. hoc anno MCMX occurrat in feriam IV in Parasceve atque transferatur etiam cum feriatione in feriam II post Dominicam in Albis tamquam in sedem propriam, quaesitum est utrum servanda sit lex abstinentiae a carnibus in pervigilio occurrenti in feriam V in Coena Domini, vel transferenda esset. Sacra Concilii Congregatio respondit affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

De onere certiorandi episcopum de legatis ad pias causas.

— Omnes, sive sacerdotes sive laici, quorum fidei concredita sunt legata ad pias causas, tenentur de hoc quamprimum certiorem reddere Episcopum, qui ius habet vigilandi super administrationem et consulendi securitati eorundem legatorum (Ex decr. d. IX mens. Augusti MCMIX).

Ex Congregatione Concistoriali.

De competentia Sacrae Congregationis Concilii super confraternitates et pias uniones post Constitutionem « Sapienti consilio ».

— Competentia super confraternitates a Constitutione *Sapienti consilio* tributa sacrae Congregationi Concilii se extendit quoque ad confraternitates et pias uniones quae dependent ab Ordinibus et congregationibus religiosis, vel creatae sunt in eorum ecclesiis seu domibus. (Ex decr. d. X mens. Decembr. MCMIX).

De competentia sacrae Congregationis de Propaganda Fide super nonnullas Societates Missionum.

— S. Congregatio de Propaganda Fide etiam post Constitutionem *Sapienti consilio* suam iurisdictionem exercere debet super societates, sive Lugdunensem pro missionibus ad Afros, sive Parisiensem pro missionibus ad exteras gentes, nec non super seminarium Mediolanense S. Caloceri, seu Institutum Mediolanense pro exteris missionibus, denique super pontificium seminarium SS. Apostolorum Petri et Pauli de Urbe ad exteras missiones, praesertim quoad ea quae respiciunt eorum regulas, administrationem, atque opportunas concessiones ad sacram alumnorum ordinationem requisitas. (Ex decr. d. X mens. Decembr. MCMIX).

Ex Congregatione de Religiosis.

De studiis complendis a votorum tum solemnium tum simplicium professis, antequam ad sacros Ordines admittantur.

In articulo sexto decreti *Auctis admodum,* editi a sa. me. Leone XIII d. IV mens. Novembr. MDCCCXCIII, inter alia, haec statuuntur: « Professi tum votorum solemnium tum simplicium ab Ordinariis locorum ad sacros Ordines non admittantur, nisi, praeter alia a iure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu; ad minus per biennium, si de diaconatu; et quoad presbyteratum, saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo ». Porro circa genuinum sensum huius articuli, varia dubia sacrae Congregationi negotiis Religiosorum Sodalium praepositae exhibita sunt, quibus in capita reductis responsum est prouti sequitur:

I. Utrum Superiores Ordinum vel Institutorum religiosorum praefatas testimoniales litteras licite dare, et Ordinarii seu Episcopi licite acceptare possint, si anni de quibus agitur non fuerint completi, seu non vere academici vereque scholares, sed potius abbreviati, non quidem ex incuria, sed quia vel omissae fuerunt vacationes, vel horae lectionibus in schola tradendis multiplicatae, vel alia quacumque de causa? — *Resp.* Negative in omnibus; et quaelibet abbreviatio studiorum abusiva omnino habenda est, et penitus illicita.

II. Utrum studentes, expleto unius, duorum vel trium respective annorum curriculo theologico, possint statim ad subdiaconatum vel diaconatum vel presbyteratum item respective promoveri, ideoque inceptis vacationibus, in fine anni scholastici dari solitis, quin circulum duodecim mensium complere teneantur? — *Resp.* Affirmative, dummodo tamen complexus trium huiusmodi annorum saltem triginta tres menses integros comprehendat.

III. Utrum iidem studentes, triennio theologico rite completo, teneantur adhuc per alium annum, seu per quartum annum scholasticum, theologicis studiis in scholis incumbere? — *Resp.* Affirmative, ideoque complexus quadriennii theologici, computatis vacationibus seu feriis, quadraginta quinque menses integros comprehendere necesse est.

IV. Utrum verba eiusdem decreti *Auctis admodum* « praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo » respiciant tantum philosophica seu lycaealia studia, vel etiam gymnasialia seu humaniorum etiam institutionem? — *Resp.* Respiciunt et philosophica seu lycaealia, et humaniorum litterarum seu gymnasialia, et primaria studia. Ideoque haud legalia habenda sunt theologica studia, si alumnus cursum philosophicum seu lycaealem rite non expleverit; neque legalia erunt philosophica seu lycaealia studia, si alumnus humaniorum litterarum seu gymnasiale curriculum minime compleverit; neque valorem habebit humaniorum litterarum seu gymnasiale studium, si alumnus per primariam institutionem rite habitam minime praeparatus fuerit. Porro ad legitimum transitum de scholis primariis ad gymnasiales, de gymnasialibus ad lycaeales, de lycaealibus ad theologicas, requiritur testimonium de bene superato periculo seu examine, a moderatoribus respectivarum scholarum in forma authentica obtentum; quod si gravi aliqua de causa haberi nequeat, suppleri potest per speciale examen, coram peritis magistris subeundum ante transitum ad superiorem gradum, seu scholam.

V. Utrum studia philosophica seu lycaealia, humaniorum litterarum, seu gymnasialia, et primaria necessario ante ingressum in novitiatum ex integro peragi debeant? — *Resp.* Negative quoad studia philosophica seu lycaealia; affirmative quoad primaria et gymnasialia seu humaniorum litterarum. In casibus tamen specialibus, accedentibus gravibus causis, permitti potest, ut ad novitiatum inter clericos admittatur, qui annum

quartum gymnasialem seu humaniorum litterarum rite expleverit, dummodo; *a*) decimum quintum aetatis annum excesserit; *b*) statim post novitiatum, et antequam ad studium philosophicum seu lycaeale adscendat, integrum curriculum omnium studiorum humaniorum litterarum seu gymnasialium in scholis domesticis vel aliis rite ordinatis compleat; *c*) et finale periculum bene superet. Quod si agatur de ingressu in novitiatum anno quarto non expleto recurrendum ad Sanctam Sedem.

VI. Utrum praefata studia, non publice in scholis rite ordinatis, sed privatim peracta, valorem habeant legalem, seu qui sufficiat ad licite dandas et licite acceptandas litteras testimoniales ad sacros Ordines? — *Resp.* Negative. In casibus tamen extraordinariis, qui respiciunt particularem aliquem alumnum tantum, qui diligenter studiis incubuit, et in periculo seu examine idoneus inventus fuerit, recurrendum ad sacram Congregationem pro convalidatione, exhibita iurata fide examinatorum, et de tempore transacto in studio privatim peracto et de bene superato periculo; nisi res sit, non de omnibus disciplinis unius anni scholaris, sed de una tantum vel altera disciplina accessoria, gravi de causa a particulari aliquo alunno privatim exculta; tunc enim, praehabita iurata fide examinatorum, ut supra, convalidatio dari poterit a Superiore generali, accedente voto deliberativo sui Consilii.

VII. Utrum ad valorem legalem studiorum theologicorum, philosophicorum seu lycaealium, et humaniorum litterarum seu gymnasialium sufficiat disciplinae principalis seu theologiae, philosophiae et linguae latinae peritia, vel potius requiratur, ut in unaquaque schola tradantur etiam disciplinae accessoriae, iuxta normam in bene ordinatis seminariis regionis vigentem et saltem in substantialibus servandam? — *Resp.* Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

VIII. Utrum et quanam ratione in litteris testimonialibus ad sacros Ordines authentice constare debeat de peractis ex integro, tum curriculo seu curriculis theologicis, tum philosophicis seu lycaealibus et humaniorum litterarum seu gymnasialibus studiis, ut praefatae litterae licite dari possint a Superioribus, et licite acceptari ab Ordinariis seu Episcopis? — *Resp.* Superiores in litteris testimonialibus, expressis verbis, sequentia declarare debent et testari: 1° *quoad curriculum theologicum,* candidatum a tali anno, mense et die, ad talem usque annum, mensem et diem, et in tali schola studiis theologicis ad sacrum Ordinem, ad quem praesentatur, necessariis rite incubuisse, et in finali periculo seu examine idoneum inventum fuisse; 2° *quoad inferiora studia, eidem curriculo praemittenda: a*) eundem candidatum, rite peractis primariae institutionis studiis, humaniorum litterarum studia in tali schola, et per tot annos academicos seu scholares, ex integro explevisse, bene superato finali periculo; *b*) praefatum candidatum, recte expletis humaniorum litterarum studiis, philosophicum curriculum ex integro in tali schola, et per tot annos academicos seu scholares, complevisse, et finale periculum auspicato superavisse. (Ex decr. d. VII mens. Septembr. MCMIX).

De quibusdam postulantibus in religiosas familias non admittendis.

— Nullimode, absque speciali venia Sedis Apostolicae, et sub poena nullitatis professionis excipiantur, sive ad novitiatum sive ad emissionem votorum postulantes:

1.° qui e collegiis etiam laicis ob inhonestos mores vel ob alia crimina expulsi fuerint;

2.° qui a seminariis et collegiis ecclesiasticis vel religiosis quacumque ratione dimissi fuerint;

3.° qui, sive ut professi sive ut novitii, ab alio Ordine vel congregatione religiosa dimissi fuerint; vel, si professi, dispensationem votorum obtinuerint;

4.° qui iam admissi, sive ut professi sive ut novitii, in unam provinciam alicuius Ordinis vel congregationis et ab ea dimissi, in eamdem vel in aliam eiusdem Ordinis vel congregationis provinciam recipi nitantur. (Ex decr. d. VII mens. Septembr. MCMIX).

De religiosis Missionariis de « Marianhill ».

— Religiosi Missionarii de « Mariannhill », ab Ordine Cisterciensium reformatorum absolute divisi, specialem Congregationem deinceps constituent. (Ex decr. d. II mens. Febr. MCMIX, vulg. d. XX Dec. eiusd. an.).

Ex Congregatione Rituum.

De consecratione ecclesiae « coemento armato » constructae.

— Ecclesia constructa vel construenda ex materia quae *coementum armatum* nuncupatur, consecrari valet, adhibita forma ac ritu Pontificalis Romani, dummodo duodecim crucium loca, et postes ianuae principalis, sint ex lapide. (Ex decr. d. XII mens. Novembris MCMIX).

DIARIUM VATICANUM

(Die XXI mens. Novembr. — d. XXXI mens. Decembr. MCMIX)

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adivere, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Pontificium Bohemorum Collegium, quod nuper vigesimum quintum annum explevit ex quo conditum est; catholicarum mulierum in Italia supremum consilium; Nicolaus Szecsen de Temerin dynasta, Austrorum Hungarorumque legatus apud Apostolicam Sedem; De Ritter de Grunstein dynasta, Bavarorum administer cum omni potestate apud Apostolicam Sedem; exemus vir Perez Caballero, exterarum rerum in Hispania administer; Pontificiorum equitum ab ense et chlamyde collegium, aulicique omnes omina et dona offerentes ob expletum feliciter a SSmo XXV Episcopatus annum; catholicorum nautarum manus ex Anglica classi; tirones e Collegio Urbano de Propaganda Fide; De Bulow princeps eiusque uxor; Pontificium Urbanum Collegium ex Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis; collegium doctorum apud scholas Pontificii Seminarii Romani; Laelius Orsini, princeps Urbanus; Pontificii Collegi Gallici alumni; pueri ad quadringentorum numerum parentibus orbati ob terrae motum illum, qui die XXVIII mens. Decembr. an. MCMVIII Calabras Siculasque terras diruit, a Pontificia munificentia

Romae atque in suburbano alti; Sacer Purpuratorum Senatus legatique omnes ex exteris nationibus omina offerentes tum ob episcopale Pontificis iubilaeum tum in novum annum; Urbanum Scotorum Collegium; Lampert eques torquatus, Friburgensis athenaei doctor; supremum Melitensium equitum consilium.

Pontificiae electiones.

Iacobus Anesagasti, metropolitanae Guadalascarensis ecclesiae canonicus, episcopus Campecoren.; et Iosephus Gusman, metropolitanae ecclesiae De Durango canonicus, episcopus Civitatis Victoriae seu Tamaulipan., renunciantur.

— Excmus. vir Ioannes Starika, episcopus Leaden., ad ecclesiam tit. Antipadriden. transfertur.

— R. v. Franciscus Cherubini alter a secretis Sacrae Congregationis Religiosorum dicitur.

— Excmus. vir Hernestus Dubois, episcopus Virdunen, ad metropolitanam ecclesiam Bituricensem promovetur.

— R. p. Fallon e Congregatione Oblatorum Mariae Immaculatae episcopus Londonen.; et r. p. O' Reilly, rector S. Antonii in urbe Minneapoli, episcopus Fargen. dicuntur.

— Excmus. vir Franciscus Nagl, episcopus Tergestin. et Iustinopolitan., coadiutor deputatur cum iure succedendi Emi. Card. Antonii Iosephi Gruscha, archiepiscopi Vindobonensis.

ANNALES

De publicarum rerum vicissitudine

anno MDCCCCIX

Consideranti sedulo atque repetenti publicas tum Europearum gentium tum reliqui orbis vicissitudines quae elapso anno contigerunt, facillime fore puto ut earum summa duas veluti in partes distincta appareat; quarum altera eventus complectatur ab anni ortu usque ad ver exactum, — graves eos quidem, et inquietos et minis multiplicibus densos; — altera, quae a veris limine ad anni usque obitum, planiores sane et pacificos magis ubique gentium.

Vix enim inito anno Balcanicae res adeo sunt perturbatae, ut Serbos inter et Austros gravissimum bellum prope initum metuerimus. Attamen Austrorum auctoritas valuit adeo, ut Bosniacae terrae adnexio iusta tutaque apud ceteras quoque gentes, frustra querentibus Serbis, habita sit. Nec ullus fuit qui Austros alia dare praemia coëgerit, nisi quae Turcis aut Nigri Montis incolis ipsi sponte tradiderint. Tum Bulgari inopino ausu Ferdinandum principem suum regis titulo auxerunt, qui sese igitur a reliqua omni Byzantini regis auctoritate indemnem atque solutum proclamavit. Non levis inde Turcarum furor exarsit: qui quum impotes sese ad oppugnandos Bulgaros, occulto Austrorum auxilio confisos viderint, contra Graecos tamen similia Creta in insula audentes fortissime restitere. Optabant illi, capta temporis opportunitate, genti suae insulam palam addicere. Quamobrem Turcae prope ad arma confugere, atque parum abfuit quin novum bellum contra finitimos Helladis populos resumerent.

Tantae aemulationi ceterarum gentium, maxime vero Germanorum Gallorumque, intercessio finem imposuit; quae suam auctoritatem interposuere, ut a bellicis consiliis utrumque populum cohiberent. Annus vero iam ad finem perrexit, quum nondum Cretensis illa disceptatio resoluta videatur.

*
* *

Altera tamen anni pars, huiusmodi contentiones si dempseris, tranquilla satis pace diffluxit. Praeterquamquod Mauritani imperii in oris breve idque felix admodum ab Iberis bellum peractum est, ut inlatas sibi iniurias ulciscerentur. Nihilominus in ultimo oriente Iaponiorum, Sinensium, atque Russorum odia crebro renascentia Coreanae regionis pacem variis ausibus perturbarunt; quos inter atrocissima fuit Ito, ducis fortissimi atque sapientissimi, caedes, sicarii manu perpetrata. Inde vero Pacifici maris orae dum Iaponii persulcant in dies magis instructi, Australianae terrae civitates tanto periculo parare medelas feruntur. Quae igitur pacto foedere unam eamdemque esse sibi rempublicam constituerunt, unam classem, exercitum unum, atque lata lege iusserunt portus et sinus fretaque muniri quantocius, ne aut Iaponiorum aut Americanorum incursibus facilis praeda relinquerentur. Equidem Panamensis isthmus nunciatur fore ut brevi praecidatur; unde Americanis nautis hinc et inde facilis aditus universae classi cogendae patebit. Quumque eorum in ditionem Philippinae insulae iamdiu venerint, non leves inde sive Iaponiis sive Australiensibus impendent minae, quas illi, arma sibi comparantes, propulsare maturant.

*
* *

Regalia funera nulla alia attulit annus, quam Leopoldi, regis Belgarum, viri ferme praeclarissimo ingenio ditati, qui diuturno regno rempublicam provexit adeo, ut Belgarum fortuna altius ascenderit nunquam. Albertus, nepos eius, regno iam est potitus, civium universorum unanimi plausu, qui miram mentis sollertiam una cum praeclaris domesticis virtutibus felici connubio praelucere in rege suo demirantur.

Poplicola.

PER ORBEM

Die XXII mens. Novembris MCMIX, Romae in catacumbis quinquagenarius annus ex quo S. Caeciliae crypta fidelium cultui restituta est, sollemniter commemoratur.

— d. XXIII, Monachii, fato concedit Norvegianus pictor Otho Sinding.

— d. XXV Danorum rex privatus Vindobonam tenet.

Budapestini, Aloisii Kossuth cadaver ad proprium mausoleum nuper erectum maxima pompa transfertur.

— d. XXVI Russorum senatus decreto mulieres iurisprudentia laurea honestatae ab agendis publice causis prohibentur.

— d. XXVII Schmend in oppido prima aëronavis apud Austros dirigibilis ad aëra tollitur.

— d. XXIX Aloisius Maria e Borbonica gente princeps Nicaeae ad Varum vita fungitur.

Russorum Caesaris decreto supremum Finlandiae tribunal militare ab officio suo discedit.

— d. XXX, Kreuth, Carolus Theodorus, Bavariae dux, vir scientiae amore inter omnes notus, moritur.

Die II mensis Decembris, Romae, administrorum collegium, praeside Giolitti, officium Italicae civitatis moderandae abdicat.

Augustae Taurinorum Ioannis Berchet, clari illius Italicae libertatis poetae, ossa in virorum illustrium coemeterium deportantur.

Genevae supremum obit diem Leo Massol, athenaei illius bacteriologiae doctor apud omnes populos maxime celebratus.

— d. III, Romae, V de pace conventus inauguratur.

— d. IV Copenaghen in urbe vita fungitur Danorum princeps foemina Valdemaro.

— d. VI in Labraguensi aërodromo ad Antibum, Fernandez aviator ab aëroplano suo praecipitat misereque infringitur.

— d. VIII Hermannus Kaulbach, Bavaricus pictor, Monachii obit.

— d. X novum Italicum administrorum collegium constituitur, praeside Sonnino.

— d. XIII Marconius, Italorum gloria ob inventum a se telegraphum filis expertem, Stocolmae in urbe, quam Nöbelium praemium accipiendi gratia petiit, magno populi plausu salutatur.

— d. XV, Brunswick in urbe, princeps qui supremi ducis nomine civiles res moderatur, uxorem ducit Elisabeth e gente Stolberg-Rossla.

— d. XVI Henricus Giglioli, vir inter Italos sapientissimus, ab hominibus demigrat.

Bernae, Helvetici foederis praeses in an. MCMX renunciatur Robertus Comtesse e regione Neuchatel.

— d. XVII Leupuldus alter, Belgarum rex, late defletus magnum animum expirat.

— d. XVIII Cannes in oppido, Michael Michaelovic, Russorum magnus dux, perit.

— d. XIX Olysippone regni administri omnes e muneribus suis recedunt.

— d. XXI Danorum sapientum collegium ad rem constitutum declarat, ex allatis sibi a Cook, borealium regionum exploratore, documentis, minime coniici posse ipsum arcticum polum attigisse.

— d. XXII Beiranus doctor Lusitanorum gubernio praeficitur.

— d. XXIII, Bruxellis, Albertus, mortui regis nepos ex fratre, Belgarum rerum potitur, suumque iusiurandum publice emittit.

Ioannes Aicard, dramatum scriptor, inter « academicos immortales » Lutetiae Parisiorum cooptatur.

— d. XXIV, Herrin in oppido Civitatum foederatarum Americae Septentrionalis, carbonis fodina incenditur, pluresque cunicularii horrendam mortem oppetunt.

— d. XXV navalis Sinensium legatio Romam pervenit.

— d. XXVI a multis Hispaniae locis nuntius affertur ex inundationibus ingentia damna tum aedificiis tum agris procedere.

— d. XXIX, Londini, centenaria fit passim commemoratio ab ortu Gladstonii, pubblicae rei viri illius peritissimi.

— d. XXXI Turcarum gubernio praeponitur Hakki Bey, civitatis suae apud Italos legatus.



LIBRORUM RECENSIO

P. ALBERS S. I. — *Enchiridion historiae ecclesiasticae universae ad recognitam et auctam editionem Neerlandicam alteram in Latinum sermonem versum.* — Tomus I. Aetas prima seu christiana antiquitas: annis 1-692. — Tomus II. Medio-aevum: annis 692-1517. — Tomus III. Nova tempora: annis 1517 - hodiernum diem. — (Romae edid. Desclée et soc., MCMIX).

Si, quanti liber aliquis sit faciendus, ex eventu atque exitu coniici licet, hoc profecto *Enchiridion* omnibus prorsus numeris absolutum esse videtur; operis enim totius, quod Neerlandica lingua primum in lucem prodiit, non solum editio altera brevi conficienda fuit, sed conversio quoque in Gallicum, Italicum, Hispanicum sermonem. At re quidem vera plurima ibi renident, quae in eiusdem generis libris iisque pervulgatis saepissime desiderantur; etenim cum rerum inest dispositio subtilis, tum ea potissimum pertractantur, quae ad interiora, aiunt, Ecclesiae incrementa pertinent, quaeque ad dogmatum, ad hierarchiae, ad haeresum rationem spectant. Ita fit, ut ex hoc velut armamentario haud mediocria tela depromi possint, quibus fallaces *moderni-*

starum conclusiunculae captionesque discutiantur. Singulis autem capitibus eorum omnium nomina praetexta sunt, qui quid de quaque re insigne litteris mandarunt. Accedit index nominum et rerum, de quibus toto opere agitur, locupletissimus ille quidem atque ad usum optimus. Iis igitur praesertim, qui theologiae dant operam, gratum acceptumque hoc tam praestabile opus fore pro certo habemus.

De Sancto Anselmo, varia

Non alienum esse videtur eos nominatim persequi in commentario nostro scriptores, qui de Sancto Anselmo res memoratu dignas nuper ediderunt; octavo enim exeunte saeculo a sanctissimi eiusdemque doctissimi viri obitu, multa illius cum de moribus rebusque gestis tum de litteris praeceptisque praeclare scripta esse satis constat.

I. — P. Enrico Rosa S. I. *S. Anselmo d'Aosta, Arcivescovo Cantuariense e dottore della Chiesa. Contributo storico alle feste dell'ottavo centenario.* (Libr. Edit. Fiorentina, Firenze, 1909).

Auctor, qua doctrina instructus est, in vitam praesertim sancti Anselmi inquirit, cuius res optime gestas, ordine enarrat ornatque dicendo.

II. — Dott. Vigna, *S. Anselmo educatore e maestro.* (Comm. *Scuola Cattolica*, mense Augusto, an. 1909).

Quam multa homines huius aetatis invenisse se gloriantur, quae iamdiu sancto Anselmo et ratione et usu penitus perspecta fuisse videmus!

III. — P. Thône. *L'argument ontologique.* (Comm. *Annales de philosophie chrétienne,* mense Iulio, an. 1909).

Caput hoc esse Anselmianae philosophiae neminem fugit.

— *S. Anselmo e Rosmini. La dimostrazione di Dio a priori.* (Comm. *Rivista Rosminiana*, an. III, n. VII et an. IV, n. II).

De magna illa, quam diximus, et salebrosa quaestione ibi etiam agitur.

IV. — C. De Beaupuy. *L'argument de Saint Anselme est « a posteriori ».* (Comm. *Revue de philosophie*, mense Februario, an. 1909).

Peracute quidem omnia hîc scripta invenies; interdum tamen disputatione adhuc opus est.

V. — Mario Brusadelli. *La filosofia di S. Anselmo* (Comm. *Rivistà di filosofia neo-scolastica*, an. I, n. IV).

De nonnullis libris, ubi de sancti Anselmi philosophiae res est, iudicium et censura fit.

VI. — E. Buonaiuti. *Un filosofo della contingenza del secolo XI. Roscellino di Compiègne.* (Comm. *Rivista storico-critica delle scienze teologiche*, mense Martio, an. 1908).

Quo in libro agitur etiam de controversia, quam Roscellinus cum sancto Anselmo habuit; sed ex auctoris sententia novae exsistunt quaestiones nonnullaque in eum animadvertit I. M. Dario S. I. in comm. *Etudes* (t. 120, die XV mens. Iulii, 1909).

VII. — P. Augustinus Daniels O. S. B. *Quellenbeiträge und Untersuchungen zur Geschichte des Gottesbeveise im dreizehnten Jahrhundert mit besonderer Berücksichtigung des Arguments im Proslogion des III. Anselm.* (Comm. *Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters.* N. I-II, vol. VIII).

Opus sane et multi laboris et maximi momenti.

VIII. — *S. Anselmo di Aosta. Arcivescovo di Cantorbery. Scritti varii pubblicati nell'VIII centenario della morte.* (Comm. *Rivista storica Benedettina*, an. IV, n. XV).

Hoc volumen multa multorum scripta complectitur, qui unum id omnes sequuntur, ut Anselmi vitae, animi, doctrinae imaginem adumbrent.

E. C.

AENIGMATA

a Iosepho Wabner proposita.

I.

Iam iam grandaevae tale est mirabile nomen,
Ut diçens retro rite nepos vocitet.

II.

Quae fluida est uvae pars est dulcissima semper;
Utramque in partem nomen idem remanet.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad D.rem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet I. B. FRANCESIA opus, cui titulus:

TARCISIUS

ACTIO DRAMATICA VERSIBUS SENARIIS CONSCRIPTA

Aenigmata an. XII, n. X proposita his respondent:

1) **Do-la-re**; 2) **Venti-lator.**

Ea rite soluta miserunt:

Petrus Tergestinus — Iac. Costa, *Dumio.* — Alois. Moumartz, *Vaals.* — Rich. Brondel, *Brugis.* — T. T. Chave, *Chicago.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — Alf. Martinez, *Badaiocio.* — Maxim. Wronski, *Nowa Wies Narodowa.* — I. M. Meunier, *Corbiniaco.* — Lud. Goux, *Bituricis.* — Alois. Cappelli, *Senis.* — Vinc. Starace, *Neapoli.* — Clem. Fiard, *Curia Rhaetorum.* — Iac. Fernandez, *Mexico.* — F. Correa, *Emerita.* — Mart. Dunne, *Neo Eboraco.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — Rich. Muller, *Berolino.*

Sortitus est praemium:

Richardus Muller,

ad quem missum est Petri Angelini opus, cui titulus:

DE POETIS ET NUMERIS LATINIS.

MONITA

Ob officiorum translationem atque novorum typorum pro VOCE URBIS commissorum adventum tardatum, fasciculus hic et fortasse qui sequetur secunda mensis parte prodibunt.

Spatio hodie deficiente, ad proximum numerum: PETRI ANGELINI, Brevium ad Principes a secretis, LAUDATIO IN OBITU LEOPOLDI II, BELGARUM REGIS. (Dixit ob iusta funebria coram Pontifice habita in Xystino sacello, d. XVII mens. Ianuarii MCMX). — DE SACRA THEOLOGIA, (Scripsit REGINALDUS FEI, athenaei Friburgensis doctor. — COMMENTATIONES PHILOLOGICAE — CARMINA FR. XAV. REUSS. — COLLOQUIA LATINA — IOCI — APPENDIX, etc.

Sponsor: Ioannes Baptista Ciampi, iurisperitus

Romae — Ex officina *Societatis Romanae Editricis.*

Ann. XIII. Romae, Mense Februario MCMX Num. II.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

LEOPOLDI II BELGARUM REGIS
LAUDATIO
HABITA IN AEDE XYSTINA CORAM SS. D. PIO X
A PETRO ANGELINI S. S. AB EPISTOLIS AD PRINCIPES XVI CAL. FEBRUAR. AN. MDCCCCX [1]

De Principe Viro verba facturus, cuius nomen memoria Belgicae gentis excidet nunquam, velim parem rei magnitudini et loci huius maiestati vim afferre dicendi. Qua ingenii facultate etiamsi pollerem, nihilominus et consessus hic orbis terrarum nobilissimus, et augustus praesertim, Beatissime Pater, Tui praesentis adspectus nervos omnes virtutis eliderent. Verum erigit cogitatio, honorificum id munus ab Eo mihi fuisse delatum, cuius in vivos benignitas haud minor est quam pietas in mortuos, et complorati Regis laudem imperitia dicentis extenuari non posse, quippe quae sua luce niteat, non mutuato fulgore, pateatque tam late, ut in ea deesse facundia nemini queat. In uberrima vero copia ad argumentum subiecta conabor summas attingere ac sub uno veluti aspectu ponere, quam bene, civilibus et sacris rebus tuendis, provehendis, Leopoldus rex de sua patria fuerit promeritus.

Olim, quum bella crebrius gererentur atque diuturnius, populorum fortuna tota fuit in re militari posita, eratque prima regibus commendatio ad gloriam si qua ex bellicis rebus comparari potuisset. Nunc vero, positis armis, aut certe ad pacis ornamenta delitescentibus, gratiora sunt ea quae ingenio ac ratione persequimur, quam quae viribus. Quapropter hodierna hominum actio in commodis civitatis tuendis maxime cernitur, omnisque agendi cogitandique solertia in eo versatur ut sit vita munitior, atque ut dando et accipiendo mutuandisque facultatibus et commodandis nulla re indigeamus. Quia vero singulorum facultates et copiae divitiae sunt civitatis, hinc maximo in honore habentur et agrorum cultura et earum rerum, quibus abundamus, exportatio, quibus egemus invectio; mercatura magna et copiosa, multa undique apportans multisque impertiens; industriae omne genus ac studia maxime illarum rerum, quibus excultior fit hominum vita, ipsaque communitas potest singulorum civium vires ad suos usus adiungere.

His bonis affluere Belgas compertum est omnibus, praesertim ab annis quinque ac viginti, ex quo rerum publicarum administratio per catholicos geritur ea felicitate, ut vix gentem reperias quae cum hoc populo angustis finibus circumscripto sit comparanda. Adeo parum firmamenti habent coniectae ab inimicis criminationes in eos qui causam agunt religionis et iustitiae, quasi scopulo adhaereant ab omnique adscensu humanitatis abhorreant! Iam, si ex florente populi statu licet aestimare principem, magna equidem Leopoldo pars est attribuenda laudis. Nec est quod occurratur, in libera civitate, in qua non unius dominatu omnia teneantur, reges esse nomine magis quam imperio. Ne-

(1) Quod Magister clarissimus novo benevolentiae suae erga *Vocem Urbis* testimonio concesserit, ut laudatio haec a nobis ederetur, amplissimas grates referimus.

minem quippe latet quantum fuerit auctoritatis in Belgico rege ad civium voluntates quo vellet inclinandas, aut unde vellet deducendas.

Dignus igitur suo populo princeps oblatus est Belgis, quem, et ad regiam animi magnitudinem natura finxit, et ad cogitandi agendique solertiam assiduus labor conformavit. Ipsius enim regni diuturnitas, annorum quatuor supra quadraginta, nihil fuit aliud nisi amplitudinis reipublicae perpetua, sapiens, invicta defensio. Commeatus abundare; municipia, colonias patere; maritima, augeri commercia; artes quae populi studia conciliant et pergratam utilitatem habent cum dignitate coniunctam promovere: haec omnia ad extremum vitae anhelitum eius menti animoque insederunt. Quod nisi modus in dicendo mihi quaerendus esset, possem rem persequi maximae molis, quae, ab exiguis profecta initiis, auspiciis crevit usque ad invidiam felicibus. Deductas, inquam, ad Congi regiones colonias, unde Belgicae genti multum fortunae ac dignitatis accessit. Qua in re praeclara non desunt iudicia hominum affirmantium, eo prudentiae et celeritatis LEOPOLDUM processisse in arduis consiliis ineundis perficiendisque, ut pauci eidem pares putentur: et, si latius imperium sortitus esset, magna pollere auctoritate in publicis Europae rebus potuisse. Scimus quidem, specie utilitatis, in republica peccari saepissime, ereptoque Regi obiectas fuisse regiones illas Africae ditissimas ad occidentem solem, sui, ut criminantur, commodi causa, exinanitas et exhaustas. Sed hi verbis augent exasperantque incommoda, quae in magna procuratione vitari omnia non possunt. Qui si secum reputarent, de huiusmodi negotiis quid historia doceat; quantum caedis et miseriarum secum tulerint, non dicam reperta America aut illata Indis humanitas, sed hac etiam aetate deductae ad barbaras plagas coloniae; quid ipsi denique obtrectatores in simili causa facturi essent; iam desinerent quaerere, cui bono id genus expeditiones fiant, intelligerentque, sacris tantum praeconibus relictum esse, ut suo, non alieno cruore, terras a se peragratas conspergant. Iis igitur, qui ex hoc numero non sunt, convenit fere divina Christi sententia: *qui sine peccato est vestrum, primus... lapidem mittat* (1).

Ceterum suspicio abest ab homine, qui colonorum impotentiam sedulo inhibuit; qui animi magnitudine et comitate sic enituit, ut communis infimis, altior principibus videretur; qui in quovis negotio singulari prudentia ac temperatione se gessit resque summas absolvit, non terrore belli, sed celeritate consilii; qui reipublicae rationibus ea sapientia et aequitate providit, ut, non solum Belgis merito esset carissimus, sed apud exteras gentes gratia et opibus valeret; qui suae testes liberalitatis habet profugos e Gallia complures, quibus maximo in bello male mulcatis, afflictis, egenis regiam patere domum voluit suaque pecunia opitulari. In hominem igitur ea natura comparatum, de quo viri gravissimi tot ac tam praeclara iudicia fecerunt, haec plane non cadunt.

(1) Io., VIII, 7.

Dixi Caesaris laudes. At vereor ne solemnia pietatis, habita in hac aede sanctissima, longe aliud exquirant. Dicam ergo de catholicae Ecclesiae filio, quo maxime nomine Belgae gloriantur. Belgae, inquam, « genus hominum fortissimum », ut verbis utar a Gregorio XVI prolatis, quum ei legationi futurum pontificem destinaret, Leonem XIII; cuius populi, inquit: « Fides et amor erga apostolicam Sedem et erga suos principes multis rebus ac perdiu constitisset ». Dignum sane praeconium, eventibus comprobatum qui postea sunt consequuti; quandoquidem, etiam per eos dies quibus Belgicarum rerum administratio in arbitrium cessit adversariorum, et quoties exstitit de religione ac libertate contentio, ne latum quidem unguem a maiorum virtute Belgae deflexerint nec habuerint quidquam antiquius quam curam transmittendae ad posteros hereditatis omnium pretiosissimae, avitae fidei. Mittam singula persequi existimationis et benevolentiae testimonia, quibus Romani Pontifices eorum in fide constantiam sunt prosequuti, ad recens usque tempus, quo expletum annum quinquagesimum ab adserto Virginis intaminato conceptu celebrarunt ea significatione pietatis, ut a Te, BEATISSIME PATER, meruerint magnopere commendari, quod ceteris populis insigni incitamento essent.

Iam qui fieri poterat ut, cui alienus a religione animus esset, in eaque re non idem cum populo sentiret, huic, non modo tranquilla et pacata omnia in imperio essent, sed tantum admirationis et gratiae popularis accederet? Quod si scriptum in sacris litteris legimus: *quum impii sumpserint principatum gemet populus;* (1) contra, communis in LEOPOLDUM amor et publicae res ad voluntatem fluentes indicia sunt regiae pietatis. Eiusmodi autem voluntatum conspiratio, ea studia in regem incensa, quum crebro dum vixit, tum vero maxime in obitu, incredibili quadam significatione declarata sunt. Quae privata domus, eo sublato, luctu et lacrimis caruit? Quae vox non desiderium eius memoriamque renovavit? Quae viae Bruxellensis urbis exstinctum patriae lumen squalore suo non doluerunt? Comploratus nempe rex est mente animoque Belgicus, adeoque catholicus, cuius vita omnis esset patriae devota, qualem se futurum spopondit in publica contione, quum in patris regnum hereditario iure successit.

Hanc vero, quam initio dederat, egregie praestitit fidem, non modo in iis quae ad humanioris cultus incrementum, sed etiam quae ad religionem amplificandam pertinerent. Probe enim intelligens, in catholicae veritatis professione originem et fontem humanitatis inesse, impense studuit ut ea beneficia, non intra patrios fines continerentur, sed ad recens additos ditioni suae populos manarent; eiusque propagationis ipse auctor exstitit ac libens patrocinium suscepit. Ex quo

(1) *Prov.*, XXXIX, 2.

illud obtigit, ut Belgae complures, Regis in exemplum, ad nova studia catholici proferendi nominis per Africam gentem statim exarserint. Hanc autem fuisse Leopoldi voluntatem, ut inferendae humanitatis opus Religioni crederetur, ostendunt tot sacrae phalanges ex variis religiosorum sodalium familiis conflatae, quae ipsius excitamentis erectae opibusque regia munificentia dignis adiutae, latissimos illos tractus ab errorum caligine ad veritatis lumen deducendos gloriosam sibi metam constituerunt. Quod si tanta eum incessit cupido quaerendae salutis dissitarum gentium, iam coniici potest quam fuerit de domestica huius generis laude sollicitus. Quamquam, quid opus est coniectura, ubi licet regiae pietatis documenta in illustri posita monumento intueri? Quid enim sibi vult moles illa, quae, in urbe Belgica principe in aedem succrescit sacratissimo Cordi Iesu dicandam, et cum gallico eiusdem tituli templo amplitudine ac splendore certaturam? Exstant Leonis XIII amantissimae Litterae, auctorem consilii actoremque praecipuum Leopoldum laudibus exornantes. (1) Atque hoc loco non est praetereunda vetus necessitudo, quae ipsi cum apostolica Sede intercessit; cuius rei documento sunt datae ac redditae utrimque litterae saepius. Non potuit quidem in libera civitate constitutus impedire quominus ad reipublicae gubernacula illarum partium accederent homines, quorum insanabile ingenium est praeiudicatis in Ecclesiam opinionibus detineri. Horum opera factum est olim ut vincula abrumperentur, quae Belgarum gentem cum Apostolica Sede coniungunt. Verum nec ea tempestate, rex de sua in Romanum Pontificem observantia quidquam remisit: quin etiam constantis fidei significationes ab eo exhibitae speciem quamdam visae sunt habere praesagii, haud ita multo post felicissime comprobandi.

Idem, quo aperto ac sincero animo erat, de religione quid sentiret dissimulavit nunquam, haud sane oblitus acceptam ab Amelia Matre pientissima iuvenilem institutionem. Qua vero constantia patriae suae prosperitati se applicuit, usque adeo, ut, vel quum animam ageret, novam legem de scribendis militibus mente agitaret eique subscriberet; eâdem catholici viri officia usque ad exitum vitae retinuit. Ad quem se maturius comparavit quam fieri soleat ab iis, qui, dum viverent, indignum suis curis duxerunt in supremum rerum dominum mentem animumque convertere. Itaque exitiali morbo correptus medicum obsecravit, si quid instaret periculi, ne occuleret; velle se poenitentiae sacramento admissa expiare et Christi Corpore vesci. Tum vero pie morientium subsidiis per curionis aulici ministerium refectus, ac supremis, Beatissime Pater, apostolicae Tuae potestatis et caritatis muneribus per pontificium legatum auctus ac roboratus, postquam conceptissimis verbis atque iterato declaravit, se in catholicae Ecclesiae sinu atque in eiusdem communione fidei, spei, caritatis velle decedere, adstantium se precibus commendans, in immortalis spem beatitatis conquievit.



Leopoldus II, Belgarum rex.

Tam caro capite orbata nunc luget Belgica natio; tanti viri fastigium concidisse dolent ceterae gentes; coram augustae mortis tropaeo studia partium conticescunt. Historia testis et iudex de ipso paginam sculpit, quam nulla temporum fuga delebit. Verum cui sólacio ista omnia esse putemus, si defletum super tumulum alma se non erigat Spes, iubeatque confidere, exornatum laudibus principem a terrestri hoc domicilio ad piorum sedes migrasse, fruiturum gloria sempiterna? Arduum profecto regendi cuncta onus, et regia virtus eo pluribus est obiecta periculis, quo regni fortuna benignior. Quamobrem haud alienum ab humana infirmitate putandum est, sive in usu potestatis sive in quotidiano vitae consortio, in multis offendere atque identidem ab officii religione discedere. Si quae ab eo,

(1) Ep. die XIII mens. Martii MDCCCIII.

cuius desiderio tenemur, admissa sint, eluat emundetque tot exorata vocibus divina clementia, praesertim illorum, qui adeptam filiorum Dei libertatem ei debent acceptam referre, quo auspice ac duce nancti sunt salutis aeternae ministros. Ad sedes lucis et pacis aditum properet piaculare sacrum, quo summus Ecclesiae Sacerdos voluit supremum suae caritatis officium dilecto Filio exhibere. Est interea cur nobilissima Belgarum gens tristitiae modum imponat, revocetque animum ad illius Viri cogitationem, qui in regnum succedens, non tam hereditate acceptam, quam sua partam virtute causam habet celebritatis et nominis, in quo propterea salus civitatis et gloria maxime nititur. Supremum igitur vale defuncto Regi dicendum ne sit a voto seiunctum, quod pro Successoris incolumitate ac fortuna concipimus, quem et bonis omnibus carum, et, quo pollet ingenio, ad optima quaeque nitentem suavissima Christi religio informet roboretque; illa, inquam, religio, cui recenti serto redimitae cervices perinde sunt sacrae ac regales exuviae corollis aspersae funereis.

De sacra Theologia

Neminem latet sacram Theologiam... principem sibi locum vindicare.
LEO XIII.

Impossibile foret, ea omnia colligere quae de sacra Theologia, circa sacram Theologiam, pro sacra Theologia et etiam contra sacram Theologiam, nedum a Theologis, sed etiam a laicis, qui « Theologi » facti sunt, ultimis temporibus, edita in lucem fuerunt.

Factum hoc ostendit, quam verissime Leo XIII scripserit (1) « In magna et multiplici disciplinarum copia, quae mentis veritatis cupidae obiicitur, neminem latet sacram Theologiam ita principem sibi locum vindicare, ut vetus sapientium effatum sit, ceteris scientiis et artibus officium incumbere ut ei inserviant ac ancillarum more famulentur ».

Spe confisi, ad sacrae Theologiae investigationem operam ferendi, in *Voce Urbis* circa sacrae Theologiae naturam, circa « scientificum », ut vulgo dicitur, eiusdem characterem, necnon illius obiectum, quaedam scribere placet.

***

Circa sacrae Theologiae naturam veteres et moderni Theologi audiendi sunt. S. Thomas (2) affirmat, Theologiam pertinere ad « sacram doctrinam »; Theologia *quae ad sacram doctrinam pertinet;* per sacram vero doctrinam intelligit vel ipsas veritates revelatas, vel fontes veritatum revelatarum uti est Scriptura, vel expositionem quamdam earumdem veritatum, scientifica methodo factam. Ita in priori significatione Angelicus scribit (3): « Quae sunt altiora hominis cognitione... sunt a Deo *revelata*... Et in his sacra doctrina consistit... Quia igitur

(1) Litt. apost. « In Magna » 10 Dec. 1889.
(2) *Sum.* 1. p. 1, 1.
(3) 1. p. 1,.1 1. ad p. 3. in corpore et ad 2.

sacra doctrina considerat aliqua secundum quod sunt divinitus *revelata*... omnia quaecumque sunt divinitus *revelabilia* comprehenduntur sub sacra doctrina... Ea quae in diversis scientiis philosophicis tractantur potest sacra doctrina una existens considerare sub una ratione, in quantum scilicet sunt divinitus *revelabilia* ».

In secunda significatione Angelicus ait (1): « Necessarium fuit... sacram doctrinam per revelationem haberi... Singularia traduntur in sacra doctrina non quia de eis principaliter tractetur, sed introducuntur tum in exemplum vitae... tum ad declarandum auctoritatem virorum per quos ad nos revelatio divina processit, super quam fundatur sacra *Scriptura* seu doctrina... Per auctoritates *sacrae doctrinae* disputamus contra haereticos... Convenienter in sacra doctrina traduntur nobis spiritualia sub metaphoris corporalium ».

In tertia significatione Angelicus (2) ait: « Sacra doctrina est scientia, quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiae... Sacra doctrina proprissime determinat de Deo secundum quod est altissima causa... Unde sacra doctrina maxime dicitur sapientia... per studium habetur licet eius principia ex revelatione habeantur ».

Iuxta igitur Angelici mentem, Theologia sacra est « scientia de revelatis » vel « scientia de fontibus revelationis » vel « expositio quaedam scientifica veritatum revelatarum ».

Dionysius Petavius (1583-1652) S. I, quum aggressus fuisset « universam Theologiam mandare in libris » et quidem « elegantiorem et uberiorem » definit Theologiam « Scientiam quae in Dei et eorum, quae ad Deum quoquo modo pertinent contemplatione consistit ». (3)

Carolus Ren. Billuart (1685-1753) O. P. circa Theologiae naturam scribit (4): « Theologia supernaturalis... describi potest: Doctrina rerum divinarum, ex principiis fidei immediate revelatis conclusiones deducens ».

Sed veniamus ad recentiores. P. Ianssens ait (5) « Theologia est doctrina sacra, ex revelatione hausta, qualem in Ecclesia catholica docti viri scientifice excoluerunt atque iugiter excolunt ».

Iuxta P. Ermoni (6) « Theologia bene intellecta, non est nisi conatus quidam explicandi veritates dogmaticas, easdemque ad systemata reducendi ».

Iuxta P. Prat (7) Theologia sensu generali accepta est « scientia religionis revelatae. »

***

Post hanc definitionum sacrae Theologiae multiplicitatem, quisque videt, quam difficile sit novam Theologiae definitionem tradere. Dicamus igitur: « Theologia est cognitio firma ac stabilis de aliquibus virtualiter revelatis, sub divinae revelationis lumine, ope ratiocinii, ex articulis fidei habita, non excluso neque scientiae historicae neque criticae auxilio, referens nobis ipsam Divinitatem. »

Dicitur a) *Cognitio* hoc est, interior manifestatio

(1) 1. p. 1, a. 1, a. 2. ad 2, a. 8. a. 9.
(2) 1. p. 1. 2. a. 6. ad 3.
(3) *Dogmata Theol.* vol. 1, a. 1.
(4) *Cursus Theol.* vol. 1. a. 1.
(5) *Praelectiones de Deo uno I*, de sac. Theol. definitione.
(6) *Revue du Clergé français* 15 Fev. 1904.
(7) *La Théologie de S. Paul* Introd. I.

mentis: *firma et stabilis* quia stabiles et firmae sunt praemissae ex quibus theologia procedit, atque firma et stabilis est methodus qua procedit. Praemissae siquidem Theologiae, articuli fidei sunt; methodus vero est conformis regulis rationis, scientiae historicae necnon criticae. b) *De aliquibus virtualiter revelatis. De aliquibus,* idest, de praecipuis non de omnibus, quia Theologia agit de hisce quatuor praecipue, de Unitate, et Trinitate Dei, de Dei efficientia, necnon de Reditu rerum creatarum in Deum. *De virtualiter revelatis.* Aliqua veritas dupliciter revelata dicitur, hoc est, *immediate et formaliter, virtualiter et mediate.* Est primo modo revelata, si clare et expresse enuntiata fuerit in sacra Scriptura et absque ullo ratiocinio innotescit, est secundo modo revelata, si in veritate iam clare revelata continetur, et ex hac, ratiocinii ope deducitur. Theologia agit de secundis veritatibus; ex eo quod ex. g. Christus est homo (revelatum immediate) deducit « operationes humanas esse in Christo Iesu ». c) *Sub lumine divinae revelationis,* quia sacra doctrina, ut verbis Angelici utamur, (1) « auctoritatibus canonicae Scripturae utitur proprie et ex necessitate argumentando... Innititur enim fides nostra revelationi Apostolis et Prophetis factae qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si qua fuit, aliis Doctoribus factae ». d) *Ope ratiocinii;* Theologiae enim necessaria est « et auctoritas et ratio. Sed ita tamen, ut auctoritas primas in Theologia partes obtineat, ratio vero habeat postremas ». (2) e) *Non excluso auxilio scientiae historiae,* siquidem Theologia, si vere scientia est, explicare debet causas, propter quas aliquod Ecclesiae dogma, momento determinato temporis maiorem lucem, evidentiam distinctionemque accepit, et evolutionem aliquam accidentalem habuit; quinam fuerint illius fautores et defensores, quinam adversarii eius existentiam negantes. Haec autem omnia, nonnisi per historiam et ab historia praestari possunt. f) *Non excluso auxilio scientiae criticae.* Theologia enim non quoslibet Scripturae sacrae textus, vel quaecumque Sanctorum Patrum testimonia afferre debet in veritatibus catholicis probandis, sed textus et testimonia selecta, comparata, examini subiecta, ac suo loco posita, quae omnia praestare, proprium scientiae criticae est. Si aliter faciat, Theologia merito vocatur a M. Cano (3) « misera », quia « detracta Scripturae sacrae auctoritate, syllogismis contortis de rebus divinis philosophatur ». g) *Ex articulis fidei.* Non conveniunt Theologi, circa articuli fidei notionem, ita ut articulus fidei definiatur a nonnullis « veritas principalis in qua aliae veritates fundantur » vel « veritas in Symbolo Apostolorum contenta » vel « veritas revelata et ab Ecclesia definita ». (4) Iuxta S. Thomam (5) ad articulum fidei habendum tres conditiones necessariae sunt. Prima conditio est; ut sit veritas coaptationem habens cum ceteris fidei veritatibus; secunda vero, ut sit veritas speciali modo non visa, obiectum siquidem fidei, aliquid non visum est; tertia denique est, ut nos directe ordinet in vitam aeternam. Articulus igitur fidei iuxta praedicta definiri potest: « Veritas revelata habens coaptationem cum ceteris fidei veritatibus, sed ab ipsis satis distincta, ac speciali modo non visa, nosque in vitam aeternam directe ordinans. » Ex hisce fidei articulis Theologia procedit atque ab eis conclusiones suas deducit et statuit. h) *Referens nobis ipsam Divinitatem.* Theologia enim est sermo de Deo, est speculum Divinitatis, in quo speculo Deus repraesentatur sub quadruplici adspectu: 1º prouti est « Unus et Trinus in se »; 2º prouti est « Producens creaturas extra se »; 3º prouti est « Reducens creaturas a se productas ad se »; 4º prouti est « Perficiens creaturas a se productas atque ad se reductas ». Hinc exurgunt Tractatus theologici de « Deo uno et trino »; de « Deo creatore »; de « Deo Salvatore »; de « Deo consummante » sive Tractatus eschatologicus.(1)

(1) 1 p. 1. 9 ad 2.
(2) M. Canus *De Loc. Theol.* l. 1. c. 2.
(3) L. c. l. 8. 1.
(4) Cf. Vacant, *Dictionnaire de Théologie* 2023 *article de foi.*
(5) 2. 2ae p. 1. a. 6 et 8.

***

Circa quoque primam Theologiae divisionem, quae est in Theologiam « *Scholasticam et Positivam* » aliter sentiunt veteres, aliter moderni.

Gregorius de Valentia (+ 1603) S. I. haec scribit: « Dividitur Theologia in positivam et scholasticam... Positiva dicitur, quatenus occupatur potissimum in explicando ipso Scripturae sacrae sensu, ad eumque eliciendum tum aliis adminiculis, tum praecipue auctoritate S. S. Patrum utitur. Quo ipso quasi principia firma aliarum conclusionum theologicarum ponit et ideo positiva videtur dicta, quia scilicet ponit et statuit ex Scriptura principia Theologiae firma. Scholastica vero Theologia vocatur, prout explicat et confirmat ac defendit uberius et accuratius fidei sententiam, subtiliter iis etiam rebus animadversis, quae vel ex fide consequentes sunt vel fidei repugnant et quorum perspicentia velut clarissimum quoddam lumen iuvat, ut tenebrae, quas haeretici suis fallacibus argumentis veritati fidei nituntur offundere, facillime despici atque dispelli possint ». (2) Iuxta Ioan. B. Gonet (+ 1681) O. P. Theologia Scholastica illa est « quae artificiosa methodo, et syllogistice rerum divinarum notitiam tradit ». Positiva vero « quae fusiori stylo, et modo oratorio sacras litteras, et mysteria fidei exponit ». (3)

Theologia, inquit Billuart (l. c.) ex parte modi, dividitur in positivam et scholasticam. Positiva est, quae versatur circa s. Scripturas, traditiones, concilia, canones, SS. Pontificum decreta, SS. Patrum opera, antiquitatis facta historica et praxim, ea expendendo, penetrando, vera a falsis discernendo, sensum legitimum explicando, mysteria fidei et veritates revelatas ex eis eruendo, et ex veritatibus revelatis alias deducendo; et haec omnia stylo fusiori, elegantiori et quasi oratorio, atque regulis dialectices minus accommodato. Dicitur positiva, tum quia principia fidei ponit et supponit tanquam theses et positiones, non probat; tum quia s. Scripturae, traditiones, concilia, canones etc., ex quibus procedit, sunt iuris positivi. Scholastica eadem omnino praestat, sed diversa methodo, nempe dicendi genere magis conciso, subtiliori et accuratiori, iuxta regulas dialectices, terminos exponendo, statum quaestionis ape-

(1) Cf. Fei, *Theol. Dog.* V. 1, n. 2.
(2) *Summa* 1. disp. 1, q. 1. 1.
(3) *Clypeus Theol.* Tom. v. 1, *de nat. Theol.* §. 1.

riendo, definiendo, dividendo, syllogizando obiecta solvendo; sicque pariter posset dici positiva, cum et principia fidei supponat, non probet, et ex S. Scripturis, traditionibus, conciliis, etc., pariter procedat; sed dicta est scholastica, eo quod eius methodus usurpetur in scholis et academiis ».

Theologia, scribit P. Prat, (1) dicitur *Positiva* quoties inventarium dogmatis *(faire l'inventaire du dogme)* facit simulque eiusdem dogmatis historicam evolutionem tradit. Dicitur vero *Scholastica* si coordinatis revelationis elementis, conclusiones rationales statuat ad vastum atque harmonicum aedificium construendum, in quo partes omnes ad invicem colligatae sunt.

Pars Theologiae scholastica et pars positiva, ait Bellamy, (2) pariter necessariae sunt pro Theologia, si naturam vere scientificam illius vindicare velimus. Christianismus complete sumptus 1° est factum quoddam magnum historiae, supponens documentorum studium atque eorumdem documentorum perfectam interpretationem. Theologia Positiva hoc praestat. 2° Christianismus est rursus quaedam doctrina, cuius examen menti humanae necessarium est tum ad bases illius verificandas, tum ad eiusdem valorem discutiendum, tum ad res in ea contentas ad systema aliquod reducendas, tum ad eius elementa coordinanda. Theologia Scholastica, munus hoc secundum praestat.

Theologia positiva iuxta Tixeront (3) est scientia statuens dogmatis christiani veritatem, per S. Scripturae necnon traditionis idonea testimonia, ita tamen ut non sequatur dogmatis evolutionem diversis temporibus habitam, atque demonstratio, potiorem locum quam historia in ea habeat. Theologia vero Scholastica iuxta P. De Groot (4) probationem positivam ac philosophicam et systematicam totius doctrinae christianae dispositionem atque tractationem coniungit.

Nobis videtur conceptum Theologiae Positivae et Scholasticae in hisce consistere. *Theologia positiva* dogmatum veritatumque catholicarum existentiam probat, per S. Scripturae, SS. Patrum, Conciliorum atque Ecclesiae testimonia. *Theologia Scholastica* vero, suppositis articulis fidei, tamquam probatis ab exegeta per S. Scripturam, a Patrologiae studioso per P. P. testimonia, a colligente Concilia per Conciliorum auctoritatem; ope philosophiae praesertim Aristotelis, dogmata fidei aliasque veritates catholicas ratiocinando confirmat, coordinat, exponit, illustrat, defendit; novasque ex eis deducit veritates.

S. Thomas (*Quodl.* IV a. 18) satis indicare videtur Theologiae scholasticae naturam per verba: « Quaedam vero disputatio est magistralis in scholis non ad removendum errorem, sed ad instruendum auditores ut inducantur ad intellectum veritatis quam intendit: et tunc oportet rationibus inniti investigantibus veritatis radicem et facientibus scire *quomodo* sit verum quod dicitur ». Satis indicare videtur naturam Theologiae positivae per verba: « Quaedam enim disputatio ordinatur ad removendum dubitationem an ita sit; et in tali disputatione theologica maxime utendum est auctoritatibus, quas recipiunt illi cum quibus disputatur ». Aliis verbis, iuxta S. Thomam, Theologia Scholastica ostendit *quomodo* sint verae veritates fidei; theologia vero Positiva *quod sunt verae.*

Friburgi Helvetiorum.

P. REGINALDUS FEI, O. P.

(1) *La Théologie de S. Paul* Int. I. Cf. TURMEL - *Histoire de la Théol. positive, Préface.* Pro illo Theologia positiva est « *Cette branche de la science sacrée qui assigne à chacun des dogmes chrétiens ses bases tant scripturaires que traditionelles* ».

(2) *La Théol. cath. au* XIX*e siècle chap.* VIII.

(3) *Histoire des dogmes - La Théol. Anténicéenne.* Intr. p. 4.

(4) *Summa Apol.* q. XXI a. 1. - Pro aliquibus Scholastica est « Fides quaerens intellectum ».

HYMNI DUO

IN HONOREM

S. Sophiae Vid. Martyris (1)

I.

Martyrem Christi Sophiam canamus,
quae, trium mater pia filiarum,
prole cum terna superavit astum
vimque tyranni.

Blandiens iudex: « Quia nomen », inquit,
« est tibi clarum Sophiae, sophorum
vive nunc ritu, sapiensque legem
desere Christi.

« Thura si nostrae dederis Minervae,
vita ridebit tibi laeta; quod si
spreveris iussum, moriere crudis
caesa flagellis. »

Fortis at martyr: « Neque me flagella,
nec movent enses; mihi grande lucrum
dura pro Christo tolerare; summum,
fundere vitam. »

(1) S. Sophia, matrona Romana, martyrium passa est anno a rep. sal. CXXXVIII. Eius festum recoliturdie XXX m. Septembr. - Die I mensis Aug., celebratur festum Sanctarum Fidei, Spei et Caritatis, filiarum S. Sophiae, quae et ipsae, hortante matre, martyrium fortiter subierunt. Breviarium Argentoratense, anno MCDLXXVIII editum, tres istas commemorat sorores sub die X Maii, quo die earum Reliquiae in Alsatiam translatae fuerunt anno DCCLXXVII. Eas nempe Adrianus Papa tradiderat Remigio episcopo Argentoratensi, quas hic dein monasterio, nuper a se fundato in pago Eschau, dono dedit, in ecclesia abbatiali servandas.

O feri victrix mulier tyranni!
impetra nobis animum virilem,
nulla quem possint ab amore Christi
vellere bella.

Laus sit excelsae Triadi, feracem
quae vel imbellem dedit esse sexum
martyrum palmis, rutilare visis
omne per aevum.

II.

Dignis quis Sophiam laudibus efferat,
quae, fecunda parens, martyr et inclyta,
trinas promeruit gignere filias,
trinas edere martyres.

Audit prima Fides: « O mihi luceat
haec, inter tenebras, desuper emicans
Fax, vitamque meam dirigat exsulem
donec Patria fulserit! »

Proles altera Spes: « Detque per arduam
ad sedes Superûm tendere semitam;
constanti tribuat me pede currere
ac deflectere nescio ».

Propago Sophiae tertia Caritas:
« Quae sit cura mei maxima pectoris;
Christo surgat ibi fida, perennibus
ardens ignibus, arula ».

Une et trine Deus, splendida martyrum
merces ipse, tuâ luce nitentium,
Urbs te caelicolûm laudet, et aetheri
tellus assonet infima.

FRANC. XAV. REUSS.

Ego ne immortalitatem quidem accipiendam putarem contra patriam; et eos qui pro republica vitam reddiderunt, nunquam mortem potius, quam immortalitatem accepturos putari.

CICERO.

Libertate modice utendum: temperata ea salubris et singulis et civitatibus est; nimia, aliis gravis et ipsis qui habeant effraenata et praeceps.

LIV., XXXIV, 49.

COMMENTATIONES PHILOLOGICAE

De Luciano.

Venio nunc ad eum scriptorem, qui mihi, ex quo eum primo cognovi, semper in deliciis fuit, Lucianum. Cuius notitiam quod non maturius contraxerim — nam in academia quum versarer, ne nomen quidem eius inaudivi — cum mihi, tum maxime doctoribus meis succenseo. Nam est hic scriptor, ut dicam quod sentio, omnium, quotquot Graeca Romanaque antiquitas scriptores ad nostram memoriam transmisit, unus lectu iucundissimus (loquor autem de genuinis Luciani scriptis, non de suppositiciis, quae multa sunt) et is, qui ad recentis aevi sensus proxime se applicet, ita quidem, ut lectori saepe succurrat exclamare: « De nobis fabula narratur ».

Nec iniuria tantum laudis Luciano impertire nobis videmur. Nam sive argumentorum varietatem spectas, est ea sane multiplex et per omnes fere eos scientiae campos divagata, in quibus detineri solent hominum liberalium studia; sive rerum tractationem consideras, summam elegantiam per omnia diffusam, lepore et sale vere Attico tamquam condimento perspersam deprehendes; sive denique dictionis formam et elocutionem intueberis, nisi plumbeus sis, Atticismum mirabere, qualis optimis temporibus fuerat, redivivum nec tam sola imitatione assimilatum, quam ingenii cognatione de radicibus suis denuo creatum. Haec omnia, quae dixi, tam suaviter legentis animum demulcent, ut inter eruditos homines vix inveniri putem, quin haud cunctanter Erasmi de Luciano iudicio subscribat, quo non facile illustrius de ullo scriptore encomium cogitari potest.

Quod autem supra dicebam Luciani dictionem esse venere Attica ornatam: ne quis me ignorare putet esse nonnulla, in quibus Lucianus a prisco Atticismo recesserit. Ea autem tam pauca tamque minuta sunt, ut vix in numerum venire possint, certe legentem nihil morentur, qui, si linguae Graecae satis peritus sit, sua sponte et tacitus in eiusmodi locis id, quod norma Atticismi requirit, substituet. Quem enim offendet particularum quarundam a priore consuetudine discrepans usus, aut optativus in finali sententia pro coniunctivo positus, aut forma aliqua nominis aut verbi superioribus inusitata, aut denique novicium aliquod vocabulum, cuius apud antiquiores nullum, fortasse casu, exstet exemplum? Pusilli sunt isti naevi, vix memoratu digni et qui minime officere queant laudi Luciani, quo nemo inde ab Alexandrino aevo elegantius indolem Atticam repraesentasse reperitur praeter paucissima illa, quae a vitio sui saeculi traxit. Equidem quem hoc nomine cum Luciano comparem, fateor me habere neminem. Nihil ad eum Polybius, vulgari Graecitate usus, nihil vel Plutarchus, in quo etsi Attice scribendi voluntas et conatus manifestus est, tamen ita operose saepe et languide procedit oratio, non raro illa quidem etiam Latinis structuris interpolata, ut longe absit ab Attica elegantia. Neque vero quisquam Arrianum aut Dionem Chrysostomum iure comparaverit cum gratia Xenophontea, nec Cassius Dio, quem Attica exemplaria,

Thucydidem maxime, diligenter versasse apertum est, propter nescio quam morositatem et inaequalitatem adeoque obscuritatem orationis multum commendationis habet. Unicus, quem, si vellet, proxime ad Atticos accessurum fuisse arbitror, est Dionysius Halicarnassensis. Qui cum accuratissima veterum Atticorum, imprimis oratorum, historicorum, philosophorum scientia instructus fuerit et acerrima ac saepe sagacissima de illis scriptoribus iudicia fecerit, sane mirari subit non cavisse eum sibi a quibusdam aevi sui mendis sordibusque, quas tamen evitare tam perspicaci critico facile fuisset. Sed iam in viam redeo.

Quum igitur Luciani scripta et rerum iucunditate et dictionis venustate mirifice se in animos lectorum insinuent, tamen a scholis nostris (loquor autem de disciplina Austriaca) exsulare ea videmus et vel philologorum plerisque aut intacta esse aut non pro merito adamata. Cuius rei quae causa sit praeter minime probandam inertiam, non intelligo. Nam mihi quidem persuasum est, si quis primam cum Luciano notitiam iniens vel paucas paginas, verbi causa Timonis aut Charonis aut Icaromenippi perlegerit, eum « amplius » atque « amplius » clamaturum nec prius quieturum, quam praestantissimos saltem suavissimi satirici libros devoraverit. Tirones certe longe alacriori studio in Luciani lectione retinerentur quam in tractando aliquo horrido Platonis dialogo aut in aliqua Demosthenis declamatione, cuius quae dotes et virtutes sint dubito an vel ex diligentissima magistri explicatione percipiant. Hinc illud in permultis Graecarum litterarum taedium, hinc adversarii nostri ad haec studia impugnanda arma depromunt.

Sed accedit, quod etiam maioris momenti iudicandum est. Nam qui Platonis aut Demosthenis aetate inferior sit Graecus scriptor, nullus in scholas nostras receptus est. Atqui quam multos excellentis ingenii scriptores posteriora tempora tulerint, quid attinet dicere? Quorum unum saltem accuratius cognovisse utique operae pretium fuerit, ut ne totum illud quadringentorum annorum spatium incognitum adolescentibus et ex omni parte praeclusum maneat. Cui consilio quis potest accommodatior esse quam Lucianus? Qui in ipsis confiniis exspirantis antiquitatis et exorientis Christiani aevi collocatus, pristinae Graeciae omnes tamquam radios in scriptis suis complectitur simulque antiquitatis senio confectae, labentis et ad interitum vergentis imaginem expressam ob oculos ponit.

Quis enim luculentioribus exemplis quam Lucianus religionis, artium doctrinarumque et totius vitae civilis in deterius conversionem depinxit et illustravit? Quanto ille lepore non sine acerbitate aniles de veteribus deis fabulas, philosophorum illius aevi ineptias et mores abiectos, oratorum et historicorum perversitates, vitae domesticae, qua pauperum qua divitum, ridiculam actionem exagitavit! Quanta severitate et indignatione cuivis nequitiae et simulationi larvam deripuit et vitia, ubicumque obvia essent, aequalium irrisui et despicatui obiecit!

Hoc loco non alienum videtur Lucianum a quadam criminatione vindicare, ab illa scilicet opinione ab antiquis temporibus propagata et nostris quoque diebus hic illic recocta, fuisse Lucianum hostem nominis Christiani. Quam opinionem diligentior rei pervestigatio ostendit nullo solido fundamento niti, sed potius pro fabula, ne dicam calumnia, esse habendam. Est enim illa orta ex paucis quibusdam perperam intellectis locis libellorum, quorum tituli sunt *Peregrinus Proteus* et *Philopseudes*. Sed quum per spatii angustias et huius nostrae scriptionis consilium nobis non liceat totam hanc quaestionem enodare, his, qui rem accurate cognoscere cupiunt, enixe commendamus, ut Sommerbrodtii prooemium, quod is Luciani editioni suae (1) praemisit, attente perlegere ne dedignentur, unde facile sibi persuadebunt nullam esse causam, cur Christiani nomen Luciani abominemur.

Ut rem brevi praecidam: Doctrina Christiana Luciano paene tota ignota est aut certe admodum perfunctorie cognita. Nusquam apud eum ullum de divino nostrae religionis conditore contumeliose dictum reperitur, Christianos autem ipsos commiseratur potius quam eis maledicit omninoque agnoscendum est Lucianum multo mitius quam alios scriptores antiquos de Christianis iudicium fecisse, mitius videlicet quam Plinium minorem, qui eis « pervicaciam et inflexibilem obstinationem » obiectat, mitius quam Tacitum, qui eorum religionem « exitiabilem superstitionem » nominat. Quos tamen scriptores nemini adhuc in mentem venit ut e scholis nostris expellendos censeret. Tantum igitur abest, ut Lucianus inimicus Christiano nomini fuerit, ut de primordiis Christianismi melius, quam plerique credunt, meritus sit eo, quod veteres commenticios deos de sede Olympica in omne aevum deturbavit eoque, quamquam inscius, nostrae religioni viam munivit.

Sub finem commentationis nostrae non reticendum putamus non posse Lucianum cum vero fructu legi et penitus intelligi nisi ab eis, qui in priscae Graeciae scriptoribus bene multumque versati sint. Nam innumerabiles illorum loci a Luciano respiciuntur aut citantur partim addito partim suppresso auctoris nomine, ut plurimae eiusmodi allusiones eum, qui quo eae referantur ignoret, necessario effugiant.

Sed iam tempus est, ut aliquando peroremus et hanc disputationem concludamus. Hunc igitur, inquam, talem scriptorem agite, iuvenes, legite studiose. Credite mihi quovis pignore contendenti nunquam fore, ut vos operae in Luciani lectione consumptae poeniteat. Ego quidem, si mihi in exsilium ire iusso optio daretur, ut unum tantummodo scriptorem pro meo arbitrio delectum mecum auferrem, quo solitudinem consolarer, nihil cunctabundus Lucianum arriperem, qui mihi instar omnium librorum esset et unicus totam antiquitatem, tum Graecam tum Romanam, quantum quidem pro rerum statu fieri posset, compensaret.

Goritiae.

A. B.

(1) Berolini, apud Weidmannos, 1888.

In proximum numerum:

AD GOLGOTAM

Sacra actio dramatica J. B. Francesia versibus senariis conscripta.

VARIA

De vetustate seminis frumenti.

Quum abhinc annos unum ferme et quinquaginta ad Cairum aperiretur antiquissimum monumentum, seu sarcophagus, condita ibi cum cadavere exsiccato reperta est certa quaedam copia spicarum frumenti. Novem huiusce frumenti grana terrae mandavit doctor rei agrariae tradendae. Haec autem grana post trium millium annorum spatium exaruerant adeo deformataque erant, vix ut eorum agnosceretur natura nec posse fieri videretur, ut germen essent editura. Atqui inter cetera, quae in rerum natura contingunt, illud fuit admiratione dignum, quod, teste uno e sodalibus arvalibus Compiendiensibus, caudex crastitudine par cannae provenit; frondes tria latae erant centimetra; spicae indiscretae similitudinis, quae vicenae in singulis combibus numerabantur, grana habebant lectissima, quatuor in ordines compacta; non pauca itaque granorum, quae sata fuerant, multiplicata bis millies usque esse censebantur. Specimen huiusmodi frumenti, quod fortasse pertinuit ad Sesostris aetatem, certe Cleopatrae, sodalibus arvalibus, quos supra diximus, exhibitum fuit simul et cespites duo metra alti.

T. C.

COLLOQUIA LATINA

Deliberatio de lusu. (1)

DONATUS. — Facta est itaque hodie nobis ludendi copia, Romulde?

ROMULDUS. — Id tu nosti scilicet.

D. — Novi enimvero; ab ipso audivi magistro.

R. — Agedum, quolibet te provoco lusus genere.

D. — Iaciamus funda lapides ad scopum.

R. — Plus huic lusui discriminis quam voluptatis.

D. — Quo nos igitur lusu oblectabimus?

R. — Mihi quidem sphaeris lubet ludere per annulum ferreum.

D. — Hoc lusu nimium quantum me superas. Scio quam valido sis brachio; undecumque globos feris, ut metam transeant, undecumque recta mittis per annulum.

R. — Velim esse vera quae de me praedicas.

D. — Globis missilibus nos exerceamus potius.

R. — Neque viribus, neque arte tibi concessero: ita torquebo globos, Donate, ut si tormentum meum foret brachium.

D. — Periclitabimur tamen.

THEODORUS. — Trahit sua quemque voluptas, amici. Mihi placet venatio a meridie.

R. — Placet et mihi, rerum o dulcissime, qui acceptus maxime apud nos venis. Sed ubi canes? ubi venabula? ubi casses?

T. — Valeant apri et vulpes, nos insidiabimur cuniculis.

D. — At ego ranas captabo.

T. — Humile id venationis genus.

D. — Sed tamen iucundum.

T. — Quo ranas astu decipis?

D. — Aliis atque aliis modis: interdum, ex linea pendula de vimine aut arundine suspendo frustulum panni rubri; ipsum in aquas dimitto: avide id glutiunt ranae et adhaerescunt: illico ex aquis extraho.

T. — O lepidum venatorem!

D. — Iuterdum aliter ranis imposui.

T. — Quomodo: reti?

D. — Non, sed arcu.

T. — Novum piscandi genus.

D. — Ah! non iniucundum! Habeo ballistam modicam, sed longo manubrio; nervo affixum est telum ferrea cuspide, praeacuta et recurva. Manu teneo funem, item nervo annexum: tum autem sicubi ranam undis eminentem aspicio, iaculum admoveo quam possum proxime: nervum adduco, mox impetu remitto in praedam, ut cuspis per ventrem emineat aut femora.

T. — Equidem malo insidiari piscibus. Est mihi hamus elegans, arundo et linea piscatoria ex setis equinis torta.

D. — Sed unde parabis escam?

T. — Lumbricorum ubique magna est copia.

D. — Est, si sibi velint prorepere e terra.

T. — At ego mox efficiam ut sexcenti prosiliant.

D. — Quo pacto?

T. — Talpam simulabo. Hoc ligone terram tremefaciam, quasi si talpa lumbricis infestissima humum moliretur: extemplo exibunt foras... Hem! observa paullisper... Vides emergentes.

D. — Rem prodigiosam video.

T. — Sed quid si potius certemus nucibus?

D. — Nuces admodum pueris relinquamus: nos iam sumus grandiusculi, et quibus lubitum est ludere nucibus, iisdem non indecorum ludere par impar, equitare in arundine longa. Num et hic tibi ludus, Theodore, allubescit?

T. — Nequaquam. At vos praescribite lusus genus: sequar quocumque vocaveritis.

R. — De lusu a meridie conveniet. Hora prima ad urbis moenia conveniamus.

T. — Stricte adero.

D. — Et me non expectabitis. Valete interim in horam primam.

(1) Ex dialogorum libro ANTONII VAN TORRE S. I. Antuerpiae ed. an. MDCLVII. — Passim retractavit I. F.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Consistoriali.

Decretum servandum ab omnibus locorum Ordinariis, qui S. Congregationi de Propaganda Fide subiecti non sunt.

A remotissima Ecclesiae aetate repetenda lex et consuetudo est, qua singuli Episcopi, statis temporibus, Urbem petant, ut sanctorum apostolorum Petri et Pauli limina venerentur, suaeque statum dioecesis exponant Apostolicae Sedi: cuius rei illustria monumenta veteres Ecclesiae annales suppeditant. Eiusmodi autem facti ratio in ipsa Ecclesiae natura et constitutione nititur, atque a sacro Petri primatu necessario fluit, cui christiani gregis universi commissa custodia est, per divina illa praecipientis Domini verba: *pasce agnos, pasce oves.* In utroque autem munere, quum visitationis sacrorum Liminum, tum relationis de statu dioecesis, debitae Petro eiusque successori submissionis et reverentiae continetur officium. Verum, quamvis unum et alterum huius legis caput tot antea saeculis viguerit, serius tamen hac de re certior invecta est disciplina. Est enim Xysto V tribuendum, quod is, Constitutione edita die 20 mensis Decembris 1585, cui initium *Romanus Pontifex*, congrua ratione determinaverit, quibus temporibus et qua lege visitanda sacra Limina essent et reddenda ratio Summo Pontifici de pastoralis officii implemento a Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis: quibus etiam prospexerunt encyclicae litterae sacrae Congregationis Concilii, datae die 16 mensis Novembris 1673. Abbatibus autem *nullius dioecesis* cautum est per Constitutionem Benedicti XIV, datam die 23 mensis Novembris 1740, quae incipit *Quod sancta.*

Haec obtinuit ad nostros usque dies disciplina. Verum, effectis hodie multo facilioribus ac tutioribus dioeceses inter et Sanctam Sedem commerciis, iam praesentis aevi conditionibus haud respondere visa sunt ea, quae in memoratis Constitutionibus decreta fuerunt circa visitationes ad sacra Limina ac dioecesum relationes ad Apostolicam Sedem. Re mature agitata in coetu Eminentissimorum Virorum Pontificio Iuri in unum corpus redigendum praepositorum, conclusa ab iisdem, SSmi. D. N. Pii Papae X iussu, ad S. Congregationem Consistorialem delata sunt, eidemque commissum iudicium, utrum et quomodo eius coetus consilia publici iuris fieri atque in usum deduci possent, etiam ante promulgandum ipsum Codicem. Nunc vero, omnibus diligenter perpensis, iisque inhaerens quae a memorato coetu PP. Cardinalium deliberata sunt, S. Congregatio Consistorialis, de mandato SSmi. Domini nostri, Eoque adprobante, die XXXI mensis Decembr. MCMIX decrevit quae sequuntur:

CAN. I. — Abrogata lege temporum, quibus hactenus visitanda fuerunt sacra Limina et relatio Sanctae Sedi exhibenda de statu dioecesis, omnes locorum Ordinarii, quibus dioecesani regiminis onus incumbit, obligatione tenentur referendi singulis quinquenniis ad Summum Pontificem de statu sibi commissae dioecesis ad normam canonum infra positorum et novi *Ordinis* praesenti decreto adiecti.

CAN. II. — § 1. Quinquennia sunt fixa et communia, incipientque a die 1 mensis Ianuarii anno 1911.

§ 2. In primo quinquennii anno relationem exhibebunt Ordinarii Italiae, et insularum Corsicae, Sardiniae, Siciliae, Melitae, aliarumque minorum adiacentium.

§ 3. In altero, Ordinarii Hispaniae, Lusitaniae, Galliae, Belgii, Hollandiae, Angliae, Scotiae et Hiberniae, cum insulis adiacentibus.

§ 4. In tertio, Ordinarii imperii Austro-Ungarici, Germanici et reliquae Europae cum insulis adiacentibus.

§ 5. In quarto, Ordinarii totius Americae et insularum adiacentium.

§ 6. In quinto, Ordinarii Africae, Asiae, Australiae, et insularum his orbis partibus adiacentium.

§ 7. Et ita per vices continuas singulis, quae sequentur, quinquenniis.

CAN. III. — § 1. In prima cuiusque Ordinarii relatione ad singula quaesita, quae in adiecto *Ordine* continentur, distincte responderi debet.

§ 2. In relationibus quae sequentur sufficit ut Ordinarii ad quaesita in singulis articulis contenta dicant, utrum novi aliquid habeatur, nec ne. Adiicient vero quomodo et quo fructu ad effectum perduxerint monita et mandata, quae S. Congregatio in sua responsione ad relationem significaverit.

§ 3. Relatio latina lingua est conficienda.

§ 4. Subsignanda autem erit, praeterquam ab Ordinario, ab uno vel altero ex *convisitatoribus*, qui de statu dioecesis magis conscii sunt et de ea testificari possunt. Ipsi vero circa ea quae ex relatione noverint, si publici iuris non sunt, gravi secreti lege adstringuntur.

CAN. IV. — § 1. Omnibus et singulis pariter praecipitur ut, quo anno debent relationem exhibere, beatorum apostolorum Petri et Pauli sepulcra veneraturi ad Urbem accedant, et Romano Pontifici se sistant.

§ 2. Sed Ordinariis, qui extra Europam sunt, permittitur ut alternis quinquenniis, id est singulis decenniis, Urbem petant.

§ 3. Huic obligationi Ordinarius, vel ipse per se, vel per Coadiutorem aut Auxiliarem Episcopum, si quem habeat, satisfaciet; vel, iustis de causis a S. Sede probandis, per idoneum sacerdotem, qui in eadem dioecesi stabilem commorationem teneat.

CAN. V. — Si annus exhibendae relationi adsignatus, ex toto vel ex parte, inciderit in primum biennium ab inito dioecesis regimine, fas erit Ordinario ab exhibenda relatione, et a visitatione sacrorum Liminum peragenda pro ea vice, abstinere.

CAN. VI. — § 1. Proximo anno 1910 Ordinarii, qui relationis et visitationis obligatione tenentur, ex benigna SSmi. D. N. venia eximuntur.

§ 2. Annis autem 1911 et 1912 a relatione et visitatione abstinere licebit Ordinariis, de quibus in §§ 2 et 3 CAN. II, qui anno 1909 iuxta veterem temporum periodum legi satisfecerunt. Qui vero de statu suae

dioecesis referent, hi ad normam novi *Ordinis* a S. Sede statuti huic muneri satisfaciant.

Can. VII. — Denique quum sacrorum Liminum visitatio et relatio dioecesana ad Apostolicam Sedem non sint confundendae cum lege de visitatione pastorali dioecesis, idcirco vigere pergunt rescripta a Concilio Tridentino, sess. xiv, cap. III *de reform.*, his verbis expressa: « Propriam dioecesim (Episcopi) per se ipsos, aut, si legitime impediti fuerint, per suum generalem Vicarium aut Visitatorem, si quotannis totam propter eius latitudinem visitare non poterunt, saltem maiorem eius partem, ita tamen ut tota biennio per se vel Visitatores suos compleatur, visitare non praetermittant ».

(Sequitur *Ordo servandus in relatione de statu Ecclesiarum* sexdecim capitulis dispositus, quorum titulus — praeter *Prooemium Relationis,* — est prouti sequitur: *1.* Generalia de statu materiali. — *2.* De fide et de cultu divino. — *3.* De iis quae ad Ordinarium pertinent. — *4*, De Curia dioecesana. — *5.* De clero generatim. — *6.* De capitulis. — 7. De parochiis earumque rectoribus. — *8.* De Seminario dioecesano et de Seminario interdiocesano seu regionali. — *9.* De institutis religiosis virorum. — *10.* De institutis religiosis mulierum. — *11.* De populo generatim. — *12.* De iuventutis institutione et educatione. — *13.* De piis sodalitatibus aliisque religiosis consociationibus. — *14.* De piis legatis et eleemosynarum collectionibus. — *15.* De operibus piis et socialibus. — *16.* De editione et lectione librorum et diariorum).

Ex Congregatione de Religiosis.

Declaratio circa studia a Religiosis peragenda.

Nonnulli Superiores Generales Ordinum et Institutorum Sacrae Congregationi Negotiis Sodalium Religiosorum praepositae humillime exposuerunt difficultates, quas parit immediata executio recentiorum Declarationum circa studia, d. d. vii mens. Septembris mcmix [1]); sive quia alumni in propriis illorum Collegiis degentes, qui ad Novitiatum ingrediendum iam existimabantur sufficienter apti, in Collegiis ipsis, ad statum curriculum studiorum perficiendum adhuc permanere debent; sive quia ipsae novitiorum domus per aliquod tempus claudendae erunt, quum haud facile sit reperire alumnos ad tramitem Declarationum undequaque instructos. Ideoque supplices preces dederunt, ut, quousque iuxta placita ipsius Sacrae Congregationis res apprime ordinentur, praefatas Declarationes benigniori quadam ratione interpretari fas esset.

Sanctissimus autem Dominus Noster Pius Papa X, cui haec omnia Cardinalis S. Congregationis de Religiosis Praefectus retulit in audientia diei xxi mens. Decembris mcmix, rem mature perpendere dignatus est aequa lance cum expositis difficultatibus bona librando, quae ex immediata executione dictarum Declarationum Ordinibus et Institutis provenient, quae quidem bona non potest esse, quin cedant in utilitatem ipsius Ecclesiae Universae. Et sane, hisce praesertim difficillimis temporibus, aequali ac Sacerdotes saeculares debent scientia pollere Sacerdotes Regulares, quorum consilia Fideles non minori sane fiducia expetere constat; scientia veris vocationibus nedum adimat, potius confert stabilitatem; quod si nonnullos abuti contingat scientia, Ordinis vel Congregationis sumptibus acquisita, et ante ingressum in Novitiatum discedere, melius est illos abire, quos ex hoc ipso patet non habuisse propositi constantiam, imo nec amplectendae vitae religiosae animum vere sincerum; longe minor est Ordinibus et Institutis timenda iactura, si minus frequentati, vel prorsus vacuae per aliquod tempus novitiorum domus existant, quam si plenae Sodalibus non adaequate institutis; praestat selectus numerus alumnorum stabilium, quam magnus praetereuntium, integre summopere curandum, ut id quod numero erit inferius, spe reddatur uberius.

His igitur aliisque permotus argumentis, idem Sanctissimus Dominus Noster minoris faciens difficultates expositas, supplicibus precibus haud annuendum, idque omnibus Superioribus Generalibus Ordinum et Institutorum in normam et regulam significandum duxit.

(1) Cfr. *Vox Urbis*, an. xiii, n. I, pag. 12.

Dubia circa professionem Religiosorum.

A Sacra Congregatione Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita sequentium dubiorum solutio expostulata fuit, nimirum:

I. Quidam Religiosus, dimissus, ab una Domo Ordinis, de consensu Superioris Generalis, in alia Domo eiusdem Ordinis ad Novitiatum admissus fuit ante Decretum d. d. 7 mens. Septembris 1909, (1) quod incipit « *Ecclesia Christi* », sed post eiusdem Decreti publicationem, professionem votorum simplicium emisit, non implorato Indulto Apostolico. Quaeritur, utrum valida sit professio, an vero sanatione indigeat. — *Resp.* Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

II. Quidam Religiosus dispensatus a votis emissis in alio Ordine, Congregatione vel Instituto, ad Novitiatum in diverso Ordine admissus fuit ante publicationem supradicti Decreti. Quaeritur, utrum ad professionem votorum simplicium indigeat Indulto Apostolico, an vero absque Indulto valeat professionem emittere. — *Resp.* Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.

(Ex decr. d. iv mens. Ianuarii mcmx).

DIARIUM VATICANUM

(Die i mens. Ianuarii — d. i mens. Februarii mcmx)

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adivere, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Belgicae, Borussicae, Columbianae, Argentinae, Bavaricae, Monacensis et Russicae civitatis administri cum aulicis suis; Urbani principes Giustiniani-Bandini et Lancellotti eorumque familia; Thurn Comes e Valsassina, optimatium Austriaci coetus legatus; Pignatelli d'Angiò Cavaniglia princeps, eiusque uxor; Pontificium Lusitanorum Collegium; Ioachim Caso, Boliviensis civitatis administer cum omni potestate apud Apostolicam Sedem; Bonearenses alumni e Pontificio Collegio Pio Latino Americano; Rumenorum administrorum consilii praeses; Anglici et Beda Urbani Collegii alumni; Urbanum Canadiense Collegium; Boissarie doctor Lapurdensis; De Benomar Comitissa eiusque fami-

(1) Confr. *Vox Urbis*, an. xiii, n. I, pag. 13.

lia; Othorinus Gentiloni Comes; Marins de Carpegna Comes, eiusque uxor; Belgica legatio Pontifici sollemniter nuncians Alberti I, novi regis, in civitate sua adventum; Gilbertus Brom, historici Batavi Instituti moderator; Gothofridus Kurth, historici Belgarum Instituti praefectus eiusque collegae; Carolus Bratli, historiae magister ex Dania.

Pontificiae electiones.

— Anastasius Rossi, Vicarius generalis Papiensis, archiepiscopus Utinen.; Carolus Liviero, Archipresbyter et parochus Agnen. Patavinae dioecesis, episcopus Tifernaten.; Augustinus Laera, canonicus parochus et provicarius generalis Acquaviven., episcopus Oleastren.; et Ioannes Iosephus Rice, parochus S. Petri de Northbrige episcopus Burlingtonen., renunciantur.

— Petrus Respighi, Cardinalis in Urbe Vicarius, Sacrosanctae Lateranensis Ecclesiae Archipresbyter a SSmo dicitur, loco Purpurati Patris Francisci de Paula Satolli, vita functi.

— Excmus. vir Franciscus Leo Gauthey, episcopus Nivernen. ad metropolitanam ecclesiam Bisuntinensem; et excmus. vir Nilus Mac Neil, episcopus S. Georgii de Terra Nova, ad metropolitanam Vancuveriensem promoventur.

— Excmus. vir Sylverius de Souza, archiepiscopi S. Sebastiani Fluminis Ianuarii coadiutor, ad dioecesim Adamantinam transfertur.

— Excmus. vir Corradus Busch, episcopus Spiren. inter episcopos Pontificio solio adstantes adsciscitur.

— Post obitum Tusculani Suburbicarii Episcopi Francisci Card. Satolli, Administrator Apostolicus ad illam diocesim mittitur r. v. Alexander Lupi, in scholis Seminarii Romani doctor.

Vita functi viri clariores.

Die VII mens. Ianuarii MCMX, Romae, Purpuratus Pater **Franciscus de Paula Satolli,** S. Congregationis studiorum praefectus, vir divinarum humanarumque rerum cognitione insignis. Natus erat in oppido Marsciano Perusinae archidioecesis die XXI mens. Iulii MDCCCXXXIX, in Sacrum Senatum cooptatus d. XXIX mens. Novembr. MDCCCXCV.

ANNALES

Cretensis quaestio.

Quae nunc apud omnes Cretensis quaestio appellatur et est de conatibus, quibus illius insulae cives a Turcarum iugo se subtrahere tandem aliquando student, currentis quoque anni exordia iterum conturbavit.

Haec autem novissimae controversiae summa. Administrorum collegio, cui Mauromikalis praeerat, in Graecia a munere recedenti ob militaris foederis favorem sibi ablatum quum alterum esset suffectum, praeside Dragoumis, id praesertim novi administri sibi proposuere, ut foedus militare sponte solveretur, eius consilio sequuti, nationis coetum « constituentem » convocandi. Tum Cretenses, qui iam legatos suos deputandi apud quemlibet coetum qui Athenis cogeretur, ius repetebant, eo maiore vi institerunt, ut facultas legatorum mittendorum sibi esset illuc, ubi maiore auctoritate de rebus decerneretur quae fundamenta pubblicae rei effici possent.

Hisce affectationibus Turcarum gubernium commotum, nationes, quibus quasi tutela Cretensis insulae commisa fuerat, certiores fecit, inde belli casum facili oriri posse. Intelligens vero iudicium sanaque mens nunc etiam vicit, ipsaque Graecia de consiliis suis prudentibus atque pacificis Turcas confirmavit, pro certo edicens constituentis coetus coitionem fortasse usque ad anni finem iri dilatum, atque ita fore ut et congruum maturi consilii capiendi tempus Cretensibus detur, ac tutoribus populis commode providendi occasio.

Sic nubila nunc etiam fauste ac feliciter evanuerunt, pacisque sol, universum orbem radians, clarissime iterum emicuit.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia** nova comitia habita inter « unionistarum » et « liberalium » factiones maxime agitata; quae tamen prope viribus aequales ex agmine discesserunt.

In **Borussia** Germanici imperii cancellarius von Bethmann Holweg rogationem legis de comitiorum ratione innovanda legatorum coetui proposuit.

In **Gallia** post confirmatam legem de institutione liberorum omni partium vinculo soluta, rationes expensarum pro bello in disceptationem vocatae.

In **Germania** civilis coloniarum ratio et commercii foedus cum Lusitania rata habita.

In **Hispania** Moret eiusque collegis administrorum munere abdicantibus, novum suffectum collegium, cui Canalejas praepositus.

In **Iaponia** nova coetus sessio Katsura et Komura administorum orationibus inaugurata.

In **Italia** Sonnino, gubernii praeses, proposita sua eiusque collegarum fusa oratione exposuit.

In **Norvegorum regno** contendentium factionum compositae res per novum administrorum collegium, cui Konow praefectus.

In **Russia** votum a legatorum coetu emissum pro exilii poena non in Siberiam modo, sed in quamvis imperii regionem, abolenda.

In **Turcarum imperio** Hakkius, novus gubernii praeses, administrationem ex integro renovandam in aditiali oratione sua protulit.

ARRAE GORGONIAE

« Vox Urbis » commentarii appendicem, vid. in pag. 32.

PER ORBEM

Die II mens. Ianuarii MCMX, Romae in Capitolio, Shackleton, australium regionum explorator, publice cohonestatur.

— d. III, Missolungi, centenaria dies commemoratur ex quo Byron poeta primum Graeciam tenuit.

— d. IV, Voisvins in oppido ad Burdigalam, Leo Delagrange, audax ille aëronauta, cum aëroplano suo in terram praecipitat, miseroque fato occumbit.

— d. V, Athenis, necopinato incendio regiae domus pars absumitur.

— d. VI, ad Tuticum, curruum series vapore acta e ferreis saxibus egrediens pluribus viatoribus mortem aut vulnera apportat.

— d. IX, Petropoli, aedes Nicolai Nicolajevic, magni Russorum Ducis, igni vastantur.

— d. X, Rubino, Italicus administer, et Millerand, administer Gallorum, Tenda in colle conveniunt, ad novum ferriviae iter constabiliendum, quod amicos duos populos denuo coniungat.

— d. XIII, Los Angelos oppidi in aërodromo Paulham aviator ad passus mille et quingentos cum machina sua tollitur.

— d. XVIII, Constantinopoli, aedes publici coetus legibus ferendis flammis omnino vorantur.

— d. XIX, Forocornelii moritur Andreas Costa, publicorum legatorum e socialistarum factione in Italia princeps.

— d. XXII, Lutetiae Parisiorum, Sequana flumen e limitibus suis excedens, urbem inundat atque immensa damna procurat.

Matriti magnis honoribus excipiuntur milites ex Africano bello reduces.

— d. XXIII, Romae, novae iustitiae tribuendae aedes forensi conventu inaugurantur.

— d. XXV, Neapoli, vehementi maris motu opposita fluctibus per urbem moles heic illic delentur.

— d. XXIX, Grasse in oppido vita fungitur Eduardus Rod, Helvetiorum scriptor praeclarus.

DOMESTICA FUNERA

Dum hic « Vocis Urbis » numerus prelo mandatur, cl. Dr. IOSEPHUS FORNARI Antoniam filiam vix decennem lethali morbo correptam sibi videt.

Dilectissimi Commentarii nostri Moderatoris immensi luctus participes, ex ipsius desiderio piacularia ab sociis omnibus animae dulcissimae invocamus.

Die XVII mens. Febr. MCMX.

LIBRORUM RECENSIO

De duabus *humanistarum* orationibus nuper editis

Non dubito quin huius Commentarii lectoribus, eiusdem italicae gentis praesertim, gratum facturus sim, si pauca eos de duabus *humanistarum* orationibus nuper editis, edoceam.

Qui eas effodit, is est Dr. Carolus Müllner, vindobonensis, (1) qui nonnullis annotationibus instructas, ad varias scilicet codd. lectiones pertinentibus, quibusdam autem praemissis, in lucem evulgavit. Altera in codice Ottobon. 1153, fol. 115 bis 117 invenitur; altera in cod. 39 bibl. Gadd. plut. 90 sup., fol. 34ª bis 45ª. Ambae vero cuiusdam ponderis et momenti sunt, quippe quae confirment ac validioribus ferme argumentis evincant quae iam de iis diiudicare consuevimus qui saec. XV et XVI latine soluta oratione usi sint.

Altera sic inscribitur: *Ludovici Carbonis oratio ad illustrissimum Marchionem et praestantissimum ducem Borsium Estensem petentis ut excellentissimo oratori ac poetae Guarino Veronensi, magistro suo, succedat in legenda rhetorica et poetica.* Altera autem: *Oratio Marcelli Virgilii habita in principio lectionis, cui titulus: « nihil admirari ».*

Illa, elegantissime quidem scripta et quasi verborum floribus conspersa, admonet nos auctorem peradulescentem, sui ingenii viribus fretum seque nimis extollentem, eloquentiae cathedram a duce Estensi petivisse, quod Guarinus Veronensis, « homo doctissimus atque eloquentissimus, et praeceptor observandissimus », legendae rhetoricae ac poëticae laborem, aetate iam ingravescenti, abiecisset. Videtur enim sibi occasio oblata esse, qua ingenium suum possit ostendere. Quis enim iustius Guarino succedat quam Guarini discipulus? Pergit auctor sua in litteras merita intolerantius iactare et testimonia nonnulla proponit de se bene existimantia. Se enim affirmat unum esse, cui eloquentiae palma tribuenda, cui studia humanitatis commendanda, cui oratorum, poëtarum, historicorum et Graecarum litterarum lectio committenda sit, quod litteras graecas ab homine « omnium excellentissimo » Theodoro (scil. Theod. Gaza) didicerit. Ut autem eorum obiurgationes refellat, qui fortasse graviorem et constantiorem aetatem ad id munus suscipiendum requirant, quaedam affert exempla, ab antiqua historia deprompta, e quibus eluceat iuvenes saepe in republica administranda, in consiliis dandis, in imperio recreando ac restituendo optime se gessisse.

Non desunt iuventutis elogia, Cicero, Hortensius in medium affertur, Homerus quoque comparationes suppeditat: his demum precibus oratio terminatur ne qui, ex omni hominum memoria eloquentissimus esse videtur et dignus certe oratoris nomine, humanissima studia negligere, aut eloquentiae facultatem minus quam ceteras bonas artes colere velit.

Secunda autem oratio, cui titulus horatianum illud: *nihil admirari,* haud caret dicendi apparatu et quoddam redolet artificium.

Ad Florentinos auctor conversus, post praeloquium plus nimio productum in quo, « antecessorum » fortuna commemorata, utpote qui ex temporum tranquillitate iucundissimos securitatis suae sensus capientes ingentes fructus aucta re Latina reliquerint, quum nihil autem supersit quod gratum simul et novum apud audientes fiat, nonnullisque praeterea supervacaneis additis, exponere aggreditur quae fuerit et quae futura sit ex his studiis, scil. bonarum artium, utilitas.

(1) Vide *Neues von den italienischen Humanisten, in Jahres-Bericht des K. Staats-Gymnasiums im VI Bezirke von Wien für das Schuljahr* 1908-1909.

Causa enim disserendi hac sententia innititur: « omnia nostri animi vitia nullam habere aliam maiorem communioremve causam quam aut nimiam aut falsam admirationem fugiendarum et expetendarum rerum, quarum altera nos ad alia pigros, altera ad alia temerarios efficit, nec esse item aliud, in quo maiora felicitatis nostrae fundamenta iacere possimus, quam aut nullam, si fieri possit, aut iustam saltem rerum admirationem ». Quam in rem longe lateque argumenta expressa affert.

De falsis hominum indiciis queritur, solidiores Aegyptios dolet foedis animalibus honores constituisse, quos apud cani vel thorus in templo sterneretur; ex ignorantia fieri admirationem monet, nihil timere, fortunam tolerare, iniurias ferre, in exiliis bono animo esse oportere, minime divitias amissas aut nunquam possessas, quae a fortuna « precariae » accipiantur, dolere. Multiplici et varia fere rerum omnium cognitione quaerenda est animi tranquillitas abigendusque rerum omnium metus et inanis fortuitorum agonia... Felices profecto nimium quibus ex cognitione causarum maiestatem naturae contingit non admirari! Fuerunt qui crederent navigia retineri adhaerente tantum pisciculo semipedali! Stultos! quorum negligentia culpanda sit! Non tarditatis causa pisciculus est, sed nautarum inscitia quae longo itinere patitur navigiis subercscere paulatim algam, muscum etiam et spumarum lentorem quibus inhaerentibus adsunt iam conchae illae et echeneides quae spuma pascuntur vivuntque illic ceu in pascuis suis.

Postremum auctor docet potentiam Dei non esse timendam, quod natura illi sit benefacere et gratis beneficia dare, fervidisque verbis huiuscemodi studiorum annonam ad amplissimos patres commendat.

Vidimus iam quid sibi hae duae orationes proposuerint, quave causa ortae sint: nunc pauca de auctoribus addenda censemus. Ludovicus Carbo, natus Ferrariae, iam inde ab adulescentia in litteris bonisque artibus eruditus, optimis clarissimisque sane illius temporis praeceptoribus usus est, Guarino Veronensi et Theodoro Gaza, ut ipse nos admonet. Quum Guarinus, aetatis causa, abdicare se ab institutione coactus est, is annum vigesimum quartum tantum agens, ut eius in locum supponeretur, petivit, et a. 1456 in Ferrariensem Universitatem accitus est ad rhetoricam poëticamque legendam. Multas orationes peregit, inter quas eminet quam ad Guarini funera habuit quamque in *Reden und Briefen ital. Hum. Wien 1899* a Müllnero insertam videmus.

Marcellus autem Virgilius Adriani, vel potius M. Virgilius, ut se vocari cupiebat, vir totus in antiquorum scriptorum cognitione versatus, parum sermonis italici amans, verborumque magis quam rerum studiosus, florentinus, Laudini ac Politiani discipulus, ab a. 1497 ad 1502 magna cum laude eloquentiam professus est.

Hoc quoque familiariter Machiavellius usus, una cum eo reipublicae scribae munere functus est; quin immo ex illius çonsuetudine haud parum eruditionis, optimis sane exemplis nutritae, in suum dicendi genus derivavit: hinc igitur sermonis nitor prudentiaque bene ac venuste sententiarum perdifficilium exprimendarum, originem ducunt.

Orationes et de medicina libros scripsit plurimos, Dioscoridemque diligentibus commentariis illustravit et vertit.

Iam tum non deerant qui humanitatis studia pro re vili habentes, molestum et inutile quoddam impedimentum iuventuti existimarent: Adrianus pro his, incredibili quodam ardore, ad populum vocem misit et singillatim adversariorum crimina refellit (1).

(1) Qui plura de M. Virgilio scire voluerit, adeat Villari lib I, 320 (*Machiavelli* etc.); Tommasini (*La vita e gli scritti di N. M.*, Roma, 1883); W. Rudiger, *M. V. Adrianus aus Florenz, Halle*, a. S., 1897; D. Barbaran, *Lettere dell'A. a Niccolò Valori* (Padova 1880).

Ut quae supra diximus colligamus, his verbis concludi potest: Ex his duabus humanistarum orationibus nuper editis, longe patet nimia ingenii doctrinaeque iactantia, ac verborum ampullae quibus maxime ii tunc temporis delectabantur. Verum, ut res optimo iure diiudicemus, Lud. Carbonis oratio, quamquam brevior, purior esse videtur, in qua sermonis ornatus et copia quaedam ciceroniana, eluceat; Virgilii autem, ut pro argumento, intemperantior, barbaris quibusdam vocibus inspersa et haud semper labore limae perpolita inanique elocutione abhorrens.

Marcus Galdi.

P. Sichirollo. *Nomenclatura tomistica nella teoria del miracolo,* con l'appendice: *I miracoli e i modernisti.* (Rovigo, 1909).

Specimen hoc est operis magni ponderis, quod cl. auctor adgressus est, ut Thomisticam doctrinam explanaret apprime atque defenderet. Quod si licet parva componere magnis, non est ferme dubium quin optimo cum fructu opus idem venturum sit; siquidem cum fructu paginae nunc vulgatae leguntur; quibus appendicis modo accedit examen circa miraculi doctrinam a Le Roy et Blondel in Annalibus christianae philosophiae exhibitam.

P. Ios. Gredt O. S. B. *Elementa philosophiae Aristotelico-Thomisticae,* vol. I, Logica, Philosophia Naturalis. (Edid. Herder, Freiburg, 1909).

Operis clarissimi philosophi nunc in Urbe doctoris editio haec altera quae emendata dicitur, potius renovata appellanda est, eaque quae scholis maxime accomodata prostet. Ibi enim praecipue styli nitor, praecisio diligens, lucidus ordo, et continua tironibus exercitatio, qui tum Aristotelis tum Thomae Aquinatis ipsa verba sub oculis indesinenter habent. Locus quoque fit philosophicis argumentis his diebus maxime in disceptationem vocatis, quae auctor clarissime enodat atque solvit.

W. James, *Précis de psycologie traduit par P. Baudin et G. Bertier.* (Paris, Rivière, 1909).

Iamesii docendi ratio sapientibus satis nota est; is enim suum peculiare fecit, difficillimas quaestiones in maximam simplicitatem reducere, ut scientifico - prout vulgo dicitur - apparatu exutae, debiliores animos ad se tollant eosque ad illas cognoscendas impellant. Huiusmodi novo huic Anglico operi tribuendae laudes, atque simul Baudinio et Bertierio, qui in Gallicam linguam idem optime transtulerunt.

A. C. Seward, *Darvin and Modern Science. Essays.* (Cambridge, Univ. Press., 1909).

Darwinii nomen id est, ut etiamnunc sapientum mentes occupet; haud igitur mirum hoc anno, in quo iubilaris eius commemoratio celebratur, multas de homine eiusque doctrina commentationes fuisse vulgatas. Harum aliquot collegit Seward, eas praesertim, quas eius collegae in naturae mysteria investiganda incumbentes, ad rem scripserunt. Quamquam earum certe nonnullis assentire ullo modo nequimus, non tamen negare possumus a Sewardiana collectione Darwinismi in saeculi XIX cogitatorum certa satis scientia motum conici licere,

I. F.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis *eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

Mons. L. Schuller. *Repertorio per le istruzioni popolari sulla Confessione sacramentale.* Opus SS. D. N. Pio PP. X dicatum. Perutile sacris oratoribus atque catechistis. Tribus indicibus iisque copiosis pluribusque narrationibus et exemplis ex historia depromptis locupletatum. — Editio III - Romae edid. Desclée et soc. (Ven. lib. 4).

Orazio Premoli, Barnabita. *Fra' Battista da Crema.* Opus iuxta documenta inedita ad historiam religiosam saec. XVI magis magisque enucleandam redactum. — Indidem. (Ven. lib. 1,75).

Card. Alfonso Capecelatro. *La nostra Religione studiata nella vita della famiglia, della Chiesa e della civiltà.* — Indidem. (Ven. lib. 0,30).

Giulio Baudot. *Il Breviario Romano.* Breviarii Romani origo et historia his paginis describitur. — Indidem. (Ven. lib. 1,80).

Fr. Alexius M. Lepicier O. S. M. *De stabilitate et progressu Dogmatis.* Editio altera ampliata — Indidem. (Ven. lib. 5).

Rene-Marie de la Broise. *La Santissima Vergine.* — Indidem. (Ven. lib. 2).

Georges Goyan. *Santa Melania* (CCCLXXXIII-CDXXXIX). — Indidem. (Ven. lib. 2).

IOCI.

Pius II Pontifex Anconae quum versaretur, audiretque illic adesse proxenetam quemdam Senensem, virum intelligentem, et, ut putabatur, supra omnes aetatis suae perspicacem, eum, ut qui talibus ingeniis delectaretur, ad se acciri iussit. Post aliquantum colloquii voluit Pontifex eiusdem annos cognoscere. — « Unum et sexagesimum sum natus » inquit. Hic quum Pontifex dubitare videretur, nudavit ille caput et canos suos ostentavit. Admiratus Papa quomodo non etiam barba incanuisset, sed vix quadragenarium eum demonstraret: — « Ne mireris — audivit —, Pater sanctissime, quandoquidem capilli amplius viginti annos barba seniores sunt ».

***

Quum audivisset Erasmus docentem Baptistam Pium, cuius oratio monstrosa et inusitatis verbis erat referta, interrogatus ab amico, quid iudicaret: — « Longe — respondit — vicit opinionem meam ». — « Quidnam? » subiecit ille. — « Quia — inquit — antea ineptum esse iudicavi; nunc prorsus insanum esse comperio ».

***

Apud avum nescio quis nepos felices ac beatos praedicabat usurarios, quippe quibus res sua vel dormientibus augeretur et cresceret. Tum ille: — « Ergo tu miser et infelix es, qui vigilans rem tuam imminuis ».

Sigismundus imperator in Concilio Constantiensi a Cardinali Piacentino notatus est violatae grammaticae. Tum ille: — « Si nos sumus supra leges, cur non etiam simus super grammaticam? »

***

Hebraeus cum Christiano contendens affirmabat plures Iudaeos esse in caelis sanctos quam Christianos. Paciscuntur ergo ut uterque suos singillatim recenseat et ad unumquodque nomen alteri pilum e barba revellat. Incipit Hebraeus: nominat Abrahamum, et ex pacto pilum Christiano vellit. Christianus nominat S. Petrum, idemque facit. Pergunt hoc modo. Tandem pertaesus Christianus: — « S. Ursula — clamat — cum XI millibus virginum! » et in barbam Iudaei invadens, totam simul diripit.

***

Vir nobilis cum servo secundo fluvio devehebatur. Quem quum somnus urgeret, eidem servo mandavit, ut quum ad verticem, locum periculosum ventum esset, sese expergefaceret. Servus dominum videns placide consopitum et iucundam eius quietem interrumpere nolens, dissimulavit. Evigilat dominus, et: — « Num prope vorticem sumus? — Atqui — ait servus — iam eum transivimus » Hîc ille iratus: — « Pessime — inquit. — Te sic negligere mandata mea? Si sic dormiens submersus periissem, istac te manuballistula confodissem ».

AENIGMATA

a Iosepho Wabner proposita.

I.

Est aliquid, quod volt imitari bestia quaedam.
Si facis hoc, facti bestia nomen habet.

II.

Est instrumentum, quo occulte vulnera dantur;
Et pars corporis est, mortiferum illud huic.
Ordine perverso si stabit nomen utrumque,
Terra erit, incolae ubi, ex more, priore necant.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet ALEXII M. LEPICIER opus, recens editum, cui titulus:

De stabilitate et progressu Dogmatis.

Aenigmata an. XII, n. XI proposita his respondent:

1) **Humus**; 2) **Cicer-o**

Ea rite soluta miserunt:

Guilelmus Schenz, *Ratisbona.* — Petrus Tergestinus. — Hugo Kelly, *Tullamore.* — Rich. Müller, *Berolino.* — Maxim. Wronski, *Nowa Wies Narodowa.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — Alex P. Gest, *Trentonio.* — Rich. Brondel, *Brugis.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — I. Wabner, *Varsavia Polonorum.* — I. M. Meunier, *Corbiniaco.* — Alex Fásztusz, *Szatmar.* — Mart. Dunne, *Neo Eboraco.* — Alois. Cappelli, *Senis.* — Clem. Fiard, *Curia Rhaetorum.* — F. Correa, *Emerita.* — Vinc. Starace, *Neapoli.* — Fr. Guerra, *Aletio.* — F. Arnori, *Mediolano.* — Iac. Fernandez, *Mexico.* — Lucius Rhaetus, *Bucarestino.*

Sortitus est praemium:

Ludovicus Goux,

ad quem missa est

IOANNIS BATTANII

Anthologia parva Graeco-Latina.

Sponsor: Ioannes Baptista Ciampi, iurisperitus

Romae — Ex officina *Societatis Romanae Editricis.*

ARRAE GORGONIAE

I.

Vigilia aderat iam noctis tertia: undevicesimana castra penes Bructerios, inter Amitiae fluminis fontes mediumque Luppiae fluminis cursum, (ibi enim ad Bructerios prospiciendos muniri legionem Quinctilius Varus consul iusserat) decuria comitante optio circumlustrabat.

Dormientibus castris omnis armorum strepitus per altam noctis quietem silebat, nisi quem properantes circa vallum alterni vigilum gressus ederent: sed hirta circum atque densissima nemora, quae undique ex oppido ad imum castra cingebant, late ululabant vehementi vento quassata. Imminente nitido Iulii mensis novilunio, stellis sine numero splendebat caelum, at nullum per densa silvarum galeae vel cuspides vigilum remittebant lumen. Exiguum agmen alia post aliam adventare primum, modo discedere excubiae animadvertebant: nec alius sonitus tandem superfuit, nisi silvarum vento frementium, quo interdum consedente, lenis murmur ex ima valle aquae fluentis strepebat. Profecto, Luppia flumen non magis quam biscentum ab aggere passibus Rhenum versus defluebat, cuius argenteas spumas tremulis splendoribus tacitae stellae lingebant; at Naiadum Driadumque nocturnas choreas densissimae arbores a custodibus undevicesimanis invidae prohibebant.

Repente vero, per summam quietem repetiti sagittarum sonitus circa vallum septentrionale auditi: ac simul altus equi nitritus ungula quatientis viam. Mox additus ramorum strepitus, quos properantis impetus impelleret, avelleret, atque frangeret sensim. Tunc igitur excubia prima, quae pro porta principali ad velitum tentoria vigilabat, (Lucanus quidem erat tirunculus, nec unius quidem anni stipendia meritus) pilum arripuit, ac, turbato licet animo ob insolitum media nocte equitis adventum, per silvae limen, ubi iter ad flumen hiabat, concito pede ultro se obtulit. Nondum vero decimo gressu processerat, quum equus e silva erupit, hirtis crinibus, fumanti anhelitu, oculisque terrore insigni micantibus ita ut per ipsam noctem splendescerent.

Miles autem contra belluam prosiliens nihil territus laevam in fraenum dedit, hinnientem ac frementem totis viribus retinuit, iamque equitem elata cuspide petens:

— Recita signum — obiurgavit — aut statim feriam!

At ille, morae impatiens, irata voce redarguit: — Eques Romanus sum, solve lora — atque in his, admoto calcare, belluam concitavit, quae, extollens sese ac vibrans cervicem, retinentem pene subvertit. Pedes vero, mordicus fraeno haerens, altius vicissim increpuit: — Custodiam ago, aedepol, da signum, aut vivus non procedes!

— Martem obtestor! — retulit ille — duriorem bardum inveni nunquam: iamque indigere te sentio ut crasso capiti ense medear! Imperatoris e castris venio; vestrum signum quî sciam?

Mox novo equi concussu iactatus: — Abeamus — addit — cito, tirunculé: audisne quam frequens mors circumvolitet?

Dum enim uterque sub vallo disputat, stridere tela undique ac prosilire ex opposito nemore audiebantur et propius et longius tenebras noctis ferire. Repugnabat autem contumax adhuc pedes, quum hinnitus altissimus et quasi ululatus equi ex ore prorupit, seseque excussit bellua tanta vi, ut quasi expulsatum follem equitem prope deiecerit.

Hic tamen lora retinens genibus ac poplite calcitrantem compescuit, iamque calcar rursus tentabat, quum clamavit statim tanta voce, ut vulneratum extemplo alter crediderit:

— Mala te pestis perdat!... ecquid miserrimo mihi?

— Habesne? — rogavit inferior — quid clamas?

— Non ego, hercle, non ego: at anima mea Pegasus. Age, palpa, tiro, habet miser in latus!

Prosilierat ex ephippio interea eques atque ipse vulnus palpabat cruentamque excutiens equino sanguine manum peditis attonitam faciem irrorabat. Qui, licet causae inscius, qua equi vulnus tam vehementer illum afficeret, flexit animum tandem. Tunc sustinentes utrinque fraenum ad stationem ambo progrediuntur. Eos vero sequebatur ululans prae dolore bellua, quam herus anxie per tenebras blandiebatur, voculisque iteratis nitebatur frustra placare.

Hac ratione quum portam attigissent, facularios obviam accurrere viderunt, quos centurio excubiarum miserat, ut clamoris insoliti causam explorarent. Ex quibus decurio progressus statim pediti imperavit:

— Quid est, Macci, quid clamas?

— Haud ego clamo, at hic...

— Sat est — intercepit eques, tuque, decurio, caudicem hunc lauda, qui a me, Varianis e castris veniente, signum quaerit, quousque Pegasus vulneraretur. Admovete, quaeso, taedas, ut carissimae belluae vulnus videam!

Admota facula lustratur equus, visumque in latere telum defixum sanguisque e vulneris labiis continuo prosiliens in humum. Erat autem bellua statura procera ac nobilissima forma, cuius oculi, fletu prae dolore suffusi humano veluti ictu micare ac precari videbantur. Nec eques minore cruciatu affectus apparebat, qui modo belluae suaviter blandiebatur, modo decurioni conquerebatur, modo tirunculo furens imprecabatur.

At decurio tandem morae impatiens sistere militem se coram iussit sciscitavitque:

— Quis es atque unde mitteris?

— Ancus Atilius Vibenna nominor, qui meo equo stipendia facio: Vari Imperatoris ad Caecilium legatus veni.

(Ad proximum numerum).

I. A. Costaggini.

Ann. XIII. ROMAE, Mense Martio MCMX Num. III.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

PIO X PONT. MAX.

IN DIEM EIUS NOMINALEM S. IOSEPHI, COMMENTARIUS " VOX URBIS "

A. MCMX

URBIS VOX ego sum, Quirina proles,
annos ante decem duosque nata.
Numquam muta fui: Leonis olim
virtutes cecini diesque festos,
et Te nunc Decimum cano Piorum.
Canto; namque dies ter auspicata
Iosephi rediit, viri Mariae,
cuius grande geris piumque nomen.

Plaudit Roma, Pater; Tibique longum,
curis quod [illegible]cet, ominatur aevum.
Plaudunt purpureis togis amicti
Patres, Pontificum sacer Senatus;
plaudit (densa cohors in Urbe) quisquis
vestem fert amethystinam sacerdos;
plaudit nobilium phalanx virorum
et fidus vigilaxque Vaticani
custos: Helvetius Quirisque miles.
Omnis plaudit item sub axe caeli
tellus, unde ferax epistolarum
imber depluit usque gratulantum.

Quod si nulla tuas in orbe laudes
gens aut lingua tacet, tacere numquid
VOX URBIS poteram, latina cantrix?
Nequaquam: pereo, silere iussa.

Ergo Te cecini, quaterque fudi
denos Hendecasyllabos, Catullo
caros. Vive diu, supreme Pastor,
dilectus Superis Gregique sancto,
cui Tu pascua pandis a venenis
tuta, et pervia nec lupo voraci,
nec vulpi, spoliis opertae ovinis.
Instaurata Tibi videre fas sit
in Christo male firma ubique regna.
Discat Gallica gens suos tyrannos
et latas, Satana iubente, leges
eiurare, scholis Deo reclusis.
Antiquis redeat regenda Roma
Romanis; Sinaim petant Hebraei!.....

At ne garrula sim, Pater, loquaces
trunco versiculos, Valeque dico.

Dictante Voce Urbica scripsit
FRANC. X. REUSS.

SOCIIS ET LECTORIBUS

Commentarii Nostri humanissimis

Proposita nostra, quae in fasciculo Ianuarii mensis enunciavimus, quanto cum favore accepta sint, litterae, adhortationes et consilia ad nos undique missa luculentissime evincunt. Animo itaque eo magis forti atque erecto in itinere pergimus, id pro certo habentes, non verbis tantum sed re tot socios et amicos — quibus amplissimas gratias publice referimus — promissis mansuros: *res* autem et subnotationes sunt et laborum participatio, ad quam iterum socios omnesque, athenaeorum alumnos praesertim, quibus latina humanitas cordi est, etiam atque etiam invitamus, collegium clarorum virorum hodie proferentes, qui *praemia argenteorum numismatum* iuxta regulas, quas ediximus, pro meritis suo tempore attribuent.

Quod quidem collegium constitutum est prouti sequitur:

1) Caesar De Angelis S. I.
2) Fr. Xav. Reuss C. SS. R.
3) I. I. Berthier O. P.
4) Thomas Vignas S. P.
5) Iosephus Fornari, *a secretis;*

ad cuius domicilium (Romam, *Via del Governo Vecchio, 96)* scripta mittenda erunt.

S. R. E.

DE EXPEDITA DISCENDI RATIONE

Quum anno superiore in hisce paginis aliquid scriberem, illud, si meministis, inter alia contendebam (1) in optimis studiis lente quidem esse festinandum; nec studiosae iuventuti quicquam esse perniciosum magis, aut inimicum, quam paucissimis annis gravissimarum disciplinarum studiis immorari, quae multum et temporis et laboris omnino requirunt. Ex quo argumenti genere non defuerunt qui apud me occasionem obtrectandi arripuerint: quasi vero, proposita hac tanta studiorum difficultate, iuvenes ab suscepto eorumdem cursu retardari et magnos illos, quos ad litterarum ludos attulerant, animos despondere contingat. Quorum opinio tametsi et ratione et communi experimento refutari facile possit, quum compertissimum sit, quae obvia et unicuique exposita maxime sunt, homines ea negligere atque contemnere; ad illa vero, quae ardua et multo difficillima, eos fortiter aggredi et maiori studio et voluntate duci: malo tamen mitiori eiusmodi hominum ingenio indulgere, quam erga ipsos durior, aut parum officiosus videri. Temperabo itaque austeram illam dicendi rationem, et molliori suscepto argumento, tyrones milites, si qui forte severitatis metu a nobis olim dilapsi sunt et in fugam coniecti, ad musarum castra hodierno die revocare conabor. Quare aditus quosdam breves admodum et expeditos cupidae litterarum iuventuti hodie indicare statui, per quos, si velit, propere possit ad veram doctrinae laudem pervenire.

⁂

Duo sunt omnino, quantum ego intellego, quae cum in omni vita, tum praesertim in bonarum artium studio plurimum valere maiores nostri semper existimarunt, amor nimirum et diligentia. Quorum alter animum excitat, et subiectis veluti facibus ad agendum inflammat: altera vero facit, ut id, quod eximium et laude dignum, homines magno conatu summoque labore assequantur. His quidem ducibus ad optimas disciplinas iter facile et expeditum maioribus nostris semper patuit; hanc unam illi brevem et rectissimam ad litterarum studia viam nobis tritam reliquerunt.

Putant nonnulli, et falso quidem, aetatis nostrae ingenia tardiora esse atque hebetiora, quam antiquorum fuerint. Putant effoetam iam esse naturam, et magnorum ingeniorum semina penitus interiisse. At haec, si vera essent, liceret utique nobis de natura gravissime conqueri, quod erga nos non parentem egisset, sed novercam; quodque illorum mentibus ingenii florem instillasset et succum, nobis autem quisquilias et porriginem reservasset. Quum vero ex multis, quae hoc nostro tempore longe subtilius inventa sunt, aut quae ingeniosius quam antiquis temporibus pertractantur, facile sit intelligere, non tardiora nunc esse, quam olim fuerunt ingenia; quum insuper et plura et uberiora nobis quam illis praesto sint ad discendum subsidia, quid aliud tandem in caussa esse dicemus, nisi quod nos non eodem amore, neque eodem, quo olim, studio honestissimas disciplinas prosequamur? Et quidem incredibile ac prope immensum semper fuit sapientum in perscrutanda veritate desiderium; atque adeo inexplebili sciendi cupiditate conflagrarunt, ut nihil tam arduum, nihil tam alte positum, ad quod eorum diligentia et industria non pervaderet. Nihil est enim, ut M. Tullius affirmat, quod studio et amore effici non possit, nihil tam arduum, tam eminens, quo amor eniti non valeat.

⁂

Quanta vero fuerit eiusmodi vis amoris, quantaque cupiditate homines sapientissimi ad optimarum artium possessionem aspiraverint, nullo sane luculentiori argumento dignosci posse crediderim, quam ut videamus diligentiam prope incredibilem, qua eosdem doctrinae assequendae caussa usos fuisse ex annalium testimonio accepimus. Quum enim probe perciperent, inane esse

(1) Cfr. *Vox Urbis* an. XII n. X-XI

ac perridiculum illud sciendi desiderium, quod cum summa industria ac diligentia minime coniungeretur; nulla erat difficultas, nulla vis, nullum incommodum, quo ipsi ab instituto studiorum cursu retardarentur; et quominus perpetuos dies noctesque scriberent, aut sese immensis lectionibus occuparent. Quamobrem Cicero ipse ad Atticum scribens de se ipso testatus est, incredibile esse omnino quantum scripserit die, quin etiam noctibus. Nihil enim, inquit, est somni.

At nostra aetate iuvenes, qui non labori, sed otio, non vigiliis, sed somno, non libris, sed ludis libentissime vacant, lttteras tamen se amare et in deliciis habere profitentur. Imo, quae incredibilis amentia est, quum laborem et industriam fugiant ut nihil supra, ita tamen sibi de suo ingenio blandiuntur, ut viros perquam doctos et litteratos se posse fieri sibimet stultissime persuadeant. Enimvero nobis etiamsi suadeant, ut ait Comicus, non persuadebunt. Nam quae maior excogitari potest temeritas, quam oscitanter et quasi per otium id velle assequi, ad quod obtinendum eos qui clarissimi evaserunt tot labores suscepisse videmus?

At dicet aliquis: non pauci iuvenes praeceleri praediti sunt ingenio, et memoriae vi multa pollent. Quasi vero maiores homines natura tardi atque ingenio hebetes fuerint. Quem autem unquam invenias, qui cum Pythagora, cum Platone, cum Aristotele, cum M. Tullio aliisque plurimis ad nostram usque aetatem eius disciplinae viris sit ingenii praestantia et amplitudine conferendus? Quam ergo illi sibi sapientiae laudem diu multumque laborando compararunt, hanc tu homo ingeniosior minimo negotio, vel etiam, si Diis placet, paucissimis diebus referes? O ridicula capita! O stultitiam singularem!

***

Sed longius iam, quam par erat, progressi sumus. Ut finem dicendi faciam, ad vos quotquot legitis, ingenui Adolescentes, se convertit oratio mea: vos magnopere hortatur atque obsecrat. Si maiorum gloriam aemulamini, si dignitatem litteratorum hominum, quod sane praeclara vestra indole dignissimum est, praeoptatis; eorum pariter in discendo ardorem, eorum labores et studium, eorum diligentiam atque industriam imitari velis remisque contendite. Breve profecto vobis atque expeditum patebit ad doctrinam iter, si eorumdem vestigiis insistere vos minime pigeat. Magnum quidem et arduum negotium suscepistis: non id inficior. Sed illud primo cogitate: nihil esse amanti difficile, nihil impervium. Volat, ut aiunt, amor, si quo aliter pervenire non possit. Deinde tantam esse sciendi voluptatem, ut omnis studiorum labor suavissimus fiat; atque etiam saepe, licet sit revera durus et diuturnus, minime tamen sentiatur.

P. Lucensis.

Imperare sibi maximum imperium est.

Sen., *Ep.* CXIII, 24.

PHILOSOPHICAE DISPUTATIONES

MODERNISTAM INTER ET THOMISTAM (1)

Actus voluntatis pendere immediate nequit ab actu cognitionis sensibilis.

Modernista. — Mihi de rebus in ultimo nostrum colloquio inter nos disputatis plenius cogitanti intelligere prorsus videor Neo-Kantistarum, quos vocant, sententiam de primatu absoluto voluntatis, cum sensu communi atque quotidiana experientia minus cohaerere, imo penitus pugnare. Inde ab obiectionibus supersedeo, si quae forsan remanent, afferendis: quae ceterum nonnisi leviores apparent, atque ex infra disputandis sane corruent, nisi potius propria natura evanescant.

Id igitur ut ratum sartumque tenemus, videlicet hominem nihil velle nisi praecognitum, ut vulgatum fert axioma, ne contendamus hominem, ubi actum quemcumque voluntatis exerit, primo insanire, deficiente intellectus seu rationis actu, etsi postmodum aliquatenus sui compos et rationalis evadat, dum nonnullas qualescumque disquisitiones de his quae prius voluit, imo et fecit, ratio instituit.

At vero, quum duplex a vobis asseratur in homine cognitio, alia videlicet sensibilis, alia intellectualis, edisserendum remanet quaenam ex hisce duabus ad voluntatis actum promovendum necessario requiratur. Ubi statueretur ad actum huiusmodi sufficere cognitionem sensibilem, longe facilius promptiusque Thomistas inter et ceteros, praesertim hodiernos philosophos, pax et concordia iamdiu turbata instauraretur. Quid igitur tibi de hisce statuendum videtur?

Thomista. — At nos Aristotelis et Aquinatis asseclae cognitionem sensibilem minime ad impellendam voluntatem per se sufficere reputamus atque enixe docemus.

Cuius sententiae momenta ac rationes haud aegre, nisi vehementer fallamur, patent. Id imprimis quam attentissime pensandum est, scilicet in homine qua homine, nullam dari cognitionem mere sensibilem, neque dari posse: quod si semel comprobatum erit, extemplo id sequetur, voluntatem non moveri cognitione mere sensibili, quae reapse in natura deest.

Rem vero ita se habere absque negotio patet. Intellectus quippe dum excitatur in actum secundum eumdemque proprium, ut naturalis causa in actum eumdem exit.

Ipse autem ex natura sua sensu excitatur, ita ut sensus nihil prorsus cognoscat, neque cognoscere valeat, quin intellectus simul de eodem nonnihil cognoscat et cogitet.

(1) Cfr. an. XIII, n. 1.

Atque rursus e converso impossibile est intellectum humanum, in statu nostro praesenti et connaturali, aliquid cognoscere, quin vicissim ad phantasmata sese convertat: unde ligatis sensibus ligatur et intellectus actio.

Ex quibus principiis experientiae consonis, id imprimis eruitur, nullam prorsus cognitionem humanam mere sensibilem, vel mere intellectualem dari, aut dari posse, dum anima sensibus unita, eosdemque informans remanet.

Hinc aliquando istud statuit Angelicus, post varias utrinque adductas comprobationes, tum nempe, « quod anima per intellectum cognoscit corpora cognitione immateriali, universali et necessaria », tum « quod impossibile est intellectum secundum praesentis vitae statum, quo passibili corpori coniungitur, aliquid intelligere in actu nisi convertendo se ad phantasmata » (1).

Cuius explanationes et argumenta tibi qui legas et perlegas omnino suadeo. Id tamen sedulo nota, intellectum nempe dum corporalia intelligit, non per similitudines materiales, sed per similitudines immateriales intelligere.

Quae conclusio, ut sane vides, amice dilectissime, id iam primo ad responsionem infert, voluntatem de facto non moveri nec moveri posse ex cognitione humana mere sensibili, siquidem ista non existit. Ubi igitur sensus nonnihil percipit et cognoscit ut amabile, vel secus, extemplo de eodem iudicat ex natura propria intellectus per intellectionem, cuius erit obiectum voluntati ut amabile, vel secus, proponere.

Ceterum alia asserti praedicti ratio hic addenda videtur. Uterque scilicet hominis appetitus, sensitivus nempe et intellectivus seu voluntas, nonnisi proportionata eademque praevia cognitione moveri potest et debet: secus enim effectui non assignaretur ratio sufficiens.

Sed vero cognitio mere sensibilis nullatenus appetitui intellectivo proportionatur, ut patet. Istius enim obiectum proprium est bonum ut bonum absolute, sub cuius ratione formali movetur et vult quodcumque vult: huiusmodi autem bonum sensus neque attingit neque attingere potest sub eadem formali ratione, propter naturarum diversitatem, siquidem ex natura propria sensus non attingit nisi bonum particulare et sensibile. Unde dispar prorsus est cognitio mere sensibilis ad excitandum appetitum intellectivum seu voluntatem, immediate, per se, ex propria natura.

Intellectus enim primo res sensibiles quasi ad se in specie intelligibili trahit, quasi puriores facit, rei essentiam sub elementis materialibus percipiens ac discernens, atque postmodum voluntati exhibens.

Neque exinde quis obiiciat ex cognitione sensibili oriri posse actum appetitus intellectivi, non secus atque ex eodem oritur actus intellectionis, qui sane diversus natura est. Neque enim eadem est intellectus et voluntatis indoles in agendo; siquidem intellectus res ad se actu proprio quasi trahit, accipiendo immaterialiter res materiales, siquidem quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur: unde intellectus, prout immaterialis immaterialiter recipit. Voluntas e contra ad res ipsas tendit seseque iis conformat: unde ad ipsius propriam operationem quae spiritualis est obiectum proponi debet quod sit in se spirituale, videlicet ab ipso intellectu purificatum a conditionibus sensibilibus erutum et exemptum, quum istud per se praestare nequeat voluntas.

(1) 1ª q. 84, a. 1, 7.

Ratio nempe edit iudicium, aut verum, iuxta rei veritatem, aut falsum contra eamdem, ubi, v. gr. facilius approbat vel reprobat practice ea quae sensibus sapiunt: ex quo iudicio se se movebit voluntas, sicut ipsamet eadem voluntas non movet sensum nisi praevio nonnullo sensus quasi iudicio.

M. — Quae omnia perspicua mihi satis videntur. Nonnulla tamen mihi quaerenda remanent, quorum explanationem a philosophia tua enixe peto, rogo. Id clarius fusiusque mihi edisseras velim quo modo voluntas velle potest quod sensui arridet, reprobante ratione, quin statim inde sequatur voluntatem nonnunquam non obsequi rationi ipsi, sed sensibus parere, quod tamen ut impossibile iam pronuntiasti.

T. — Ea igitur penitius investiganda nobis sunt, inchoando ab ipsamet hic proposita difficultate. Potest utique voluntas sensibus obsequi idque appetere quod rationi alicui prorsus repugnat. Experientia quotidiana et nostra et aliorum id testatur, nos videre meliora probareque, at deteriora sequi. Quod tamen nullatenus fit absque aliquo rationis iudicio.

Ratio nempe quaedam approbat aut reprobat theoretice ut legi superiori consona vel contraria: dum e converso damnare practice poterit ea quae theoretice approbavit, vel approbare quae damnavit, respectu habito ad passiones humanas, vel ad bonum aliquod particulare verum aut apparens, quod melius sibi esse hic et nunc iudicat, errando practice, quam bonum superiori legi conforme. Etiam peccando voluntas aliquod iudicium sequitur, illud nempe iudicium quo homo falso iudicat sensibus et passionibus hic et nunc obtemperandum esse. Quinimo utrumque iudicium, theoreticum nempe et practicum, cohaerere simul debent, nisi velis omne vel meritum vel demeritum evanescere. Ratio iudicat, et quidem theoretice, legi necessario obsequendum esse, dum practice iudicat hic et nunc obsequendum, quod erit meritum et bonum, vel non obsequendum, quod erit demeritum et peccatum.

Quae doctrina praedicta penitiori investigatione comprobari sane potest.

Voluntas scilicet non vult neque velle potest nisi bonum sibi rationis imperio iussum, siquidem ad imperium pertinet omnes facultates hominis, ut animalis rationalis, ad actum secundum movere, exercitium amoris et operis iubere.

Imperio autem praest electio, quum imperii obiectum non sit nisi bonum electum, verum aut apparens, quod electio ut magis amabile hic et nunc approbat.

Electioni demum praeit iudicium, discernens bonum inter et bonum, quodnam scilicet sit hinc et nunc amore dignius.

Quae omnes operationes sane nonnisi ab intellectu seu ratione esse possunt, quum ad sensus nullimode pertineat bonum simpliciter cum bono conferre, proindeque eligere et imperare. Voluntas igitur humana à sensuum actibus non movetur directe et immediate.

His adde voluntatem ut dominam et liberam imperare sensibus iure proprio, istisque obtemperare vel secus pro libitu posse. Unde sensus voluntati simpliciter obnoxius et servus est, neque dominari ex se potest.

Quae omnia, ubi recte pensabuntur, assumptum penitus demonstrabunt, voluntatem moveri cognitione non quidem sensitiva, sed intellectiva.

M. — Optime quidem! Sed tamen inde erui et sequi videtur cognitioni sensitivae nullas in movenda voluntate partes competere: quod absonum videtur et omnium dictis et experimentis contrarium.

T. — Imo partes egregias sortitur huiusmodi cognitio, non solum quia principium quadamtenus est intellectivae cognitionis, dum allicit intellectum agentem, ipsique exhibet quasi materiam circa quam agat; sed etiam quia quo vividior fuerit, eo vehementius intellectum impellit, indeque saltem mediate, voluntatem humanam.

M. — Quaestio, fateor, mihi sufficienter elucidata remanet de ineptitudine cognitionis sensitivae ad movendum immediate ac per se voluntatem humanam, quae motio ad cognitionem intellectivam sane competit.

Nihil tamen hucusque disputatum a nobis est de eiusdem indole, conditionibus et partibus, de quibus omnibus alias sermonem, si tibi libuerit, faciemus.

Gratias interim tibi ex corde pro dictis et explanatis refero, idque saltem mercedis percipe quod, me fatente, sine invidia communicaveris ea quae sine fictione didicisti.

I. I. B.

Spatio hodie deficiente, ad proximum numerum:

DE SYLLABI PII PP. X

PROPOSITIONE XXVII

(Scripsit P. Reginaldus Fei, catholici Friburgensis athenaei doctor).

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Anagyrum commoves.

In eos, qui sibi ipsi malorum auctores sunt, quique in suam ipsorum perniciem quempiam irritant. — Unde ducta sit paroemia varie narratur ab auctoribus. Alii ad fruticis naturam referunt, cuius meminit in tertio libro Dioscorides, quem quidam magyrum, quidam anagyrum appellant; nonnulli acopon, medicamentis quidem efficacem, verum odore maiorem in modum gravi, maxime si manu teratur: cuius fructus gustatus vehementem vomitum promovet. Unde vel ab odoris molestia, quae carpentem consequitur, adagium ductum videri potest, quandoquidem et acopi vocabulum indidem apparet repertum, vel a concitandi vomitus efficacia. Meminit huius et Plinius (lib. XXVII, c. IV). Sunt qui dicant Anagyrum locum fuisse in Attica, qui ad tribum pertineret Erechteidem, auctore Stephano, ubi frutex quidam gravissimi odoris plurimus proveniret; ut Anagyrum pro frutice non secus accipiamus, quam Anticyram pro elleboro. Rursum alii Anagyrum genium quemdam existimant, qui propter violatum sacellum suum, vicinos omnes funditus everterit. Atque huius adagii mentionem fieri apud Aristophanem in Lysistrata. Et sane apud Aristophanem locus sic habet: « Unde advenit? Ab Anagyro; ergo per Iovem Anagyrus esse motus apparet mihi ».

Stultus stulta loquitur.

Euripides in *Bacchis* atque totidem prope verbis Esaias habent: « Stulta stulti oratio est ». Seneca ad Lucilium: « Apud Graecos - inquit - in proverbium cessit: Talis hominibus fuit oratio, qualis vita ». Hoc cuiusmodi fuerit parum liquet, nisi quod tale quoddam carmen exstat Graecis celebratum, latine sonans: « Hominis figura oratione agnoscitur ». Democritus philosophus apud Laertium orationem vitae simulacrum quamdamque velut umbram esse dicebat. Qua quidem sententia nihil dici poterat verius. Nam nullo in speculo melius expressiusque relucet figura corporis, quam in oratione pectoris imago repraesentatur. Neque secius homines ex sermone, quam aerea vasa tinnitu dignoscuntur.

Forfex.

Non ob ea solum incommoda quae eveniunt improbis, fugiendam improbitatem putamus; sed multo etiam magis quod cuius in animo versatur, nunquam sinit eum respirare, nunquam acquiescere.

Cic., *De fin.*, I, 16.

AD GOLGOTHAM

Sacra actio dramatica I. B. FRANCESIA versibus senariis conscripta

PERSONAE

Barbaal
Iudas a Keriot
Nicodemus
Ioseph ab Arimathaea
Pontifex Maximus
Naasson
Araam
Salom
Pharisaeus
Umbra loquens
Voces internae
Sacerdotes, Pharisaei, Scribae, Hebraei, discipuli cum adversariis I. Christi, Populus, Milites Romani, Umbrae.

Scena est vertex apud Calvarium. In ima parte est collis, facilis adscensu, ad dexteram pronaum cum porta, hinc inde ruinae, palmae ad imum collem, et sepulcra.

PROLOGUS (1)

Senariis placet referre versibus
Fuit quae civitas passa Ierusalem,
Bonus quum ducitur Christus ad Golgotham.
Adest Eius magna doctrinae soboles,
Fatale crimen nunc suorum perdolens,
Magistrum manibus reddere vult liberum.
Eo nam totis tendit nervis et studet;
Voluntas obstat ipsa sed Dei Patris,
Cupit quae cunctos homines redimere.
Sic inimica surgit e contrario
Malorum turba, multa quae congerit,
Pravisque verbis murmurat et reprobat....
Ut Iesum tollat, pellat in perniciem!
Adest et ipse Servatoris proditor!
Quot lancinatur conscientiae morsibus,
Quot contumeliis adstantium tunditur!
Pati supremam credit is iniuriam.
Venit superbus illusurus Satanas,
Eumque trudit se suspendat laqueo!
Quod alter numeris italis prodidit,
Actumque est maxima omnium dulcedine,
Plautinis edere tentavi versibus!
Suo consensu feci quod liberior.
Hoc scripsi, ut memorans quot Iesus pertulit,
Humanam gentem redimat ut sanguine,
Obrutus munerum sic homo pondere,
In bonam conferat frugem se denuo,
Volens sibi iure Iesum dicat principem,
Eique totam servitutem serviat.
Quod felix, faustum, fortunatumque auspicium!

(1) Naasson erit *Prologus.*

SCENA I. (Doctrina).

Ioseph ab Arimathaea, Naasson, Araam, Salom, *nonnulli Hebraei.*

Ioseph *(stans in ruderibus docet. Naasson, Araam et nonnulli Hebraei eum conglobatim ad dexteram auscultant).*
Salom *(aliique sinistrorsum sine ordine curiosius introspiciunt). (Nonnulli Hebraei colloquentes in inferiore parte deambulant).*

Ios. *(elata voce).* Si eos amatis pulchre qui vos diligunt,
Erit quid meriti vobis pro munere?
Ipsos amate vos et adversarios,
Iisque gratias ferte pro viribus,
Vobis quamvis nullum sit inde praemium.
Magister placita nobis hæc tradidit,
Sequi nos ultro quae debemus alacres.
Suo si indulget ingenio dulciter,
Eius vocari quis potest discipulus?
Ar. Sed impiis noster magister linquitur,
Ut ipsum possint pertractare duriter?
Naas. Sumus sed iuvenes....
Alii. Vigentes sanguine.
Ar. *(ad alios)* Gestamus pectus, iuvenes, fortissimum.
Naas. *(elatius).* Hanc rem promitto vobis bene succedere.
Ios. Tun'? Es qui vades validus prae caeteris?
Naas. Eamus ergo! tentare prodest viam.
Omnes vos cives armis nunc accurrite.
Proh! dolor! ipse cur se se illa abdidit die,
Cur olim nostro restitit desiderio?
(Omnes qui sunt in extrema parte ei se comites addunt)
Foret nunc civitas in tuto posita,
Suoque imperio nos ipse regeret.
Ius nobis durius nec Romani darent,
Nec nostra templa profanarent amplius,
Nec impii sancta deriderent sabbata;
Probris nec millibus latis a Syria,
Ægypto, Persia, iungeret nec dedecus
Suum quae dicitur Regina gentium.
Ios. Minus sed ipse nostris favet civibus!
Ar. *(et alii)* Romanis forte?
Ios. Nil! sed omnibus!

NAAS. *(et alii)* At Israel?
IOS. Cives nos terrarum sumus!
NAAS. *(et alii)* Eum volebamus nobis regem dicere....
AR. *(et alii, excepto Nicodemo)* Ita est! Ita! nobis iura de [volentibus.
IOS. Quid? Esse Eum regem nescitis gentium?
Enim venit ipse pro peccatoribus,
Prius pro gentibus, pro nobis postea.
Eum nos urbibus nostris expulimus,
Eum nec novimus Messiam publice,
Palam res docuit quas ipse viderat.
Et Ipse audiverat... sed illi traditam
Sibi doctrinam recusarunt credere!
At ipsa signa, quibus frequentissime
Ægri sanantur, hi vertunt in dubium,
Quae quidem fecerat in conspectu gentium.
Sui nec cives hunc faventes audiunt,
Imo discruciant, in ipsum murmurant....
Quare iure dixit: Honos haud in patria
Datur prophetae, nec suis in aedibus.
AR. Ioseph Arimathaea, carus qui es Deo,
Nosti nos sanctam Christi doctrinam sequi....
IOS. Verum dicis, Araam, sanguis Esron inclyti,
Et tu, Naasson, praestantis Aminadab,
Mihi praebetis aures qui nunc dociles;
Suis in verbis credidistis optime,
Et ipse lucem vobis est pollicitus.
NAAS. Quid ergo moramur?
AR. *(et alii)* Surgamus fortiter!
IOS. Res ardua et nimis plena periculis,
Sumus nunc pauci, pauciores crastino.
NAAS. Heic adesse cunctos nos condiximus,
Hac nocte fontis Betzaidae prope porticum,
Venire diximus omnes compositi.
Araam, audisti?
AR. En totus, Naasson, sum tuus!
Stare nam promissis semper est placitum!
SALOM. *(introrsum versus semper ad laevam respiciens cum [nonnullis Hebraeis)*
Quae virorum turba exit ab Ierusalem!

(Hominum globus, qui circa Ioseph stabant, rumpitur, et ad sinistram proficiscitur. Omnes circumspicere student; alii ascendunt super maceriem, alii aliis adhaerentes: fit rumor. Haec scena sit in primis vivax)

AR. *(et alii)* Popellum vides multis cum militibus?
NAAS. *(idem)* Puelli, mulieres.
AR. *(idem)* Urgent, se se premunt!
SAL. Senesque.
IOS. Sacerdotes. *(pausa)*
SAL. Romani equites.
NAAS. Viri stipatim celeres carpunt viam.
IOS. Duo simul vincti ducuntur funibus....
AR. Latrones certo nuper damnati crucis!
IOS. Post haec quae circum turba! Qui rumor gentium!

(Omnes certatim introspicere student. Excessum devita: fastidium generat. Murmur sensim in ipsis ita crescit, ut dialogus pergere videatur vel post verba Iosephi. Pausa. Silentium in interno: multitudo hominum fingitur adhuc longe).

NAAS. *(hoc temporis momento is strepitus auditur ut vocem aliquantum superet)* Cur illa virûm turba se cal- [cantium?
SAL. *(id.)* Student cur illi certatim prae se ponere?
IOS. *(cum aliis)* Omnes sunt anxii, videndi omnes cupidi.
Miser quis aegre lento procedit gradu?
NAAS. Ehu! plectitur!
AR. *(id.)* Urgetur barbaro milite.
SAL. *(secum elata voce)* Urgetur!
IOS. Ipse procedit onustus cruce.

(Pausa. Magnum silentium. Sistunt. Murmur ut supra).

SAL. *(ut supra)* Viribus ehu! deficit!
AR. Linquitur spiritu!
NAAS. *(id.)* Pedes offendit.
IOS. Pellitur.
SAL. Procubuit.
NAAS. Humi innocentem pepulere barbari.
IOS. *(elatius)* Magister!
OMNES. Ipse!
IOS. Venit qui de Nazareth.
OMNES. *(elate et simpliciter)* Nazarenus!
NAAS. *(quo melius videat, graditur super maceriem)*
Deus nos adiuvet! Percutiunt eum,
Quo velit terris citius resurgere. *(Murmur ut supra)*
AR. *(ut supra)* Eum conculcant!
SAL. Capillis eum trahunt!
NAAS. *(horrore perculsus)* Eum tigres cædunt ehu! duris [fustibus.
IOS. En ipse! En ipse!
AR. Proh dolor!
OMNES. Totus fluit
Cruore.
NAAS. *(post pausam, dum diffunditur denuo tenuis murmur, clamitat)*
Curro ut ipsum saltem liberem,
Modo vel potius pereamus simul.
OMNES. *(praeter Iosephum violenter)*
Eamus! *(Introeuntibus fit obvius Nicodemus, qui intrat ex ima parte ad laevam).*

SCENA II. (Historia).

NICODEMUS *cum nonnullis Hebraeis, et dicti.*

NIC. Filii, quo furentes ruitis?
NAAS. *(cum aliis)* Eius nam causa....
NIC. Tune salvum facies?
NAAS. Utique! Prohibere quisnam mihi potest? *(progrediens cum aliis)*
NIC. Siste! nescis quibus abreptus viribus
Custodia truditur!
NAAS.... Plebis?
Nobiles
Israelitae, sacerdotes vigilant
Fortiter, turbae qui dederunt nummulos. *(progre- [diuntur)*
IOS. *(lente ad latera Nicodemi sistit).*
NAAS. *(cum aliis)* Armis adgrediendum nunc Synedrion!
Ipsum, ipsum Iustum damnavit capitis!
NIC. *(violentius)* Ipsum accusavit: damnat lex lata a Caesare,
Suique milites latrones protegunt,
Eum qui tristes ducunt ad supplicium.
OMNES *(maximo dolore)* Nihil agemus?
NIC. Nil! Nos urget placitum

Divinum nulla dissoluendum manu,
Trahit quod rigidum, atque in aeternum stabit,
Dum Filius Dei calicem biberit,
Doloris usque vel ad faeces ultimas. (*omnes cante re-* [*nnunt*)
Modo sed Ipse libertatem respuit....
Cum Iudas proditor, Simonis filius,
Alumnus unus qui fuit de duodecim,
Daturus ipse proditionis osculum,
Hoc namque signum nefandus dederat.
Furens in Placidum turba prosiliit,
Ut in latronem.... Petrus qui Simon dicitur,
Ferit mucrone Malchum Caiphas servulum....
Iesus quid autem dixit? Pone gladium,
Petre! qui gladio cædere nam solent
Peribunt gladio.... Tu vero pervelim
Putes, precari posse Patrem me docilem,
Dabit qui praesentes ordines Cherubim,
Suo semper adsunt sancto conspectui!
Quî possunt sancta compleri carmina,
Ex quibus ipse dura deberet pati?
Tibi, Naasson, Aminadab qui es filius,
Haec diceret: Nam prophetarum placitum,
Trahit quod rigidum, atque in aeternum stabit,
Ut olim Moyses in deserto colubrum
Levavit.... Filius sic levandus Hominis,
Ut ad caelestes omnes perduci queant
Suam qui perfectius doctrinam compleant.

(*Magna fit hominum perturbatio, quae crescit eundo usque ad finem. Nulla sit intermissio: unusquisque loquatur quam citissime*)

NAAS. Turbae quae nuper clamitabant gloriam
Hosanna Filio David?....
ALII Faustissima
Tibi sint, venis qui in nomine Domini?
NIC. Crucifige! Crucifige, perfidae nunc clamitant!
OMNES (*elate*) In ipsum?
NIC. (*pergens ardenter*) In ipsum! Pilatus in vestibulo
Praetorii tulit eum fluentem sanguine....
ALII Flagellis caesum....
NIC. Cinctum spinis tempora,
Caput quae lacerant et ossa lacerant.
NAAS.... (*altius semper*) Enim flagellis caesus non fuit satis?
NIC. Imo Pilatus cum vellet incolumem
E more quemdam, populo proposuit....
IOS. (*et nonnulli alii*) Et ipse? Quem? Quem?
NIC. (*altissime*) Barabbam voluit
OMNES (*horrescentes*) Barabbam? Ehu!
NIC. (*brevi post silentio levat dexteram solemniter et voce naturali*) Eos excaecavit Dominus!
Eorum pectus induravit Dominus!
Ut impleretur Prophetarum sententia.

(*Omnes maesti, dolore perculsi, caput in sinum socii reclinant*)

NAAS. (*plangit flectens caput in Iosephi humerum*)
Nunc est precandi, fratres, nunc necessitas... (*Ostendens portam ad dexteram, et cum Iosepho solatur Naasson. Hi tres primi transeunt, alii honoris causa hinc inde stant, postea lento gradu subsequuntur inter se colloquentes... Multa in omnibus maestitia*).

SCENA III. (Conscientiae stimulus).

IUDAS. (*solus*).

IUDAS. (*introgressus e sinistra parte perterritus quasi ab aliquo insectatus, dentibus frendens*)
Proditor! Auditur semper haec vox, proditor!
Tristemque vocem dat aër per compita,
Hanc semper vocem cuncta quae me territant.
(*deambulat in circulum inter se nonnulla mussitans*)
Proditor! (*progreditur et sistit*)
Et lingua, quamvis ipse resciam,
Clausis vocem turpem labellis iterum
Ultro mihi suggerit tacite spiritus. (*restem stringit ad pectus*).
En ipsa vox! En late impetu diffunditur....
Per omnes venas torridus serpit cruor
En ipsa! En ipsa! (*claudit violenter labia, manibus consertis, nititur eam tenere, rugit, denique vi coactus, manus aperit tremens et voce interclusa exclamat*)
Proditor!
(*Cadens sedit in macerie ad dexteram. Est lassus, pausat, postea oculis obstrictis*)
Fac citius
Mihi quid vis! (*hæc verba Christi memorat voce longe petita*) Bolum miser sumpsi et exii!
(*se se excutit*) Hac ipsa nocte, Simon Ionae filius
Negat fuisse Petrus se discipulus.
Iacobus Zebedaei, Mathaeus fugit,
Eumque caeteri fugiunt Apostoli.
(*Ab irato*) Ipsi vocandi nec proditores erunt?
(*Voce longinqua*) Amen, amen, dico, de vobis aliquis
Me tradet! (*voce naturali*) Aliquis? Egon? Me forte autumas?
(*Ore solemni*) Tu dixisti! Graves ardens interea
Intorsit oculos.... (*voce quasi longe petita*) Oportet procul dubio
Ut male Filius mulctetur Hominis,
Sic ipsum Patris tulit desiderium,
Ei sed omne malum postea decidet,
Fuit qui causa! (*ab irato*) En sum Iudas qui perdidi,
Eum suorum manibus qui tradidi
Ad occidendum! (*crescens*) pro triginta nummulis,
Eis et unum prodidi per osculum!
Cum non novissent eum virum milites.
(*Pausat*) Amice, cur venisti? (*Ore dulci*)
Clemens et placidus
Ut agnus et vox similis symphoniae!
(*Singultim*) Maestoque questui! (*breviter pausat;postea lentus et tremens infert manus inter capillos, et quatiens caput, exclamat*) Sed, sed, Tu proditor! (*se se elevat*).

(Ad proximum numerum).

Naturane nobis hoc datum dicam an errore quodam, ut quum ea loca videamus, in quibus memoria dignos acceperimus multum esse versatos, magis moveamur, quam si quando eorum ipsorum aut facta audiamus, aut scriptum aliquod legamus?

CIC., *De Fin.*, V, I.

DE RESURRECTIONE CHRISTI

Dum nobis gratulamur nos de Christi ad vitam reditu, festoque ritu illum quotannis diem distinguimus, alii homines aliis moveri solent adfectionibus. Alii nihil unquam acceperunt, cur tanta illo die opus sit laetitia; alii reliquendas nobis esse dicunt istius generis fabulas; postremi non reliquendas, censent, sed argutiis mentis bene sanae atque acumine errorem, antiquas nugas perniciosam humani generis labem e cerebris esse delendam. Priores utinam possimus quam primum nostrae felicitatis habere participes! De altero hominum genere doleamusne nescio, qui vel ob oculos vel in auribus callosiores pingui agunt, ut aiunt, Minerva; cum postremis autem breviter colloquamur. Quis enim nostrum eorum victus rationibus tam erit antiquitatis amator, ut veram habeat antiquam fabulam? Vestram, vestram sequemur partem, si nostram errare domonstrabitis.

* * *

Non ergo, quaerimus, non surrexit Christus? Fabulamne nos vel anile commentum paschali ornamus pompa? Sed dicam vobis antequam vestris capiamur retibus, cur nobis tam diu et tam strenue persuasum fuerit surrexisse Christum a mortuis vere: valde enim vereor, ne nostrae rei inscitia opinionem vestram veram esse credatis, quum aut nos aut vos in errore versemur. Neque nunc multa cogitatione praecipio, ne illud quidem: quidquid est, a mortuis Christus non revixit; eam enim scientiam, qua cogitandi atque concludendi servetur libertas, a vobis dilaudari saepe accepi. Id tamen commune nobis esse debet in hac re quasi solum, ut logicae artis rudimenta domi nobis sint et ut vera habeamus, quae historia atque scientia cognoverimus.

Christum igitur ad vitam redisse vos negatis, partim, quod ne mortuus quidem esset; partim, quod mortuus nullam vitam receperit. Nos contra statuimus et esse mortuum et revixisse; et utrumque comprobamus. Mortis igitur testes sunt omnes qui de Christo scripserunt, iis exceptis solis, qui Christi corpus non verum fuisse finxerunt, sed aërea quaedam humani corporis lineamenta, quae utique morti occumbere non potuerunt. Permagnae, libere vobis dico, est audaciae de tam facili re tot omnium aetatum hominum persuasionem vel errorem declarare, vel etiam turpe mendacium habere. Si vel unum vestrarum opinionum apiscimini in aliquo vetustiore libro vestigium, quanto venditur studio! quorsum versatur atque torquetur! sin adversus vos est locus: mendacium dicitis, interpositum, intrusum clamatis, etiamsi nulla subsit alia ratio quam ante concepta opinio.

Mortuum esse Christum dicunt milites, quum nollent frangere crura mortui, fractis vivorum cruribus; dicit Pilatus, qui Iosephi Arimathaei precibus permisit corpus, postquam a centurione rescivit mortuum; dicunt ipsi pharisaei, quorum ardentissimum fuerat studium mortem ei consciscere, quibus alias tantam habere soletis fidem, qui custodiam petunt, ne corpore clam ablato a discipulis circumferretur rumor ipsum revixisse; dixerat enim seductor vivus tertia die ad vitam se esse rediturum. Neque cuiquam mirum esse potest Christum esse mortuum tot tantisque enecatum cruciamentis, post latus lancea fossum, quum corpus Iudaico more ita sit involutum atque delibutum unguento, ut vel particula vitae suffocata et exstincta esset. Oleum perderem et operam, si quid huc adderem ut credatis vos; historiam enim vos aliquando ponitis in exstruendis mentis vestrae desideriis, non in rebus ge-



Christi resurrectio, quam SODOMA effinxit.
(Tabulam in Senensibus Municipum aedibus asservatam photographice expresserunt Fr. Alinari, Florentiae).

stis a scriptoribus traditis, et estis promptiores ad neganda scripta, quam ad mittendum propriae indolis commenta.

***

Scio esse inter vos qui mortuum quidem Christum facile dent; a morte autem rediisse nullo pacto adducantur ut credant.

Sed iam percipite quid dicat historia. Non semel, non bis, sed decies Christum introducunt scriptores post mortem vivum. Potueruntne hoc vere dicere? Et si potuerunt, volueruntne dicere? Quid? Si debuere dicere? Pono: potuisse certo dicere eos, qui memoriae prodiderunt. Quid enim praetermisit Iesus redivivus ad fidem faciendam? Ostendit se viris et mulieribus, singulis et coetibus, saepe, vario tempore, vario loco, propinquum; loquitur denique panemque comedit et omnem timoris et dubitationis causam a discipulis aufert. Quae quamdiu in eorum animis inhaerebat! Nos exspectaveramus Israeli eum esse salutem adlaturum, non antea morte praepediri; furtive esse ablatum putat Magdalena, delirae videntur discipulis mulieres nimisque credulae, quum retulerunt vivum, quem scierunt esse mortuum; umbram se videre opinantur quum ipse accedat, illoque res adducitur, ut Thomas, qui fuit ex discipulorum numero, se crediturum esse neget, nisi et manus et latus ipse videret atque adeo tangeret.

Quaero igitur: Potueruntne discipuli Christi post tantam signorum nubem dicere surrexisse ad vitam magistrum?

— « At nolebant verum profiteri: decipiebant alios ».

O vocem inconsideratam! Quid, quaeso, si Christus ad vitam non reverterat, quid eos pepulit dicere: Repente revertit? Poenane? Nulla erat proposita; neque divina, quem enim Deus puniet quod id quod verum non est non divulget? neque humana; quam enim gratum fecissent Iudaeis, si tacuissent! An praemium stimulavit? Magnum sane tulissent a Deo mendaces munus singularemque habuissent pharisaei et scribae gratiam, quod eum vivere mentiti essent, cuius ne furarentur corpus, custodiebant sepulchrum, quem quum vivum renuntiabant, filium Dei a Iudaeis occisum affirmabant. Quid tandem appulit ad tantum mendacium, tam impium, tam periculosum viros simplices? Nulla poena, nullum praemium: contra deterruit Iudaeorum odium, vitae periculum, ipsius mendacii desperata temeritas. Quonam igitur modo vos garritis non surrexisse Christum, quum ipsi discipuli dicant: surrexit? Aut illi errant, aut vos erratis. Illi oculis viderunt vivum, illi manibus tetigerunt: vos nihil vidistis: malumus igitur errare cum illis, quam verum sentire vobiscum. In qua nos voluntate vehementer confirmat, quod discipuli in hac re ne potuerint quidem mentiri. Quid enim? Potuissent ablato corpore dicere: Vivit; auferre autem corpus quis docuit timidos? quis persuasit eis, qui in coenaculum fugientes se incluserunt? quis, inquam, docuit corruptam amovere custodiam? Nemo. Ergo vere Christus a morte ad vivos revertit. Videtisne rectissime sentire nos? Hoc quasi quoddam fundamentum est paschalis nostrae laetitiae, vestri doloris.

***

Nunc, quia inclusi estis, aut date iam quod tenebimus ratione ducti, etsi non detis, aut ad artem vestram vos recipite: iam parati sumus audire vestrum: « si ista interpolata non essent,... si facta, non ficta essent,.. vicissetis ». Respondeo breviter hodie; longius aliquando quum erit otium: Quid est causae, quod, quae de Christo sunt, tanta a multis contentione negentur? Conscripsit Caius Caesar belli Gallici et belli civilis commentarios: nemo dicit mentitum esse. Scripserunt homines non improbi, id quod viderant, Christum esse mortuum, sed tertio a morte die vivum ex sepulchro prodiisse, totus grex doctorum, qui dicuntur, hominum clamat mentitos esse. Neque tamen omnes, qui negant revertisse Christum omnem negant scriptoribus fidem: sed catapultas disponunt adversus ea quae supra retulimus. Age ex tuto portu firmissimaque specula fluctuantem classem paullulum contemplemur. Explodunt illud: « Nemo vidit egredientem ex sepulchro Christum, non ergo recte dici potest egressum esse ». Quid? Nemo te vidit hoc mane egredientem ex lectulo: plenum fac argumentum ipse. Impudentem me nominas? At sum te imitatus. Vides enim recte dixisse discipulos mortuum ad vitam ex sepulchro abiisse magistrum, quem, quum posuissent illic mortuum, postea viderunt vacuo sepulchro egressum.

— « At pluribus se debuit ostendere vivum, maxime suis adversariis ». Non est satis, quod ad quingentos homines eum viderunt simul? Adversarii credidissent, opinor, necem nefariam nunc essent confessi.

— « At solus Mathaeus commemorat sepulchri custodiam ». Ergo istam rem reliqui tacuerunt.

— « At ipsi scriptores contraria referunt ».

Quis vero negat vivum, id quod nos hic agimus? Quis scriptor addidit se dicere quaecumque facta sunt? quis se eadem describere pollicetur, quae alius antea edidit? Si fortiora non adfertis, nihil cedimus. Neque enim est quidquam, quod vel fraude, vel mortis aliqua similitudine, vel halucinatione inventam esse dicitis repetitam Christi vitam, atque propagatam, quippe quae ipsi non credatis. Nuda rerum scientia magna vi testatur Christum, quem vestris commentis atque nugis tantum abest ut ab animis nostris auferatis, ut continuo in reprimendo scelesto conamine maiore gloria, maiore laude, maiore charitate respondeamus.

Moedling ad Vindobonam.

P. Andreas Haberl.

ARRAE GORGONIAE

« Vox Urbis » commentarii appendicem, vid. in pag. 48.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Concilii.

Circa interpretationem decreti « Cum recenter » a Congr. S. R. et U. Inquisitionis lati d. 5 mens. Decembr. 1894 de ieiuniis.

I. Quinam sint dies in quibus Episcopis liceat vi decreti *Cum recenter*, dispensare super lege ieiunii, quum facultas eodem decreto contenta ad ferias sextas et sabbata tantum extendi videatur, et hi ipsi dies in illo decreto excipiantur, si sint ieiunio consecrati? — *R.* Nunquam.

II. Quum praelaudatum Decretum sic de nundinis loquatur: « Eadem anticipandi seu etiam gravissimis de causis dispensandi potestate uti possunt *pro diebus*, quibus nundinae extraordinariae, magno item populorum concursu habeantur » nec dies nundinarum distinguat, quaeritur: Utrum liceat Episcopis occasione nundinarum, quae fiant cum magno populi concursu anticipare vel dispensare ieiunium et abstinentiam, vel saltem solam abstinentiam, ieiunii observantia retenta, quacumque die hae nundinae habeantur, etiam in vigiliis ieiunio consecratis, praesertim si iidem Episcopi certo sciant ex parochorum testimonio a plerisque abstinentiam non esse servandam? — *R.* Negative in omnibus.

III. Utrum liceat Episcopis occasione solemnitatum religiosarum, vel nundinarum, quae fiant cum magno populi concursu diebus ieiunii, vel solius abstinentiae, extra ferias sextas et sabbata, ieiunium et abstinentiam anticipare, vel gravissimis de causis dispensare? — *R.* Negative.

IV. Utrum Episcopi in Lusitania ad tramitem memorati decreti *Cum recenter*, facultate polleant dispensandi a lege ieiunii populum alicuius civitatis, oppidi, paroeciae vel loci, aliosque illuc confluentes, quando aliqua solemnitas vel nundinae cum magno populi concursu celebrantur in sabbatis per annum, quae iuxta Indultum Apostolicum generale ab abstinentiae lege libera essent, sed in quibus ieiunatur ratione tantum vigiliae, quae illo anno in sabbatum incidit? — *R.* Negative.

V. Et quatenus negative ad IV, seu quoad legem ieiunii, utrum eadem facultate uti possint Episcopi in iisdem memoratis adiunctis quoad solam legem abstinentiae? — *R.* Negative.

VI. Utrum iisdem Episcopis liceat super lege saltem solius abstinentiae dispensare in relatis adiunctis, feriis sextis et sabbatis per annum in quae incidunt vigiliae, vi Indulti quadragesimalis in Lusitania iam ab abstinentiae lege immunes? — *R.* Provisum in praecedenti.

VII. Utrum iidem Episcopi vi decreti *Cum recenter* et in adiunctis in n. IV expressis, possint licite dispensare, quando vigilia in Indulto quadragesimali excepta, sabbato coincidit in quo lex abstinentiae et ieiunii servanda est ratione solius vigiliae? — *R.* Negative.

VIII. Utrum ad mentem decreti *Cum recenter,* Episcopis in Lusitania liceat super lege abstinentiae generaliter populum alicuius loci ratione festivitatis dispensare in sabbatis, pro quibus Nuntiatura Apostolica in Lusitania, privatis familiis ac personis Indultum concedere solet? — *R.* Regula pro statuenda facultate, quam Episcopi habent circa has dispensationes concedendas, non est desumenda ex praxi Nuntiaturae Apostolicae, quae alia habet indulta aliasque facultates, sed ab ipso decreto, seu ab eius terminis. — (Ex decr. Bracaren. d. 11 Decembris 1909).

Ex Congregatione Consistoriali.

Circa competentiam relate ad matrimonia mixta.

Sacra Congregatio S. Officii litteris diei 27 Martii 1909 a S. Congregatione Consistoriali formalem declarationem petiit circa competentiam relate ad matrimonia mixta. Itaque proposito dubio in terminis ab adsessore S. Officii statutis, hoc est: (1) « quae sit competentia S. Officii relate ad matrimonia mixta, sive inter catholicos et acatholicos, tum circa praxim, id est pro concessione dispensationum, tum circa ius, id est quoad resolutionem dubiorum, quae in hac re surgere possint, etiam propter recens decretum *Ne temere* », Emi. Patres respondendum censuerunt: « Competentiam S. Officii se extendere ad omnia quae sive directe sive indirecte, in iure aut in facto se referunt ad Privilegium Paulinum et ad praefatas dispensationes. Et ad mentem, quae est: supplicandum SSmum. ut statuat ac decernat ut quaelibet quaestio circa praefata matrimonia deferatur Sacrae Congregationi S. Officii, salva huic Sacrae Congregationi potestate, si ita censeat et casus ferat, quaestionem ipsam remittendi ad aliud S. Sedis officium ». Atque SSmus., audita relatione Cardinalis Secretarii S. Congregationis Consistorialis, resolutionem ratam habuit et confirmavit, mandavitque ut in posterum quaelibet quaestio circa matrimonia mixta deferatur S. Congregationi S. Officii iuxta petita, sub lege tamen ut firma semper et in omnibus maneat dispositio decreti *Ne temere* in art. XI, n. 2° et 3° statuta. — (Ex Actis Apostolicae Sedis an. II, n. 2, d. 15 Februarii 1910, pag. 56).

Circa relationem S. Sedi exhibendam ab alumnis collegii Iosephini in civitate Columbus.

Proposito dubio, utrum veteres alumni Collegii Iosephini civitatis *Columbus* in America adhuc teneantur quolibet anno relationem S. Sedi exhibere, iuxta iuramentum ab iis emissum, SSmus. Dnus. Noster in audientia concessa Emo. Cardinali Secretario S. Congregationis Consistorialis die 21 mens. Iannuarii currentis anni 1910, attenta nova rerum conditione inducta a Const. *Sapienti Consilio*, benigne dignatus est alumnos memorati Collegii dispensare et eximere ab annua relatione peragenda.

Ex Congregatione de Religiosis.

Declaratio circa decretum d. die 7 mens. Septembris 1909 « de quibusdam postulantibus in religiosas familias non admittendis ».

Dispositiones Decreti Sacrae Congregationis de Religiosis dati d. 7 mens. Septembris 1909, *De quibusdam postulantibus in Religiosas Familias non admittendis* (2), ad mulierum quoque Religiosas Familias in po-

(1) Dubium propositum est Italica lingua; nos latine reddidimus.

(2) Cfr. *Vox Urbis*, an. XIII, n. I.

sterum extenduntur. Ideoque, absque speciali venia Sedis Apostolicae et sub poena nullitatis professionis, non excipientur sive ad Novitiatum, sive ad emissionem votorum, postulantes:

1° quae, propria culpa, e collegiis etiam laicis, gravi de causa, expulsae fuerint;

2° quae a scholis domesticis, in quibus puellae speciali cura in spem amplectendae vitae religiosae educantur, quacumque ratione dimissae fuerint;

3° quae, sive ut professae, sive ut novitiae, ab alio Ordine vel Congregatione religiosa dimissae fuerint; vel, si professae, dispensationem votorum obtinuerint;

4° quae iam admissae, sive ut professae, sive ut novitiae in unam provinciam alicuius Ordinis vel Congregationis et ab ea dimissae, in eamdem vel in aliam eiusdem Ordinis vel Congregationis provinciam recipi nitantur. (Ex decr. d. 4 mens. Ianuarii 1910).

Ex Congregatione Rituum.

De offertorio in Missis cantatis.

Ab hodierno Rmo. Dno. Episcopo Curiensis dioecesis proposito dubio: « An sustineri possit consuetudo quae in multis Ecclesiis minoribus Curiensis dioeceseos ab immemorabili tempore invaluit, ut nempe in Missis cantatis, exceptis quibusdam solemnioribus, celebrans Symbolum intonet, hocque recitato, immediate pergat ad Offertorium illudque conficiat, dum a Cantoribus Symbolum decantatur? » Sacra Rituum Congregatio, audito etiam Commissionis Liturgicae suffragio, respondendum censuit « Negative et serventur Rubricae et Decreta ». (Ex decr. d. 11 mens. Decembris 1909).

Dubia circa quasdam peculiares consuetudines in Officio, in Missa aliisque sacris functionibus.

I. Utrum tolerari possit longaeva consuetudo adhibendi in expositione insignis reliquiae S. Crucis D. N. I. C. nonnullos ritus qui servari debent coram SSmo. Sacramento solemniter exposito, scilicet genuflectendi utroque genu ante eam transeundo, illam incensandi a celebrante genuflexo et illam obtegendi velo violaceo si concio habeatur; vel potius standum sit decretis iam latis N· 2324 *Brixien.* 15 Septembris 1736, et 2727 *Lucionen.* 23 Maii 1835? Et quatenus negative ad primam partem, an consuetudo illa servari possit saltem in feria VI Parasceve, non obstante decreto N. 3201 *Montis Regalis* 20 Martii 1869, ad VII? R. Standum decretis.

II. In choro adest consuetudo recitandi flexis genibus, quocumque anni tempore, Antiph. *Salve Regina* cum versiculis et oratione *Omnipotens sempiterne Deus,* post antiphonam finalem de tempore, expleta hora prima, vel, si chorus non interrumpitur, expleta hora tertia ante Missam conventualem. Petitur, utrum servari possit ista consuetudo etiam quando Antiphona finalis de tempore est *Salve Regina,* ita ut bis repetatur; et quatenus affirmative, an semper dicenda flexis genibus etiam diebus Dominicis et tempore paschali? — *R.* Negative ad utrumque.

III. Utrum chorus genuflectere debeat quando celebrans in Missa solemni vel in Vesperis incensat SSmum. Sacramentum solemniter expositum? — *R.* Negative.

IV. An pulsari possint organa quum canuntur lectiones matutini in Officio Defunctorum et in Missa pro Defunctis, quando chorus silet? — *R.* Negative ad primam partem; et Negative ad secundam, iuxta Caeremoniale Episcoporum lib. I, cap. XXVIII, n. 13.

V. Utrum in Missa solemni *Benedictus* cani possit ante elevationem, vel standum sit praescriptioni Caeremonialis Episc. lib. II, cap. VIII, 70-71? — *R.* Standum Caeremoniali Episcoporum.

VI. Utrum in benedictione quae datur cum Reliquiis Sanctorum genuflectendum sit in choro vel standum? Et quatenus affirmative ad primam partem, utrum etiam a Canonicis? — *R.* Genuflectendum est ab omnibus.

VII. Missam solemnem in Cathedrali celebrans, quando est Canonicus, induit paramenta in aula capitulari et ministri sumunt vestimenta in sacristia. Quid de hoc? Standumne consuetudini, an decretis N. 2703 *Recineten.* 16 Martii 1833, et N. 3937 *Urgellen.* 11 Decembris 1896? — *R.* Standum Decretis. (Ex decr. *Cephaluden.* d. 16 mens. Decembr. 1909).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Februario MCMX).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Mauritius Erdod, Comes, a consiliis legationis Austro-Hungaricae apud Apostolicam Sedem; Ruspoli, Urbanus princeps, Sacri Hospitii Magister; Callori, Comes; Incisa de S. Stephano, Comitissa, eiusque familia; Stanislaus Medolago Albani, Comes; Iosephus Toniolo, Pisani athenaei doctor; Boggiano doctor, popularis Catholicorum Unionis in Italia praeses nuper electus; Sanctae Severinae Dux; Patrizi Montoro, Marchio, S. R. E. signifer; Sven Hedin, Sueticus explorator; Maria Aloisia Annuntiata d'Isembourg ex Austriaco archiducum genere; Di Bomarzo, Urbanus Dux eiusque familia; Quintella de Sampayo doctor, res pro tempore agens Lusitani regni apud Apostolicam Sedem; Ioannes Grosoli Pironi, Comes; Boncompagni-Ludovisi, Urbanus princeps, eiusque uxor; Apponyi et Testeticz Comites, ex intimo consilio Imperii Austro-Hungarici; Albertus Blancas doctor, Argentinae civitatis administer cum omni potestate apud Apostolicam Sedem, Bruxellas translatus; De Ojeda y Perpinan doctor, Hispaniae legatus apud Apostolicam Sedem; Maria ex Urbanis Ducibus Salviati.

Pontificiae electiones.

— Ioannes Martinus Ianiz, dioec. Corduben. in America, episcopus S. Iacobi de Estero; Abel Bazàn, dioec. Corduben. in America, episcopus Paranen.; Ioannes Gulielmus Shaw, episcopus tit. Castabalen. et coadiutor revmi. episcopi S. Antonii in Civitatibus Foederatis Americae Septentr.; Dionysius O'Donaghue episcopus Ludovicopolitan.; Emmanuel Marteau, dioec. Parisien., episcopus Melden.; Ioannes Ieremias Lavoler episcopus tit. Hermopolitan. et coadiutor revmi. episcopi S. Pauli de Minnesota; Apollonius Maggio dioec. Vicentinae, episcopus tit. Sistren.; Augustinus Cattaneo, vicarius generalis Cremen., episcopus Guastallen.; Ioannes Nilan dioec. Bostonien., episcopus Hartfortien; Petrus Zanolini, in Seminario Patavino theologiae moralis doctor, episcopus Fabrianen. et Mathelicen. renunciantur.

— Rmus. d. Iosephus Schulte, dioeces. Paderbonen. episcopus Paderbonensis confirmatur.

— Illmo. et revmo. v. Beda Cardinale episcopo Cornetan. ad sedem tit. Laodicensem translato et in coadiutorem revmi. episcopi Perusini deputato, ad ipsam sedem Cornetanam et Centumcellarum administrator Apostolicus mittitur r. v. Humbertus Fiodo, domus Pont. Max. Antistes.

— Laurentius Lauri, in collegio de Propaganda Fide doctor, substitutus dicitur Cancellariam Apostolicam regentis.

— Purpuratus Pater Marianus Rampolla del Tindaro Romanae Academiae a S. Thoma Aquinate praeficitur.

— Excmus. vir Dominicus Taccone Gallucci, archiepiscopus Costantien., inter Consultores Pontificiae Commissionis ad ius canonicum in unum corpus redigendum adlegitur.

ANNALES

Borussici motus.

Germania, atque praesertim Borussia, factum insolitum his diebus vidit; populum scilicet in tumultus procedentem. Causa, rogatio legis fuit de comitiorum ratione innovanda. Quae quidem, quum iamdiu sollemniter in regia oratione promissa ut latissima esset; re autem in eam condicionem produceretur, quae fabulam parturientis montis in mentem facile revocaret, optimam praebuit socialistis occasionem plebis animos inflammandi, quae pluribus in urbibus (Berolini, Halle, Koenigsberg, Duisburg, Neumuenster) ac praesertim Francufurti tam insolenter sese extulit, ut vim vi repellere necesse fuerit. Proculdubio administrorum collegium motibus hisce minime solvetur; at certum est pariter, indicia haud satis tranquilli status haec esse, eumque ad auferendum inveniri compromissum aliquod oportere.

***

Cretensis quaestio.

Cretensium contra aestuatio, a civitatibus insulae quasi tutelam gerentibus ad eorum gubernium datis monitoriis litteris, statim deferbuit; neque de legatis Athenas mittendis verbum aliud dictum est. Interim in Graecia coetus « constituens » ad Septembrem mensem edicitur iri convocatum. Tum fortasse militare foedus resolvetur; hucusque enim nullum id faciendi argumentum obtulit; imo vero arrogantiae suae nova specimina.

Quod ad Turcarum imperium attinet, id ut ad diverticulum aliquod procederet, in Bulgarorum finibus velitationes instituit.

***

Ex infima America.

Dum Brasiliensis civitas Hermetem de Fonseca, castrorum praefectum, magnis suffragiis Praesidem sibi eligit, Panamensis reipublicae Praeses Obaldia vita fungitur, atque Mendoza, alter a Praeside, imperium pro tempore assumit.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia** regali oratione publici novi coetus sessiones inchoatae. Rogatio legis edicitur ad tutanda ipsius coetus iura, eaque cum exceptione statuenda circa res quae ad aerarium spectant.

In **Austria** de militum delectu disceptatio incoepta.

In **Gallia** rationibus acceptorum et expensarum absolutis, nova comitia parantur.

In **Germania** Udo Stolberg, coetus praesidi, vita functo, Schwerin Comes suffectus.

In **Hispania** populi legatorum coetus dimissus.

In **Hungaria** Ioannes Zichy Comes publicae institutioni atque cultui praefectus est.

In **Russia** damna ob recens bellum ab aerario contracta, discussa tandem nunciantur.

PER ORBEM

Die I mensis Februarii MXCX, Michael Martins de Antas, Lusitaniae legatus apud Apostolicam Sedem, Romae obit senectute confectus.

— d. III orientalis Asiae explorator Sven Hedin itinera sua magno cum plausu Romae pubblice narrat.

— d. V Effon, seditiosa illa Russorum foemina, Lutetiae Parisiorum sibi mortem consciscit.

— d. VI, Lutetiae Parisiorum pariter, Edmundi Rostand, Gallici poetae clarissimi, novum drama, cui titulus *Chantecler*, diu exspectatum, primum agitur.

— d. IX Angelus Maiorana doctor, Italici iam praefectus aerarii, iuvenis adhuc - natus enim erat die IX mens. Decembris MDCCCLXII, - Catanae in patria fato concedit.

Apud Maioricam insulam vectoria Gallica navis *Général Chanzy* naufragium improvisum facit. Ex viatoribus centum et quinquaginta novem, unus tantum sospes evadit.

— d. X Madriti vita fungitur De Tattenbach Comes, Germanorum apud Hispanos administer.

— d. XI Ioannes Baptista Charcot ab altero in australes terras itinere redux, ad Arenas promontorium appellit.

— d. XVI Aprutiorum Dux, e Sabaudica gente princeps, de peragratis a se ob scientiae amorem Karacorum montibus Augustae Taurinorum civibus refert in theatro, cui a Victorio Emanuele rege nomen.

Budapestini obit Samuel Ronna, dermatologiae doctor praeclarus.

— d. XIX a Cardif doctore recognitus dicitur omnibus hucusque ignotus cometes, et a Curie phi-

sices magistra, quae cum marito, iam annum vita functo, *radium* invenerat, nunc elementum novum a quibusdam metallis esse tractum, ob agentes dotes sibi proprias *radio* potentius, quod *polonium* vocavit.

— d. XX, Cairo in urbe, Bontros Pacha Ghali, administrorum praeses, nefarie a scelesto iuvene interimitur.

— d. XXIV, Florentiae, Hugo De Lerry, Germanicus pictor eximius, se ipsum misere interimit.

LIBRORUM RECENSIO

IOSEPH LAHITTON, chanoine honoraire, docteur en théologie, professeur de dogme et d'histoire ecclésiastique. — *La Vocation sacerdotale.* Traité théorique et pratique des séminaires et des recruteurs de prêtres. — (Paris, Lethielleux).

Ad ceteras huius libri summas utilitates haec quoque opportunitas adiungatur, quod eius editio in id ipsum tempus inciderit, quo omnes fere catholicorum Antistites plurimum habeant sollicitudinis et negotii ad idoneos Ecclesiae ministros deligendos; qua quidem in re quo maior est eorum, qui in sortem Domini vocati sunt, nobilitas et excellentia, eo vigilantius cavendum, ne huius tanti officii onus cuiquam temere imponatur. Primo igitur auctor inquirit studiose, quinam divinitus ad sacerdotium ministeriaque Ecclesiastica vocari censeantur. Quam ob rem, Catechismo Romano fretus, incredibiles quasdam falsasque opiniones necnon quibusdam locis penitus vel Christifidelium animis insitas, evellere conatur eamque ex sacrosancti concilii Tridentini doctrina optimam statuit esse iudicandi regulam, quinam haud perperam ad ordines sacros accedant, eos *a Deo vocatos dici, qui a legitimis Ecclesiae ministris vocentur. Spiritus* quidem, *ubi vult, spirat* estque aliquid profecto animos quorumdam ad rerum divinarum studium et contemplationem natura impelli; sed quonam pacto evincetur hoc potissimum indicio divinam semper electionem patefieri? Num quando ipse Spiritus Sanctus ita se unicuique adfuturum promisit? Haec certe nova est in Ecclesia Dei opinio, nec quidquam tale vel Concilia vel Patres vel Doctores tradidere. — Tum auctor docet, quid agere quidve spectare debeant, quotquot sive in interno, ut aiunt, sive in externo foro aut eos admonent, qui sacris initiari volunt, aut de illis sententiam suam dicunt. Haec si, quorum maximopere interest, et recte cognorint et constanter fecerint, aut nunquam aut perraro fiet, ut quis nisi ostio in Ecclesiam introeat, id est nisi a Deo legitime vocatus Ecclesiastica munera suscipiat.

E. C.

A. FARGES. *La Libertà e il dovere.* Versione sulla IV edizione francese del can. C. Boni. — Edid. Senis officina libraria S. Bernardini, 1909.

Albertus Farget propugnator eximius est christianae illius philosophiae, quae doctrinam et vitam nostris diebus renovabit, pacemque animis veritatem sitientibus restituet. Qui quum septem voluminibus de «realismo philosophico» iudex competentissimus disputasset, octavo hoc in campum ethicae theisticae prodit atque opportuna rationis novitate solidisque argumentis christianae philosophiae certitudinem in quaestionibus etiam circa mores solvendis luculentissime vindicat; quum ex adverso demonstret scholas omnes philosophicas extra eam impares omnino fuisse doctrinae morum super fundamento immutabili, efficaci exque omni parte absoluto constituendae. Ex quibus facile deducitur maximi momenti hoc opus esse, quod lectoribus nostris libenter commendamus.

P. A. GARDEIL O. P. *Le dogme révélé et la théologie.* — Edid. Lutetiae Parisiorum Lecoffre, 1909. (Ven. lib. 3,50).

Clarissimi Dominiciani istius doctoris proprium est optime atque perspicue exponere quae intellectu difficillima videntur, atque scite profundaque analysi ab insectatoribus veritates defendere, quae necessaria pars fidei nostrae sunt. Quae quidem laudes novissimo et huic operi tribuendae, quod gravissimum tributum affert ad studium finium illorum, qui inter philosophiam ac theologiam intercedunt, de quibus nostris praesertim diebus tam acriter disceptatum est atque disceptatur.

E. TISSERANT. *Ascension d'Isaie.* Traduction de la version éthiopienne. — Lutetiae Parisiorum apud Letouzey et Ané.

Libri apocryphi de Ascensione Isaiae novam hanc Gallicam versionem auctor comparavit, ut christianarum originum historicis adiumento foret, quum in eo notitiae et de martyrio B. Petri, de Ecclesia, de ultimorum temporum exspectatione, de doctrina Incarnationis atque Trinitatis inveniantur. Versioni historicae notae praecedunt; sequitur graeca narratio illa fabulosa, quae, ab O. von Iethardt primum vulgata, pro certo a textu aethiopico Ascensionis Isaiae manavit. Nec desunt relata ad Dillmanni et Charlesii editiones, acutaeque animadversiones, quae magis magisque opus probabile reddunt.

A. MASI. *De virtute Fidei, cum prolegomeno de virtutibus in genere et oboedentia ecclesiae debita.* — Edid. Augustae Taurin. off. Marietti, 1909.

Doctrinae securitas atque argumentorum lata cognitio dotes sunt, quae in hoc opere Seminarii Bellunensis doctoris maxime elucent. Non vero ob eas tantum tironibus - quibus maxime scriptus est-liber commendatur, sed etiam ob refutatos errores quibus Fidei virtutem infensi ecclesiae homines hodie passim aggrediuntur.

F. E. GIGOT. *Compendio di storia del Nuovo Testamento.* Traduzione italiana di F. B. C. M. — Romae edid. Ferrari, 1910, (Ven. lib. 3,50).

Neoeboracensis doctoris in hoc opere concinnando mens fuit ut historica elementa ex scriptis Novi Testamenti desumpta in ordinem redigeret, non quidem ut sacrum textum substitueret, sed quo eius sensum ad facilius cognoscendum induceret. Id autem sobrie, perspicue satis ac diligenter exequutus est, quamquam passim fortasse verborum vis, in quibusdam praesertim affirmationibus, ultra modum excessit. Hisce cautelis liber non

a theologiae studiosis tantum sed a quovis biblicarum rerum amatore cum utilitate recipi potest. Italica versio laudanda est.

E. Bodrero. *Eraclito. Testimonianze e frammenti.* — Edid. Fr. Bocca, Augustae Taurin., 1909. — (Ven. lib. 4).

Parvo in hoc volumine Heracliti fragmenta quae supersunt, sive authentica sunt, sive dubia aut adulterina epistolaeque pseudo-heracliteae continentur. Adde de Graeco illo philosopho antiqua testimonia et praesocraticae doctrinae specimen, et prooemium, quod, candide fatemur, curae quacum opus confectum est minime respondere nobis videtur. Vitium hoc si exceperis, liber diuturni laboris fructus apparet, neque ceteris, quos de Graecis cogitationibus *(Il pensiero greco)* editor Taurinensis vulgavit indignus.

J. Ude. *Der Darwinismus und sein Einfluss auf das moderne Geistesleben.* — Graz und Wien, «Styria,» 1909.

Opusculum et hoc, pag. 172 constans, ob «Darwinianum iubilaeum» editum est. In prima eius parte Darwinii figura, ut ita dicam, instruitur; in altera, eius doctrina de humana stirpe et naturali selectione studiose perpenditur: in tertia denique nefastus influxus Darwinismi in religionem, in psychologiam, in mores ostenditur.

Haec scribens Ude Wasmanii doctrinae de polyphilogenesi assentiri videtur.

IOCI.

Iter faciebat mercator ditissimus, quem comitabatur famulus, genere Aethiops. Hic noctu quum pervenisset in oppidum quoddam, ad cauponem divertit, cui secundum coenam edixit, ne sineret ipsum ad multum diem quiescere. Deinde ubi cubitum discessit, statim illum via fessum, arctior, quam solebat, somnus complexus est. Tum nactus opportunitatem iuvenis quidam e plebecula inficetissimus, risus amicis eliciendi, sumpsit illud sibi, ut dormientis os nigro colore inficeret. Caupo, albescente caelo, quod iussus, fecit. Expergefactus igitur mercator, antequam lotione uteretur, recta perrexit ad speculum, in quo os atratum intuitus, questus est de caupone quod heri loco Aethiopem, illius famulum, somno excitasset!

* * *

Attubolus ob furta patrata in ius vocatur. Quum vero eius defensionem suscepisset Hortensius, actor summus causarum, a culpa abesse iudicatus est atque omni poena liberatus. Itaque victoriam inclamans homo integer vitae scelerisque purus, non dubitavit ab Hortensio petere, uti se in famulatum adsisceret. At ille: — «Apage te, — inquit, — nec enim quisquam, nisi insanierit, furem suam in domum admittet». Haec ubi audivit cliens, amarulento risu percontatus est defensorem: — «Tune idem es, qui modo tam bene mihi dixisti?»

* * *

Paterculus magisterio fungens in schola primordiorum prima, puellum ceteris segniorem ad discendum excutere si posset, quum multis artibus, tum allato sui ipse exemplo conatus est. — «Ego, Caire, quum eadem, qua tu, essem aetate, librum repente oculis meis subiectum cursim, ut aiunt, legebam non secus atque antea evolvissem». Ad haec candide puellus: — «Fuerit sane quod dicis; tamen arbitror te usum esse praeceptore magis quam meus est, idoneo».

Titus Curzius.

EPISTOLARUM COMMERCIUM

Cl. v. Paulo R.... *Auximum.* — Ob carmina tanta cum humanitate ad me missa gratias refero et habeo. Antequam vero edere possimus aliquantum exspectabis: susceptis enim antea oneribus satisfaciendum est.

Cl. v. Valentino B..... *Tarvisium.* — Ex iis quae Paulo R. superius diximus, facile tibi erit petitam responsionem deducere.

Cl. v. Benedicto G..... *Ad Calagurrim.* — Tibi morem gerere in proximo numero studebimus.

Cl. v. Carolo F....., *Noviodunum.* — Spatio omnino deficiente, Helveticas tuas litteras edere nequivimus. Sufficiat igitur de illo viro mentio, quam in superiore numero fecimus.

A Secretis.

AENIGMATA

I.

Parte priore rogare soles; sed *parte secunda*
Monstrare aut lentam carpere segnitiem.
Utraque mista quid est? Divi suprema voluntas,
Quae regit et terras, et regit astra poli.

II.

Te certum maneo, frustra fugis, imo propinquas,
Visentes olim fata docebo tua.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

Aloisii Clasii lusus pastorales.
(Latine vertit Ioannes Battani).

Aenigmata an. XII, n. XII proposita his respondent:

1) **Os-iris**; 2) **Do-mus**

Ea rite soluta miserunt:

F. Arnori; A. Tonelli, *Mediolano* — Petrus Tergestinus — Guilelmus Schenz, *Ratisbona* — P. Antonino dalla Venezia, *Venetiis* — Alois. Cappelli; G. Giani, *Senis* — Alex. Pintauro; F. Starace, *Neapoli* — I. Wabner, *Varsavia Polonorum* — Lucius Rhaetus, *Bucarestino* — I. Ciolli, *Papia* — Alex Fásztusz, *Szatmar* — Eug. Dolmar, *Chicagine* — M. Scarpini, *Roma* Ant. Musia, *Tarragona* — Alb. Catteau, *Lugduno* — Iac. Menendez, *Madrito* — Alb. Kain; Ant. Whiteside, *Dublino* — Fr. Guerra, *Aletio* — Iac. Fernandez, *Mexico* — Rich. Müller, *Berolino* — Raim. Silvan, *Londino* — Rich. Brondel, *Brugis* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum* — Lud. Dabois, *Massilia* — Mart. Dunne, *Neo Eboraco* — F. Correa, *Emerita* — Clem. Fiard, *Curia Rhaetorum* — Arch. Magliano, *Genua* — I. Ortiz, *Morelia* — Lud. Goux, *Bituricis* — I. Costa, *Dumio* — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio* — Ios. Martins, *Philadelphia* — Iac. Cordara, *Parentio* — Nic. Lagumina, *Panormo.*

Sortitus est praemium:

Franciscus Correa,

ad quem missa est I. B. FRANCESIA actio dramatica, versibus senariis conscripta, cui titulus:

TARCISIUS.

Sponsor: Ioannes Baptista Ciampi, iurisperitus

Romae — Ex officina *Societatis Romanae Editricis.*

(2

ARRAE GORGONIAE

(Cfr. num. sup.)



— Litteras habes?

— Habeo — volumenque e sago protulit — sed Caecilio tantum tradendas.

Volumen inspexit decurio, quumque vidisset integris vittis ac signis undique munitum:

— Eamus ad legatum — praecepit.

— Bene est — addidit eques — at obsecro, ut Pegasum meum tuis militibus curandum committas, donec ego regrediar.

— Audistine, Scaure? — ita decurio ad militem, qui facem gestabat — vulnus donec redeamus aqua saltem collinies: iamque trade faculam; tuque, eques, sequere.

Tum, alius alium sequutus, inter media equitatus tentoria ad praetorium processerunt. Stabant hinc inde vivo quasi aggere alarum e qui funibus devincti. Inde unus aut alter, quamvis somno opprimeretur, praetereuntium strepitu excitabatur atque oculos reserabat: modo subita taedae luce perculsus, claudebat iterum, terramque inquieto pede scalpens, abeuntes micanti pupilla longius sequebatur.

Pervenerunt milites ad praetorii custodiam; dataque tessera redditaque, centurio ex iis, qui rogum circumsedebant, surrexit, adventum decurionis sciscitavit compertaque rei causa, equitem ad legati tentorium adduxit. Tunc vero foris eum sistere iubens, ut rem nunciaret, ingreditur; momentoque post audita est Caecilii vox imperantis:

— Eques, adeas.

Qui ingressus est statim et ipse cito pede, ac demisso manu osculo legatum salutans, volumen laeva obtulit. Quumque legatus, ut illud acciperet, vultum manumque extulisset, conspicere illum equiti licuit. Erat viri adspectus rudis: vultus diu acta militia fatigatus, sole adustus, rigidum supercilium, et quamvis haud procero ferme corpore, latis tamen humeris turgidisque lacertis pugnacis corporis vires oculos percellebant. Qui, dum centurio egreditur, iterum in castrensi lectulo sedit, ut oblatas litteras legeret, ac simul volumen a se abiecit, cuius iuveni legere tituli prima verba vix datum est: *Periclis orationes*...

— Philosophum ducem habemus — tunc secum ipse mussitavit — dedatque Pallas armipotens parem sapientiae virtutem.

Interea Caecilius volumen evolverat illudque geminatum inveniens alterum deposuit, alterum legit statim.

Huius vero in lectura quo ulterius progrediebatur, eo subridentior vultu fiebat, oculosque saepe attollens, stantem coram se equitem perscrutabatur. Illustrabat enim iuvenem adversae lucernae lumen, nitebantque audax licet subfuscus vultus, nigri oculi, nigrique capili. Barbae vix primus pubescebat flos in genis, sed statura corporis procera, valentia membra et agilia perspiciebantur. A galea vero loricaque usque ad gladium ibericum atque tibialia summa cura perpolita singula arma emicabant, at laevum femur sanguinis guttulae madefaciebant; attamen ex omni habitu quaedam nota superbiae, romani equitis propriae, eminebat.

Indicia huiusmodi pleraque Caecilius, qui erat viros perscrutari peritus, facile animadvertit, at tandem, dum ultimum voluminis cincillum evolvit, aureum quid, abditum ibi involutumque, inopinato vidit, arripuit, admovit ad lumen, curioseque hinc inde inspexit.

Tunc oculos in iuvenem, qui rem vix notaverat, figens:

— Insperati, hercle, eventus advenisti nuncius, — ait; deinde aliquantum moratus:

— Qui vocaris? — rogavit.

— Marcus Atilius Vibenna — firma voce ille remisit, quippe qui nunciorum, quae attulisset, nulla curiositate teneretur.

— Memini — perrexit simulata incuria legatus — Vibennam patrem tuum nobis cum Marci Bruti copiis ad Philippos vulneratum, at post cladem nullibi ei occurri.

— Obiit namque — tum ille terram intuens — vulneribus rursus hiantibus paulo post in Campanis.

— Audio; at Plautilla Scribonia mater?

— Mater? — tunc ille, contracto tristi memoria supercilio pia voce docuit. — Mater quoque superiore anno rure mortua, paulo ante quam miles conscriberer.

— Ecquis tibi nunc praefectus?

— Aulus Aufidius Coruncanius.

— Benevolus ne?

— Haud supra quam decet, legate.

— Eccur te igitur, — addidit quasi haerens animo Caecilius, — ad me misit, qui patris tui hoc tibi donum traderem?

Quae dum recitat, aureum illud, quod mox repererat, dextera porrexit.

Tenuit Atilius; at vix propius admovit oculis, pallore novo novoque stupore perculsus stetit. Armilla erat taeniae ad instar aureis contexta ansulis ac purpureo distincta coralio, ex quo pala quoque effícta fimbriae adfixa, quae Medusaeum caput tam miro artificio insculptum habebat, ut micare oculos et anguineos vibrare dixeris capillos.

Pallescentem severe redarguit legatus:

— Mulierculam libens credam, eques, quem tam pavidum video ut prorsus dicam omni virtute destitutum, quae romanum militem et facere et pati fortia iubet.

(*Ad proximum numerum*).

I. A. Costaggini.

Ann. XIII. Romae, Mense Aprili MCMX Num. IV.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

De Syllabi Pii PP. X

propositione XXVII

« Evangelio non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas. »
S. Augustinus.

Errores qui sub Leone XIII, modo latenti serpebant, incredibili velocitate sub Pio X inter catholicos diffusi sunt, atque a modernistis acriter defensi fuere. Quamvis errores isti, prima fronte *sparsi veluti atque invicem seiuncti* videantur, tamen extra dubium est *omnium haereseon conlectum* efformare.

Ne igitur, per huiusmodi errores, fides corrumperetur, Pontifici Pio X placuit, Officio S. R. et Universalis Inquisitionis committere, ut praecipui inter eos « notarentur et reprobarentur ». Sacra Congregatio mandato Pontificis obediens, examen instituit atque *Decreto* quodam generali 65 propositiones reprobavit ac proscripsit. Hoc feria iv die 3 Iulii 1907 factum est. Sequenti vero feria v die 4 eiusdem mensis et anni, facta de his omnibus SSmo. D. N. Pio PP. X accurata relatione, Sanctitas Sua decretum Emôrum Patrum adprobavit et confirmavit atque omnes et singulas supra recensitas propositiones ceu reprobatas ac proscriptas ab omnibus haberi mandavit. Itaque publici iuris factum est Decretum *Lamentabili sane exitu,* cui a nonnullis, propter similitudinem cum Syllabo Pii IX, recte nomen « Syllabi Pii X » tributum fuit. (1)

Inter propositiones damnatas, duodecim propositiones (27-38) inveniuntur, Divinitatem, Ministerium, Denominationes, Doctrinam, Scientiam necnon Resurrectionem Iesu Christi respicientes. Innixi Augustini (2) verbis: « Ego vero Evangelio non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas », in *Voce Urbis* examini subiicimus Propositionem 27am, quae sonat: « Divinitas Iesu Christi ex Evangeliis non probatur; sed est dogma quod conscientia christiana e notione Messiae deduxit. »

(1) Cfr. De Valore Syllabi (P. Fei). Friburgi Helvetiorum 0,50.
(2) *Epist. Manich.*, 6.

***

Propositio haec, quasi ad litteram desumpta fuit ab ipso Loisy (1) dum scribit: *La Divinité du Christ est un dogme qui a grandi dans la conscience chrétienne, mais qui n'avait pas été expressement formulé dans l'Évangile; il existait seulement en germe dans la notion du Messie fils de Dieu... La Divinité de Jésus n'est pas un fait de l'histoire évangelique.* Per recensitam Syllabi propositionem reprobatur 1° error dicentium: « Divinitatem Iesu Christi ex Evangeliis non probari »; 2° assertio dicentium: « Christus est Deus quia *Messias* Iudaeorum, est utique a Deo electus, consecratus, spirituque Dei donatus, sed manet homo, ideoque etiam Christus, homo purus est ».

In primo errore invenitur Renan (2) dum rhetorice scribit: « Nunquam intentio Christi fuit, se esse ipsius Dei quamdam Incarnationem; silent Evangelia Synoptica, ac in solo S. Ioannis Evangelio hoc indicatur. Iesus Ipse doctrinam hanc reiecit, dum (Math. xix, 17) ait: « Unus est bonus Deus »; Iesum esse Deum vel aequalem Deo calumnia quaedam Iudaeorum est. Ipse se minorem Patre declaravit, quamvis Iesus Christus maior homine sit, infinite tamen a Deo distans est ». Idipsum docet A. Harnack (3) scribens: « Apostoli Pauli speculationi debetur fides, qua creditur Deum fuisse in Christo et Christum naturam quamdam caelestem habere. Propo-

(1) *Autour d'un petit livre. Lettre a un archevêque sur la Divinité de J. C. I.*
(2) *Vie de Jésus* c. xv.
(3) *Das Wesen des Christentums* p. 32 et 116.

sitio « Ego sum Filius Dei » non est a Christo, et si in Evangelio ponatur, aliquid Evangelio additur ». Haec omnia ab ipso Loisy confirmantur in alio suo opere (1) damnato, cuius verba gallice nobis transcribere placet: *Le Christ est le président de la société des élus... Le titre de Fils de Dieu... appartient à Jésus, non à raison de ses dispositions intimes.*

***

Praedictorum errorum critica habetur, si ex Novo Testamento *Divinitas* Iesu Christi appareat. Apparet vero:

I) Ex parabola de vinitoribus homicidis quae in S. Marco (XII, 1-12) legitur: « Vineam pastinavit homo,... et locavit eam agricolis, et peregre profectus est. Et misit ad agricolas in tempore servum ut ab agricolis acciperet de fructu vineae. Qui apprehensum eum ceciderunt, et dimiserunt vacuum. Et iterum misit ad illos alium servum: et illum in capite vulneraverunt, et contumeliis affecerunt. Et rursum alium misit et illum occiderunt: et plures alios: quosdam caedentes, alios vero occidentes. Adhuc ergo unum habens filium charissimum; et illum misit ad eos novissimum dicens: Quia reverebuntur filium meum! Coloni autem dixerunt ad invicem: Hic est haeres! venite, occidamus eum! et nostra erit haereditas! Et apprehendentes eum, occiderunt; et eiecerunt extra vineam ».

Modo quid sub velamine huius parabolae latet?

a) Filius ille « charissimus, unicus, haeres patris, dominus vineae » est Iesus Christus, qui propter suam aeternam nativitatem, supra omnes filios adoptivos Dei constituitur.

b) Servi missi, occisi, vulnerati atque calumniis affecti, Prophetae Veteris Testamenti ac Sancti Israel sunt, qui ante Christum missi fuere.

c) Missio filii charissimi, unici atque haeredis, missionem necnon Iesu Christi adventum pro generis humani salute significat.

d) Iura Patris sunt iura Filii, ideoque Christus iuribus Patris gaudet; et quemadmodum Pater, ita et Ipse, dominium universale mundi possidet, supra mundum regnat, non quidem regis humani more, sed uti Deus. Aliis verbis, per hanc Christi parabolam, divinae Filiationis et consequenter Divinitatis Iesu Christi, tres statuuntur characteres: 1°) exaltatio Christi supra omnes Prophetas, aliosque Dei servos Veteris Testamenti ratione suae nativitatis; 2°) iura Christi extensa ac plena, sicuti iura Dei Patris; 3°) exinanitio voluntaria Christi ad formam servi, quum tamen « in forma Dei esset ». (2)

***

II) Apparet ex confessione Christi, relationes suas ad Patrem determinantis. Legitur (MATH. XI, 25, 27): « Iesus dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae,

(1) *L'Évangile et l'Église* p. 53-57.

(2) Cf. ROSE, *Études sur les Evangiles* (p. 201) ch. 6, 11: *Le fond mystérieux de Jésus vient enfin à la lumière; cette personnalité, qui, sous le titre de fils de l'homme, travaillait sans éclat, silencieusement et lentement à l'oeuvre du royaume des cieux, ose revendiquer des honneurs tels qu'ils conviennent à un fils né de Dieu, les droits mêmes de Dieu.*

quia abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis... Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare ».

In hisce versiculis, fit sermo:

a) de rebus absconditis quae a S. Ioanne (III, 12) « caelestia » vocantur, quaeque aliud non sunt, nisi regni Dei mysteria;

b) Asseritur, neminem comprehendere, quid sit, velit, discernat Pater; et Christum haec omnia scire et nosse. Ex alia parte solummodo Pater cognoscit et novit Filium, ita ut Filius adaequet Patrem, et Pater Filium, et inter Patrem et Filium existat vera « Circuminsessio » uti a theologis dicitur, qua Pater est totus in Filio, et Filius totus in Patre. (1)

c) Consequenter, Christus cognoscit, uti Deus Pater cognoscit: potest ea, quae Deus Pater potest. Et quia in Deo cognoscere est esse eius, ideo Christus, cuius cognoscere est cognoscere Patris, habet idem esse, eamdem naturam ac Pater. Neque A. Harnack audiendus est, arbitrarie explicans divinam Iesu Christi Filiationem (2).

Ex allatis igitur testimoniis, tria iure inferimus: 1°, quod Filiatio divina Christi praeexistens est, atque temporalem nativitatem eius praecedit; 2°, quod Christo, omnia a Patre tradita sunt, quia est Filius Dei; 3°, quod Christus, quia Filius Dei, habet modum divinum cognoscendi ipsum Patrem, qui quidem modus cognoscendi, eamdem divinam Patris naturam importat in Christo. Ex Evangeliis synopticis, post dicta, pro filiatione divina Iesu Christi ita arguimus: Iesu Christo ea filiatio tribuenda est, qualis in Evangeliis synopticis exprimitur et manifestatur. Modo in tribus Evangeliis synopticis, uti hucusque vidimus, exprimitur et manifestatur filiatio divina, exigens eamdem naturam Patris, eadem atque identica Patris iura. Ergo filiatio huiusmodi divina Iesu Christo tribuenda est, ideoque Ipse ex Evangeliis Deus est.

***

III) Apparet ex affirmatione, qua Christus in Evangeliis se dicit « esse Deum ». Absque dubio, factum historici necnon critici consideratione dignum est, quod Iesus Christus, toto vitae suae terrenae decursu, continuo atque constanter affirmaverit « se esse Deum, unice Deum, supra angelos hominesque constitutum, iuribus divinis non limitatis sed infinitis, non acquisitis sed naturalibus praeditum, haeredem universalem omnium bonorum Patris, mundi Dominatorem, non qui-

(1) Cf. FEI *De Deo uno*, Vol. 1. n. 185.

(2) Prof. RAF. MARIANO (*Rass. Nazionale* Dic. 1902. p. 411, 12) haec contra Harnack scribit: *Dove il concetto vero di Dio e del Cristo fosser quelli che l'Harnack se n'è formati,... non resterebbe altra via di uscita dalla profonda antinomia se non di ammettere necessariamente, che il Cristianesimo... venne già frainteso e scisato sin dagli Apostoli e dai cristiani primitivi, e sin da Paolo e da Giovanni, e poscia via via, in proporzioni maggiori, per opera di tutta la formazione dogmatico-ecclesiastica posteriore. Sicchè processo storico del Cristianesimo e perturbazione, degenerazione continuata, universale, progressiva e crescente di sua essenza sarebbero equivalenti.*

dem more regis temporalis sed more Dei. Modo, petimus nos, affirmatio haec constans atque ininterrupta Christi, factum hoc unicum atque insolitum, quomodo explicari potest? Unum ex duobus est eligendum. Vel dicendum est, Christum illusum fuisse, vel Christum reapse esse Deum. Nequit vero primum affirmari, idest Christum illusum fuisse, quia homo illusus dignitatem vel missionem quam non habet, sibi tribuens, 1°) aliquando de dignitate necnon missione sua dubium patitur, atque rursus illusio eius facile dignoscitur; 2°) difficultatibus circumventus fatetur « deceptionem suam »; 3°) illusio quaelibet ad tempus perdurat, neque cum vita plane admirabili conciliari potest; 4°) non fertur desiderio ad ardua et magna. Contra Iesus Christus, nec momento aliquo, de Divinitate propria dubium passus est, neque deceptionem suam fassus est, quamvis difficultatibus discipulorum ac civilis potestatis undique circumventus; imo coram morte amarissima, et usque ad mortem et in ipsa morte, ea quae affirmavit, forti confirmavit animo. Rursus, rationalistis ipsis sponte fatentibus, vita Christi terrena plane admirabilis, caelestis, divina, sine exemplo fuit. Igitur ex affirmatione qua Christus in Evangeliis proclamavit se esse Deum, Christus vere Deus est (1).

***

IV) Denique apparet ex modo quo Christus in Evangeliis Filiationem divinam sibi tribuit. Christus enim non una, sed infinitis vicibus vocat se « Filium Dei », tribuit sibi divinam Filiationem. Porro modus iste filiationem hanc sibi tribuendi, extraordinarius, inexplicabilis est, consortium naturae divinae in Christo Iesu necessario exigit. Siquidem Christus vocat se, *a)* Filium unicum, naturalem Dei, eadem ac identica privilegia Patris habentem, universorum haeredem, omnium creatorem. *b)* Fatetur se dignitatem inaccessibilem habitare, ad quam nunquam ullus hominum pervenire poterit, atque ita ab hominibus distare, ut inter homines et Ipsum, Angeli intercedant. *c)* Differentiam inter filiationem suam naturalem ac filiationem acquisitam discipulorum statuit, quumque illis praecipiat ut oratione quae « Pater noster » vocatur, orent, Ipse « Patrem suum orat ». *d)* Indicat gradum quem occupat, per S. Marci (XIII, 32) testimonium: « De die autem illo, vel hora nemo scit, neque angeli in caelo, neque Filius nisi Pater » et Ipse est, apud Patrem, in Patre, in sinu Patris.

Fas est ergo concludere contra Modernistas: Ex parabola de vinitoribus homicidis, ex Christi confessione, ex Christi affirmatione, necnon ex modo quo Christus Filiationem divinam sibi tribuit, *Christus est vere Deus*, ideoque *Divinitas Iesu Christi ex Evangeliis probatur*. (2)

Friburgi Helvetiorum.

P. Reginaldus Fei, O. P.

(1) Cf. Rose l. c. XI, 202. Qui de hac affirmatione Christi ait: *N'est-ce pas là un fait sans exemple, un unicum dans l'histoire...? Voilà une prétention sans exemple et sans précédent: elle n'a pas été reprise, et elle sollicite la méditation de l'historien et du critique.*

(1) Cf. Fei *Theol. Dog.*, De Christo Vol. 3, n. 81.

DE RE LITTERARIA APUD SUBALPINOS (1)

De iurisprudentia.

Iurisprudentiam omnibus temporibus et apud omnes gentes in honore semper fuisse facile constat. Ipsa enim potissimum homines ad munera publica nituntur. Atque adeo maxima iurisconsultorum copia apud nos pervenit, qui id ingenii acumen in aliorum sententiis dispiciendis ostentarunt, et in enucleandis legibus posuerunt, ut aliquando cum exteris in contentionem de iurisprudentiae primatu venerint. Ad haec nostri, ut sibi gloriam, regno subsidium compararent, principes, compositis rebus, huic studio maxime faventes, doctissimos undique viros maximis propositis praemiis ornamentisque ad docendum invitarunt. Ad scribendi genus quod attinet, aperte dicam: neque in illorum operibus orationis nitor plane desideratur; etiamsi nondum ad veram germanamque eloquentiam adsurgant. Quum vero primum nova tempora effulserunt, complures et in hac disciplina primas obtinere videntur. Vim enim et quasi flammam oratoris alit ius, unicuique datum, de iis libere dicendi, quae ad civium commoda, atque ad reipublicae incolumitatem potissimum pertinent. Et ipsi doctores, deposita quoddammodo severioris iustitiae gravitatis persona, quum de legibus apud discipulos actitabant, summo studio ad eloquentiam nitebantur, ut ad nutum atque arbitrium auditorum voluntates se fingerent atque accommodarent. Hos inter adnumerandus est *Matthaeus Pescatore*, in vico a S. Georgio dicto in Salassis humili loco natus, qui vi ingenii, studiorum amore, iurisperitorum sui temporis doctissimus salutatus est. Ipse enim in ipso aetatis flore, facilis atque acerrimus orator, ius in Archigymnasio Taurinensi tradidit, et multis operibus conscriptis, patriae lumen adstitit atque disciplinae suae ornamentum. Ex multa eruditione, ex pluribus artibus, et omnium rerum scientia exundat et exuberat eius admirabilis eloquentia. Quum vero lege cautum esset ut latino sermone in scholis quisque professor uteretur, hic ita scitus atque elegans videbatur, ut cum electissimis latinae linguae cultoribus decertare posset.

Omnia quae in schola de iure tradebat, in vulgus italico sermone exarata mox edenda curabat. Tunc

(1) Cfr. ann. XIII, n. I.

enimvero, cum propter assiduitatem in dicendo et industriam, tum propter exquisitius et minime vulgare orationis genus, animos lectorum ad se scribendi novitate convertit. Et externi libros eius sapientes atque ad severitatem compositos legere cum admiratione consueverunt. Nam sive de iuris scientia scribat, sive de reorum causis inspiciundis, hisce prorsus virtutibus elucet, quod stilum prudenti ratione rebus hominibusque accommodare videatur.

Ac propterea nil mirum si ipse ad suprema reipublicae munera pervenerit, senator Regni adscitus, novissime in suprema Curia Romana advocatus Fisci et praeses sit dictus, atque omnibus honoribus sit auctus.

Quod honoris gratia de Papiniano dicebatur, ei merito passim aptandum videtur: *Iuris asylum et doctrinae legalis thesaurus.*

Multi alii praeterea apud nos iuris studio dediti fuerunt, quorum opera, labentibus annis, iurisprudentia, plurimis quotidie inventis additis, novum quasi vultum induit. Qua de causa iurisconsulti tot honorum insignibus fuerunt honestati, ut nihil iis ad dignitatem deesse videretur. Satis sit *Fridericum Sclopis* Comitem a Salerano memorare, cuius arbitrio fuit olim demandatum certamen inter Angliam atque Americanam gentem Septentrionalem; qui sua gratia, sapientia atque auctoritate, prohibuit, omnibus undique populis admirantibus, quominus fortissimae illae nationes ad arma convolarent.

In medium quoque referam *I. Mattirolo,* qui Matthaei Pescatore, immortalis magistri, vestigiis insistens, de universo iure conscripsit, atque ita Subalpinorum nomen non modo apud omnem italicam gentem renovavit, sed et apud exteras iurisprudentium familias. Hic enim universum italici iuris codicem in unum corpus congestum miro ordine ac perspicuitate enucleavit in omnium utilitatem, ita tamen, ut nemini fas sit ad praestantiam quamdam adsurgere quin illud resciat. Iurisconsultorum mores et ingenium reddit, qui legum carmen et concepta verba mordicus tenere consueverunt. Horum nomina non obscurabit oblivio, etsi aetas alios aliis rebus doctiores ferat, et virorum sapientium famam sapientiorum ingenium supergrediatur et superet.

SUBALPINUS.

Labitur occulte, fallitque volubilis aetas.

Ov., *Am.*, I, 8.

FRIDERICI CHOPENII
COMMEMORATIO

Quemnam, sin minus musica, at nomen certe latet Friderici Chopenii, cuius patria eadem est atque mea, Polonia, in qua ante annos centum lucem vitae conspexit et quae haud ita multo ante, extrema parte elapsi mensis Februarii, intra dies assidui luctus, quem ei sors tristis apportat, serio laeta tota sollemniter huius nobilissimi filii ortus commemorationem celebravit? Nam XXII[a] die eiusdem mensis centum anni effluxerunt ex quo is natus est, qui Poloniae nomen insolito ingenio et arte nobilitavit; et quidem quanam arte? quae, quamquam non verbis, sed mutis tantum vocibus et sonis utitur, hominum tamen animos distincte alloquitur. Quid dico distincte? — distinctius etiam, quam verbis; nam non solum intellectum amplectitur, sed et sensus, quos vult, excitat animosque movet, hilarat, tranquillat, contristat. Musica enim est, quae non rationem solum, sed mentem quoque penetret, cuius linguam sonantem non solum intelligamus, sed etiam sentiamus. Qua re mihi etiam poësi praestare videtur, quod poësis ars est, qua suus tantum populus, ex alienigenis autem linguae poetae particeps et gnarus tantum delectari potest isque non semper, nam *Wer den Dichter will verstehen, muss in Dichters Lande gehen* (1); musica autem magis « internationali » vi et potestate est exornata ita, ut quae loquitur et exprimit, omnium gentium homines exculti intelligere sentireque possint, scilicet si ars perfecto, probo, non depravato ingenio fulcitur, ut communem hominum naturam non laedat.

*
* *

In huiusmodi artificum ingeniosissimorum numero iure meritoque habetur Fridericus Chopenius noster, quam ob rem non Polonum modo eum sed « omnigenum » eumque clarissimum artificem musicum appellare audeam, id quod exteri etiam gravi iudicio critici probasse videntur. Nam quid scimus exclamasse Germanum Robertum Schumannum, quum Chopenii non plus quam duodeviginti annorum iuvenis opus II *(Variationes ex « Don Juan »)* in ephemeride « *Neue Zeitschrift für die Musik* » vidisset? « *Hut ab, meine Herren! Ein Genie!* » — « Aperite caput qui adestis; ingenium sublime salutetis! »

Quam opinionem postea et alii celeberrimi viri, ut Mendelsohnus, ut Marmontelus communicasse cum eo dicuntur. Tam igitur divina potestate, tam

(1) I. e,: « Qui poetam vult intelligere, eius patriam adeat necesse est ».

sublimi arte iam iuvenis Chopenii musica percellebat hominum animos et mentes!

Sed quid praecipue est in hoc ingeniosissimo genere musicae Chopenii, quod tam valide animos et mentes concutit, permulcet, allicit, ineffabilibus deliciis afficit? O honestissimum fontem inflammationis! o castissimum patriae amorem! Tu tres Polonorum poetas, Mickiewicium, Krasinskium, Slocoaekium, celeberrimos reddidisti, quorum primus etiam proprie poeta universae humanitatis et fraternitatis est existimandus; tute et Chopenii artem exornasti illa admirabili vi caritatis humanae, quae ex dolore et moestitia iniusta vi oppressorum nasci solet. Ita est: Chopenii artis venustas, paene dicam, fascinatio invicta eadem ratione, qua et trium illorum poetarum, maxime ex eo hausta est dolore, quo omnium eorum teneros animos calamitas et desiderium patriae, qua usque ad mortem in exteris nationibus caruerunt, opprimebat et torquebat. Quam opinionem haud ita multo ante ex ipsis Russis quidam (heu! nominis miser sum oblitus), quum et is commemorationem Chopenii celebraret, ita illustravit: — Stutgardii morabatur Chopenius, iuvenis, quum Varsavia a Paskewicio est expugnata: quo doloroso nuntio accepto creavit opus (proprie tria erant: *Étude C-mol, Praeludia A-mol et D-mol, n. a)*, quod, quamquam dolorem, querelam, desperationem atque iram adversus patriae hostes in se continet, tamen delicias, ut omnibus, ita nobis quoque parabat et usque parat. — Nempe tam divina, tam honesta arte affectus omnes reddit.



Fridericus Chopin
(Ex antiqua tabula aere cusa.)

Et quod praeterea maxime est mirandum, Chopenius omnia opera sua adeo polono habitu vestiebat, ut, qui Polonorum nationem quoquo modo cognitam habet, statim artificem Polonum recognoscat, id quod Schumannus idem aliquoties iam commemoratus etiam indicavit, quum diceret opera Chopenii habere *zu spezielle sarmatische Physiognomie*, hoc est « indolem Sarmaticam nimis », et optaret, ut magis *weltbürgerlich* (cosmopolitanus) fieret.

Utcumque est, Chopenius *weltbürgerlich* factus est et Poloniam patriam ubique per orbem terrarum honestavit ita, ut liceat mihi cum quadam superba voluptate exclamare: Io! triumphe, Friderice Chopeni; utinam caelum plus tibi gaudii et beatitudinis condonet, quam terra donavit!

Varsaviae Polonorum, mense Martio MCMX.

IOSEPHUS WABNER.

COLLOQUIA LATINA

Pilare certamen.

PETRUS. — Eia, sodales, tempus labitur; hoc vespere deambulationi dabimus operam per duas ad minus horas et loquendi desiderium explere poterimus...

ANTONIUS. — Quid hoc sibi vult? ut paulisper ludamus?

P. — Id ipsum intendebam significare; libetne?

A. — Quod ad me attinet, quamprimum; dudum enim de hocce cogitabam; hic vero Ioannes, si sermonem arripiat...

IOANNES. — Miserum Ioannem! tu unus loquax hic... ut si ceteri garrire non amaverint!

P. — Age, mi homo; iniuriam non puto adeo gravem ut sic irascaris.

I. — Mene irasci? nihil minus... Eamus ludere.

P. — Optime, sed quo ludo?

I. — Pilâ ludemus, si placet.

A. — Cunctis placet, namque id ludi, saepe Moderator noster inquit prodesse omnibus; et ego certo scio eum libentissime exspectare dum nos ludamus. Eo pilam ut afferam.

FERDINANDUS. — Et in hoc verum dicit Antonius. Cernatis Moderatoris supercilium quum, tempore recreationis, nos sedentes aspicit. Abhinc paucos dies eramus Sylvester et ego vere quieti, illic, iuxta parietem horti, dixitque, obiurgans, nos senes videri.

I. — Senes videri? et quid istuc?

F. — Quid, rogitas? Quoniam illa nostra tranquillitas tantummodo licebat invalidis senibus, quibus, ut nobis, cursitare atque salire usque non datur.

P. — Numne ab eo saepissime audisti, ludum non amare indicium esse non satis commodae valetudinis?

F. — Sibique displicere tristes pueros, quantum arrident semper hilares ut usquequaque garrientes?

I. — Concedi quidem potest hoc ut simus semper hilares; garrire vero usquequaque...

F. — Iam tenetur, mi bone, quum tempus est garriendi. Sed ecce Antonius redit cum pila.

A. — En affero duas: ex his eligite quae magis placeat.

I. — Haec melior quae maior est.

P. — Sine videam ut resilit... Oh! valde mollis est; tentabo alteram... Hanc meliorem puto, nam quamvis aliquantulum minor, durior est resilitque melius.

F. — Istac igitur ludemus. Agite, bini contra binos. Quis mihi adhaeret? Singulatim quatuor fere aequaliter ludimus. Tu, Petre, et ego collusores erimus.

P. — Optime. Mittatis vos primi concedimus.

I. — Minime; nullam admittimus condicionem, quae nobis faveat; haec, si victus fueris, tibi erit excusationi.

P. — Recte dicis; iaciamus ambo pilam, et qui proprius ab linea eam resilire faciat, sit ille prolusor.

I. — Iacio igitur..... Imperite iactum intendi; steti longe fere ulna.

P. — Huc incidit; locum indicemus aliquo signo.

I. — Movete ocius; quid signo opus est? *(Iacit Petrus)* Fecisti bene, Petre; in mediam lineam incidit... Nihil refert; vos estis prolusores. Retro eamus, Antoni, nos ex opposito collocati; accinge te operi. Tu illic, tuere sinistram; ego dexteram tenebo.

P. — Paratine?

I. — Equidem; quum velis, mitte... Hem! sustine paullisper. *(Sylvestrum videns).* Ecce Sylvester illic; vocamusne ut rationem habeat punctorum iudexque sit in controversis?

F. — Non opus est; bonae conscientiae sumus: attamen, si aliud videtur, fac quod lubeat.

I. — Heus, Sylvester, in pilae ludo concertavimus; libetne rationem habere punctorum et controversias dirimere si forte oriantur?

Sylvester. — Si sententiis meis stare promittitis, non est valde operosum vobis hoc officium praestare.

F. — Sane; de istoc minime dubitandum. Uni verbo tuo omnes assentiemur.

I. — Sed cura ut in neutram partem voluntatem inclines; nemini faveas... semper quod iustum sit sententia tua....

S. — Negotium meum hoc; scio munera iudicis.

I. — Festina ludere, Petre.

P. — Facio igitur... Magis retro vobis ire oportet.

I. — *(Ad collusorem suum)* Sine me percutere... *(Vitium facit)* Hercle! oblique reflexit; aliter enim...

P. — Primum tantum nostrum est; unum contra nullum; bene incipimus.

A. — Sed quot punctis ludimus? Iam multa verba fecimus et de hoc nihil concertavimus.

F. — Duodecim punctis, ut mos est; si ad novem aut decem aequalitas fiat, aliquantulum ludum producere poterimus.

P. — *(Mittens iterum)* Hanc etiam tibi, Ioannes.

A. — *(Ad collusorem Ioannem)* Mea est... abi tu intro, ultra lineam... vicimus... Narra, Sylvester.

S. — Aequales estis; cuique unum.

A. — (*Ad Ioannem*) Prope ab muro te retine, ubi facilius resistere poteris; hic ero ego citra lineam, nam quum Petrus iacit, remissio est ardua valde.

I. — Bene dicis; ita enim longe mittit, ut ad retorquendum firmo ientaculo munire se oporteat. Quidnam tibi videtur: vincemus?

A. — Fieri potest; at non est praecinenda victoria; eniti prius omni opera necesse est.

I. — Istic Petrus valde certus ludit, nec in unum vitium incurrit. Ego... nescio, sed hoc mane fortuna iuvare recusat.

A. — (*Ad Sylvestrum*) Quotum, ais, nos agere punctum, Sylvester?

S. — Vos quartum; hi sextum, dimidiam ludi partem.

I. — Crederem illos quintum tantum egisse.

S. — At non crederes bene; sextum dixi.

I. — Sit ergo sextum, non dubito. Nunc meum est ludere; videamus an missio nobis faveat aliquot calculis.

F. — (*Ad Ioannem qui oblique misit*) Heus, tu; hocce non valet.

I. — Qua de causa? non intra lineam incidit? Fors fuit ut non resiliret; et id mihi obvenit aliquando; ergo patiens esto: patientia vobis necessaria est.

(Ad proximum numerum).

B. Gabara O. S. A.

ARRAE GORGONIAE

« Vox Urbis » commentarii appendicem, vid. in pag. 64.

AD GOLGOTHAM

Sacra actio dramatica I. B. FRANCESIA versibus senariis conscripta

(Cfr. num. sup.).

SCENA IV. (Ludibrium).

BARBAAL (*daemon*) et IUDAS.

BARB. (*ingressus paulo ante, brachiis super pectus consertis, eum circumspexit, postea irridens*)
Ehus! Iuda e Keriot, tu mente desipis?
IUD. (*se se excutit lente, pergit ad laevam haud ridens Barbaal*).
Fortassis!
BARB. Te gravis tenet tristitiae
Causa? decoxisti? vel te illusit quis dolis?
IUD. Missa istac face! haud placent! me iocas!
BARB. Iocaris, Iuda, tu: gravitati ego deditus.
Ingenio placet hilari me vivere,
Placet quidem, nosti... Magis sed si lubet...
IUD. Et pergis?
BARB. (*progrediens*) Galilaeus!...
IUD. (*extemplo*) Ne dicas, tace!
BARB. Ipse est qui turbat res tuas! Id nempe aio!
(*irridens*) Erat telonium tibi percommodum,
Erat semper tibi grande marsupium....
Sed mensa rumpitur, solvuntur socii....
Marsupium....
IUD. Vah! spiritus perditissime!
BARB. (*prompte*) In illo erat tuus totus nempe spiritus!
In illo tibi cuncta prospera. (*Iudas transilit*) Sine!
Sine dicam! pravo vixisti iudicio!
Erat marsupium tibi.... Res commoda!
Unde exspiscari pecuniam poteras,
Tuosque digitos argenteos reddere.
Eum de causa sequebaris unica!
Cur os tu falso flectis in maestitiam,
Quod vendidisti illum? Dic potius
Eum quod parvo vendidisti pretio!... (*violenter haec dicit*)
IUD. (*excruciatus*) Bonos tu mores, Barbaal, mi praedicas?
BARB. Potius quae pulcra sunt libenter suggero.
IUD. Auctor rei fuisti mihi quam reprobas.
BARB. Modo sacerdotum obtuli propositum.
Tibi, fac, dixi?
IUD. Rem pinxisti roseam!
BARB. (*raptim*) Tuis ipse oculis reddidisti huiusmodi!
IUD. Verbis me fregisti plenis dulcedine....
BARB. Non ipse; vicerunt triginta nummuli.
IUD. Tute! Per te modo Magistrum prodidi!
BARB. Eum non amabas! Adisti pedibus,
Non ad sequendum, sed ad lucrandum potius.
IUD. Tibi quis haec dixit?
BARB. Tibi ipse saepius!
IUD. Quid rescis, tu magistrum si amaverim?
BARB. Nunquam! Tu amabas effigiem Caesaris,
Super quae videtur fulgere denariis.
Tuus fuit semper totus horum amor! (*Hic Iudas terga ei vertit et ascendit, dum alter ironice et gravi supercilio*)
Iuda, fili Keriot, magni consilii
In adquirendis undique pecuniis,
Aptam vidisti rem tibi perutilem.
Ob id secutus es magistrum Nazareth!
Est ille totus fixus in caelestibus,
Totus tu, Iuda, fixus in terrestribus.
Erant pol equidem decernenda munera!
Iudas, vir magni consilii, cupidus
Rerum, nimis sagax unguentorum venditor!
Leprosi in aedibus Simonis explicat
Malignos oculos cavos sicut lacus
Genezareth: ex alabastri vase iudicat
Assyrio nardi pleno pretiosissimi,
Trecentos posse prendere hinc denarios.
Maria Magdali struit sacrilegium
Profecto, rupit cumprimum vasculum,
Aroma spargens Galilaei super caput!
Enim tuum fulsit tunc parsimoniae
Ingenium! Nam totum unguentum vendere
Cum fores impotens, modestus, ut tuus
Mos est, remansit quod magistri in capite
Pol vendidisti, superaddens ipsum caput.
Eius saltem partem servasti decimam,
Fuit quod optimum, ne totum perderes.
IUD. (*stetit in extrema parte eum observans brachiis consertis, amare*).
Idem tuas possem laudes exponere,
Tibique debitum pro factis cudere... (*introgreditur Sacerdos Maximus cum turba*)
Iuvat tamen silentium.
BARB. Nil prohibet.
En audiat qui adest opportuno tempore.
IUD. (*observat indignabundus sacerdotes et procedit*)
Hoc fato cautum, pro poena certum mea,
Ut hos inveniam per viam gradiens,
Vel Nazaraeum, demum vel te, Barbaal,
Hos nisi ego offendam mea pernicie. (*Barbaal longe flectit procedens in imam partem et introgreditur*).

SCENA V. (Obiurgationes).

IUDAS, PONTIFEX MAXIMUS, PHARISAEUS, SCRIBA, SADUCAEUS.
Sacerdotes, Pharisaei, Scribae, Saducaei
et postea NICODEMUS.

PONTIFEX MAX. (*introgressus quasi ad numerum Barbaal, sistit cum aliis introspiciens, interloquens et digitis ostendens, deinde in se conversus*)
Iuda de Keriot, heic qui te invenio?
IUD. (*subtristis atque abstractus*) Ipse equidem scio quo vadam forsitan?
(*Ei obvius*) Verum, sacerdos, magna si stat ratio,
Cur tu mireris, dicam confidentius,
Ad latus Iesu adesse te putarem bonum,
Illic est locus tuus, non iam alibi!

PONT. Eum praecedo!
IUD. *(territus)* Istac ipse pertranseat?
M. SAC. *(ad laeram signans)* Illac. Enim si haec est brevior via,
Angustior trames... Cuncta Ierusalem
Eum persequitur. Tandem antiqua civitas
In se recessit...
NIC. *(e limine)* Hoc modo vos creditis
Qui estis de Synedrio.
PONT. Tuque credis admodum!
NIC. Tibi si dixero neutiquam credere?
PHAR. Enim re vera haud erat ad Praetorium.
OMNES *(de turba)* Ita est! Ita est! Nobiscum minime ipse erat!
PHAR. Eis prorsus favet partem qui contrariam
Sequuntur, inque sacerdotes mussitant!
PONT. Levis quae factio!
NIC. *(gravis)* Sumus pro iustitia!
PONT. *(exagitatus)* At pauci omnino sumant ut de populo
Causam!
NIC. Ius nobis centum est pro militibus
Vir unus iustus est nobis pro populo!
PONT. M. Quid? Ius inane clamitat!
NIC. Et obtinet!
Modo debetur esse si iustitia!
PONT. M. Erit nam qui iudex?
NIC. Deus!
(quam celerrime)
PONT. Pro lege erit!
Et ipsa stabit quidem pro nobis usque lex!
NIC. Ei favet lex, contra ipse pro lege stat!
Vobis? Iudas favet modis nequissimis. *(anxius)*
PONT. *(Pharisaei, scribae et saducaei, quasi uno ore)*
Nihil nobis illo est commune cum viro!
IUD. *(procedens)* Nihil fecistis sine ausu meo et manu!
(Magna contentio Pharisaeorum etc. in Nicodemum et Iudam)
NIC. *(stat manibus consertis eos tacite observans)*
PONT. Quid ipse dixit? Imputet factum sibi.
IUD. Dementes admodum, vultis qui vinculum,
Quod omnes adligat, manu nunc rumpere!
PHARIS. Est nullum nobis conventum cum pessumo!
IUD. Vester quidem totus sum per flagitium,
Et vester propter animam quam perdidi!
(auditur rumor) Quid vos absconditis manum, furciferi?
Lapis fui si ego, sed estis funda vos;
Lapis si fateor, vos estis brachium,
Estis vos crimen quod conflastis subdoli!
Latens officina estis vos nequitiae;
Ex vestra crimen totum mente prodiit!
PHAR. Nihil commisimus nos in abscondito.
Ei, magistrum vocant quem discipuli,
Sumus locuti in templo confidentius!
IUD. Silete! Eratis in templo vos pallidi
Modo timescentes eius praesentiam.
PHAR. Eius sed crimen alte conquesti sumus! *(aliis dicit)*
OMNES. Ita est! Ita est! Crimen nos conquesti sumus!
IUD. Vos ipse in templo damnavit et synedrio! *(murmur)*
PHAR. Momordit magnis hic nos contumeliis!
IUD. Abite, dixit, vos, abite hypocritae!
Et me venistis tentaturi perfidi!
PONT. Quid? Ad Pilatum recta nos contulimus!
IUD. Ad me primum!
PONT. Quid? ad te nos descendere!
IUD. Mali ad Barabbam descendistis pessumi *(murmur indignationis)*
PONT. Sed non ad te! Rem tuam modo recepimus!
OMNES. Ita est! Ita est! Nihil magis recepimus!
IUD. Ut testarer tamen dedistis pretium!

PONT. Sic voluisti, ut esses testis... Pecunia
Data est tibi.
IUD. Falsum! sed professus fui...
Pecunia at vestra sit vobis! Nam cruciat! *(longe a se marsupium iniicit)*
PONT. Tu videris! *(cum aliis)* Nam cogitanda erant prius...
PHAR. Tibi, tibi videndum cum tuis dedecus.
PONT. Erat amicus lectus in discipulos!
OMNES. Ita est! E duodecim fuit!
PONT. Nobis enim
Hic adversarius fuit et iustitiae!
OMNES. Ita est!
IUD. Quid? Proh pudor!
PONT. Fuit ius! Lex at sanxerat!
OMNES. Crucifige! Crucifige!
PONT. Haec traditio
Tua est recta! solus sed ipse proditor.
OMNES. Ita est! unus est ipse solus proditor!
IUD. *(impetum in ipsos faciens voce grandiore)* Hoc equidem verbo pelli a vobis potui!
(Omnes territi vagantur, levis susurrus, deinde silentium altissimum)
Vestrarum testis ego cur turpitudinum?
Probe ego adversum Nazarenum prodii!
Meum fuit sed dedecus? Qui nam modo?
Vos estis, Scribae, Pharisaei hypocritae,
In me qui fertis omne nunc flagitium!
Eum dilexi nunquam! Opus nec credidi
Vobis propositum. Servator minime
Promissus! In quibus vestrum consilium
Meo par est! Eum haud ego tradidi,
Sed ipse nos: Haec dixi: et dixistis mihi.
Reum mihi esse duxi mortis, et tradidi
Vobis... Nihil commune cur vos dicitis
Cum nobis? Cuncta cum sint communia?
Meum nam crimen est vestro iunctissimum!
Eius quis nostrum consilium noverit?
Totus sed orbis Israelem pertinet;
Haud Romam Israel! In monte Sinai
Sunt legis tabulae. Hic aureus vitulus!
Potens hic nostrae gentis vis, dominium,
Sibique cunctos reputavit populos.
Sibi? Qui est parvo genitus tugurio,
Suam promittit gloriam post obitum.
Non est ab istoc mihi potestas saeculo!
Suaque scripsit ipse tunc poenam manu.
Et illic est, nec flet, ad mortem ducitur.
(Omnibus). Hic, hic, manus cuncti debemus ponere!
Est namque falsi vox fictique nuncia,
Sonat laetitiam, dum plangit spiritus.
Rugit mens vestra, rugit peccato mea,
Ipse vobiscum conviciis obruor.
NIC. Ad ipsum redi, te recipiet denuo.
IUD. Ad ipsum adire? Nunquam! Gehennae faces
Eius me praefocant, me lancinant oculi,
Eius vox fulgur ut me semper territat,
Aciesque semper luminum me allicinnt,
Vox personat, clangor ut tubae Ierici.
Omnes modo me me tradent ad posteros,
Eius quid ore damnationis exiit.
NIC. Quid? potius velim dicas tu veniae.
IUD. *(stat)* Erit damnationis mihi! Quid veniae?
(subridens iturus) Vah!
NIC. Ad necem recto te rapit superbia.
IUD. *(intro)* Quid? Esto!

(Ad proximum numerum).



VATICANA MURALIS PICTURA

COSTANTINUM IMPERATOREM EFFINGENS BAPTISMATIS FONTE REGENERATUM

Vaticanarum aedium celeberrima ea pars est, quae vulgo «Raphaelis conclavia» appellatur, quondam Nicolai V diaeta. Xystus IV artificibus suae aetatis maxime notis, Petro *della Francesca*, Bramantino, Bartholomaeo *della Gatta*, Lucae Signorellio aliisque pingenda ea commiserat; quum vero Sanctius Romam venit, Iulius II iussit tabulas illas eradi in earumque locum ab Urbinate novas substitui, una tantum, suadente ipso Raphaele, excepta, in quodam fornice, a Petro Perusino, eius magistro, efficta.

Aularum prima a Constantino Imperatore nomen accepit, quod gesta eius vitae memoratu maxime digna depicta illic fuerunt. Heic igitur muralis pictura conspicitur, quam lectorum oculis hodie subiicimus, et est de lavacro novae et caelestis regenerationis per Sylvestrum Papam a Constantino accepto in Lateranensi, prout creditur, basptisterio, quod ita repraesentatum est, quemadmodum illo tempore exstabat.

Notabilis inter omnes in hac splendidissima tabula nobilis cuiusdam viri figura, nigris succincta vestibus, more exeuntis saeculi XV, in qua putatur Balthasaris Comitis Castiglione, litteratissimi illius aetatis hominis, imago ad fidem fuisse expressa, non aliter atque in ceteris hisce muris alios viros et seipsum Urbinas delineavit.

« Delineavit », diximus; parietem enim hanc udo colore illinivit Franciscus Penni Florentinus, Sanctii discipulus, ac deinde cum Iulio Romano eius haeres ex testamento; qui ita a magistro habebatur, ut saepe ab ipso ad opera sua exsequenda deligeretur; quod quidem « actoris » *(il Fattore)* ei cognomentum procuravit.

FORFEX.

ACTA PONTIFICIA

Pontificiae litterae ad Archiepiscopos et Episcopos Mexicanae civitatis ob saecularia solemnia ab instituta republica.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Per solemnia saecularia quae mox istic agentur ob memoriam institutae reipublicae, vestrum esse consilium accepimus celebres supplicationes indicere, quibus et debitae Deo omnipotenti grates persolvantur ob collata usque adhuc civitati beneficia, et divina in posterum benignitas imploretur. Optimum sane consilium, planeque dignum vestro vel studio divinae gloriae, vel amore erga communem patriam: quod Nos videlicet non possumus quin laudemus vehementer et probemus. Sed, quum vos illud exsequemini, nolumus praetermittatis occasionem, quae se vobis dabit praeclara ad excitandos vestrorum populorum christianos spiritus. — Etenim bonorum omnium caput, quorum gens Mexicana, divino munere, compos est, in christiana fide sapientiaque consistit; quae, quum viam muniat homini ad salutem sempiternam, tum ad civilem ipsam prosperitatem, quod ipsa eloquitur historia, affert momenta maxima. Hanc vestrates, traditam sibi a maioribus hereditatem, ut incorruptam servent, vobis nimirum est, uti debet esse, curae. Servabunt autem eo diligentius, quo magis cognitam habuerint. Itaque velimus, non solum ut per istas ferias sacrae ubique habeantur conciones de praeceptis institutisque Fidei, sed etiam ut perpetua quaedam constituantur Opera, per quae christianae consulatur institutioni populi, praecipueque iuventutis. Equidem in causa tanta non vos defuturos vestris partibus, pro certo habemus. Verum ante omnia curabitis, ut vestri cives summa semper pietate colant magnam Dei Matrem; quam quidem, potissimum in templo Guadalupensi, tam praesentem et benignam experiri consueverunt. Nam quae a Patribus Concilii plenarii Americae Latinae merito praedicatur « Nutrix atque educatrix populorum istorum in fide dilectissimi Filii sui » in ipsius patrocinio intelligant per vos Mexicani summum sibi esse praesidium ad retinendam avitam fidem. — Praeterea, quoniam satis non est christianam profiteri sapientiam nisi ei professioni vita moresque congruant, opportunum fuerit in iis supplicationibus, quas estis indicturi, dare operam, ut, implorata piacularibus precibus divina venia de peccatis populi, solemnis quaedam, omnium nomine, sponsio fiat, sanctissimis Dei legibus obedienter obtemperandi, nominatim quod ad religiosam observantiam dierum festorum attinet. Iam vero ad recte sancteque vivendum mirifica subsidia suppetunt christianis in augusto Eucharistiae Sacramento, quo ipse fons continetur christianae vitae. De illo quisquis sitienter haurire solet, fieri non potest quin sensim evadat melior, meliusque in dies ipsius Iesu Christi imaginem referat. Vos igitur, si vultis vestros et privatim et publice christianis florere virtutibus, eos ad frequentandam rite sacratissimam Eucharistiam hortari non cessabitis. Nec vero negligetis ea nostrorum instituta, quae beneficam Ecclesiae sanctae virtutem explicant in omnes ordines civium, praesertim tenuiorum: quin imo vestra auctoritate instantiaque fiat, ut istic etiam illa exsistant ac vigeant, in primisque Opera quibus multiformis beneficentia ministratur christianae caritatis. Quo autem facilius in officio contineatis opifices, tutosque ab insidiis *Socialismi* praestetis, iis magnopere auctores eritis, ut, coniungendo inter se vires, Religione auspice et magistra, rationibus suis ipsi consulant. Quod reliquum est, quoniam mores infinita scribendi licentia et spectaculorum corruptelis depravantur maxime, vos non satis habere debetis utrumque denuntiare periculum, sed contendere a catholicis, ut iis tantum suffragentur in utroque genere qui pudicitiam custodiant Religionemque observent. Ac de diariis et libellis, ut aiunt, *periodicis*, utinam omnes boni sibi suadeant, omni ope curandum ut scripta id genus vere catholica catholicis suppeditent: certe nihil est quod hodie pluris interesse putemus. — Haec, Venerabiles Fratres, admonere vos habuimus hoc tempore: quae si vos, pro vestra pastoralis officii diligentia, studueritis adducere ad effectum, non ista civitatis Mexicanae solemnia carebunt optimis fructibus. Nos interea, caelestium auspicem munerum ac benevolentiae Nostrae testem, vobis et universae genti Mexicanae apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXIII Februarii MCMX, Pontificatus Nostri, anno septimo.

PIUS PP. X.

— Per Apostolicas litteras d. d. XIV mens. Februarii MCMX districtus Pao-Ting-Fou separatus est a Vicariatu Apostolico Ce-li Septentrionali, exque eo novus erectus est Vicariatus Apostolicus Ce-li Centralis appellatus.

— Per Apostolicas litteras d. d. XXIV mens. Februarii MCMX Dioecesis Akrensis ab Amadiensi Chaldaeorum disiuncta est et ita separata ac divisa *provisorie et ad interim* administrationi concredita est Patriarchae Babylonensi *pro tempore*.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Concilii.

De indulto quadragesimali Bullae Cruciatae in Hispania quoad pauperes.

— Pauperes ut fruantur in Hispania indulto quadragesimali Bullae Cruciatae non tenentur ad eleemosynam elargiendam; tenentur autem si frui velint aliis privilegiis Bullae Cruciatae. (Ex decr. *Gerunden.* d. XXIII mens. Ianuarii MCMX).

Ex Congregatione Consistoriali.

De Sacerdotum Polonorum admissione in clerum dioecesanum Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis.

— Anno proxime elapso, Episcopus Superiorensis quaesivit a S. Congregatione Consistoriali utrum instructio data a S. C. de Propaganda fide die 25 Februarii 1896 ad Revmos. Ordinarios Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis post Constitutionem *Sapienti consilio* adhuc in suo vigore maneret necne. — Citata instructio ita se habet: « Nullus sacerdos, vel ad statum ecclesiasticum candidatus, ex Polonia oriundus, etiamsi ex Italia vel alia dioecesi mediate migraverit, in clerum dioecesanum admittatur, nisi testimoniales litteras exhibeat huius S. C. quibus de legitima discedendi a dioecesi facultate, de immunitate a censuris, necnon de bonis moribus praesentantis plane constet ». — Propositum itaque fuit in S. C. hoc dubium solvendum: « Utrum post Const. *Sapienti consilio* adhuc vigere dicenda sit instructio S. C. de Propaganda Fide diei 25 Februarii 1896 relate ad clericos polonos in Status foederatos Americae Septentrionalis migraturos. — Re autem mature perpensa Emi. PP. in generali conventu diei 9 Decembris 1909 respondendum censuerunt: « Post Const. *Sapienti consilio* standum decretis S. C. Concilii ». Decreta autem de quibus mentio fit in hac resolutione sunt: *a)* Decretum 14 Novembris 1903 de clericis in Americam et ad Insulas Philippinas profecturis. — *b)* Decreta 20 Iulii 1898 et 24 Novembris 1906 de clericorum et laicorum excardinatione et sacra ordinatione. — *c)* Decretum 22 Decembris 1905 de seminariorum alumnis.

De insula S. Honorati.

— S. Honorati insula, nulla prorsus admissa immutatione, dioecesi Foroiuliensi ut antea servabitur, eiusdemque dioecesis uti pars perpetuo habebitur. (Ex decr. d. XXII mens. Februarii MCMX).

Ex Congregatione Indicis.

Ex decreto d. VII mens. Martii MCMX damnantur, proscribuntur et in Indicem librorum prohibitorum referuntur opera quae sequuntur:

IOSEPH TURMEL, *Histoire de la théologie positive, depuis l'origine jusqu'au concile de Trente.* (Paris, Gabriel Beauchesne et C.ie).

— *Tertullien.* (Paris, Bloud et C.ie).

— *Saint Jérôme.* (Ibid.).

ANGEL PULIDO FERNANDEZ, *Españoles sin patria y la raza sefardí.* (Madrid, E. Teodoro, 1905).

LUIS GAMBARA, *La sociologia; manual para estudiantes de derecho, de filosofia y de bachillerato y de cultura general.* (Barcelona, casa editorial, 1909).

— *Sociologia criminal; manual para abogados, médicos forenses, estudiantes de derecho y de medicina y de cultura general.* (Ibid., 1909).

— *Antropologia criminal:* especial para abogados, médicos, estudiantes de derecho y de medicina y de cultura general. (Ibid., 1909).

— *Psicologia y antropologia criminal; curso dado en el salon doctoral de la universidad de Barcelona.* (Ibid., 1909).

IOSEPHUS TURMEL et FORTUNATUS RUSSO, Decreto S. Congregationis edito die 5 Iulii 1909, quo quidam libri ab eis conscripti notati et in Indicem librorum prohibitorum inserti sunt, laudabiliter se subiecerunt.

Ex Congregatione Rituum.

Dubia circa Ecclesiae et altarium consecrationem.

I. — In consecratione Ecclesiae consecratum fuit altare, cuius mensa habebat sex cruces, nempe quatuor in angulis, quintam in medio et sextam supra lapidem quo clauditur sepulchrum reliquiarum. Signatae porro sunt cum aqua primae quinque cruces, at cum sacris oleis tantum primae quatuor et sexta, omissa quinta. Quid in casu faciendum? — *Resp.* Orator seu consecrans in casu acquiescat.

Hinc quaeritur:

II. — An signandae et ungendae sint primae quinque cruces, an primae quatuor et sexta? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

III. — An responsum huic quaestioni valeat etiam pro altaribus portatilibus? — *Resp.* Affirmative.

IV. — An in consecratione altarium portatilium Episcopus consecrans debeat ipse omnes cruces propria manu ex incenso formare et candelas imponere; an his in actionibus a sacerdotibus adiuvari possit? — *Resp.* Episcopum consecrantem in praedictis actionibus posse adiuvari a sacerdotibus. (Ex decr. *Brunen.* d. XIV mens. Ianuarii MCMX).

De benedictione partis tantum sacrorum oleorum.

— Postulato Rmae. Curiae Episcopalis Mantuanae ad Sacram Rituum Congregationem pro opportuna declaratione transmisso sub die 24 Ianuarii 1910 circa consuetudinem antiquam etiam immemorialem benedicendi Feria V in Coena Domini tantum partem Sacrorum Oleorum, eamque immediate miscendi cum oleis non benedictis, Sacra Rituum Congregatio d. XXVIII mens. Ianuarii MCMX respondendum censuit: Servetur Decretum n. 2883 *Patavina* 7 Decembris 1844, ad 3, non obstante enunciata consuetudine.

De machina « Grammophono » in sacris functionibus.

— In Missa solemni et aliis functionibus, in Ecclesiis, quibus est carentia magistri organi vel cantorum etiam laicorum minime licet uti machina vulgo dicta *Grammofono* pro cantu, stricte liturgico gregoriano, partium variabilium Missae sollemnis, hymnorum et aliorum canticorum. (Ex decr. *Squillacen.* d. XI mens. Februariii MCMX).

Dubia circa Missam votivam SS. Apostolorum Petri et Pauli, Festa Titularis et dedicationis Ecclesiae cathedralis et lectiones 1.i Nocturni in Festis S. Francisci Xaverii, S. Antonii Patavini et S. Aloisii Gonzagae,

quando pro ipsis recurrendum sit ad Commune Confessorum.

I. — Utrum ad Missam votivam Officio votivo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli respondentem, in Vigilia Omnium Sanctorum sub die 30 vel 31 Octobris, tertia Oratio debeat esse *Concede nos famulos tuos* de Beata Virgine, an potius *Deus, qui corda Fidelium* de Spiritu Sancto, quae ad Missam ipsius Vigiliae uti secunda praescribitur? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam in casu proposito.

II. — Utrum Festum Titulare Ecclesiae Cathedralis cum sua Octava extra ipsam Cathedralem, habendum sit tamquam Festum primarium vel secundarium? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam, iuxta Decretum Generale n. 3810, diei 27 Augusti 1893 ad I.

III. — Utrum Festum Dedicationis Ecclesiae Cathedralis cum sua Octava, extra ipsam Cathedralem, sit aestimandum tamquam festum primarium, an vero ceu Festum secundarium? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam, iuxta Decretum Generale. n. 3863 *Celebrationis Festorum Patroni loci, Dedicationis ac Tituli Ecclesiae,* diei 9 Iulii 1895 ad II et III, ubi Ecclesia Cathedralis dicitur omnibus e Clero propria aut ratione beneficii, aut ratione subiectionis, etiam pro Regularibus.

IV. — Utrum in festis Sanctorum Francisci Xaverii, Antonii Patavini et Aloisii Gonzagae, si pro Lectionibus I Nocturni recurrendum sit ad Commune Confessorum, Lectiones sint sumendae e primo, an potius e secundo loco? — *Resp.* Negative ad primam partem; affirmative ad secundam. (Ex decr. d. XVI mens. Februarii MCMX).

— Per decretum *Parentin. et Polen.* d. XXIII mens. Februarii MCMX confirmatus est cultus ab immemorabili tempore praestitus Servo Dei Iuliano Cesarello de Valle, Sacerdoti Professo Ordinis Minorum S. Francisci, Sancto et Beato nuncupato.

— Per Decretum *Meliten.* d. eiusd. signata est Commissio introductionis Causae Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Adelaidis Cini, Fundatricis Hospitii a S. Corde Iesu, Melitae.

— Per Decretum *Sinarum* d. eiusd. signata est Commissio reassumptionis Causae pro canonizatione Beati Ioannis a Triora, Martyris, Sacerdotis Professi Ordinis Minorum S. Francisci.

— Per Decretum *Aurelianen.* d. eiusd. signata est Commissio reassumptionis Causae pro canonizatione Beatae Ioannae de Arc, Virginis, Puellae Aurelianensis.

Ex Congregatione de Sacramentis.

Circa dispensationes ab impedimentis matrimonialibus concedendas regibus et regiae stirpis principibus.

Dispensationes a quibusvis impedimentis matrimonium sive dirimentibus sive impedientibus, quae regibus ac regiae stirpis principibus erunt concedendae, Sedi Apostolicae speciali modo sunt reservatae, ita ut ab huius potestatis usu excludantur Ordinarii omnes et alii quilibet, in quavis dignitate constituti; eademque potestas in facultatibus cuilibet et quavis forma concessis, nullatenus est comprehensa. (Ex decr. d. VII mens. Martii MCMX).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Martio MCMX).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Newton Iames Moore, administer primus atque aerarii custos in Occidentali Australia; Heber Iackson, administer cum omni potestate Urugnaianae civitatis apud Apostolicam Sedem; D'Ondes Reggio, dynasta; D'Erp. dynasta, Belgarum administer apud Apostolicam Sedem; De Meram, Comes, ex intimo Consilio Imperii Austro-Hungarici; Camillus Rospigliosi, princeps Urbanus; P. Kasprzycki, praepositus generalis Congregationis a Resurrectione D. N. I.; P. Blum, eodem munere fungens apud Congregationem a Divino Verbo; P. Marechaux, Abbas generalis Ord. S. Benedicti a Monte Oliveto; P. Schuler, administer generalis Ordinis Fratrum Minorum Unionis Leonianae; De Gonzales marchio, Hispanicae legationis apud Apostolicam Sedem consiliarius; Pontificium Collegium Leonianum de Urbe; Ting-Fang Princeps, Sinensium Imperatoris administer; Austrorum Hungarorumque manus Romam peregre petentium; Pontificii Instituti Biblici doctores et alumni; Loflwitz Princeps, Bohemiae mareschallus; Dietrichstein Princeps; De Meiningen, Comes; Sacer Purpuratorum Senatus, Coetus Legatorum ex omnibus civitatibus apud Apostolicam Sedem, Aulicique omnes omina et vota offerentes in diem Pontificis nominalem; Marinus Saluzzo e Corigliano, Comes; Consilium Ordinis S. Benedicti ex Brasilia; Wurtembergenses, Bavari et Austriaci peregrini; peregrinatio adulescentium Austriacis Hungaricisque scholis vacantium.

Pontificiae electiones.

— Angelus Alfonsus Maria Ettinger, monachus O. S. B. archicoenobii Montis Casini, abbas nullius SSmae. Trinitatis Cavensis dicitur.

— Excmus. vir Augustinus Iosephus Callier, episcopus Harlemen., inter Episcopos adsciscitur Pontificio Solio adstantes.

— Patritius Ricardus Heffron, rector Seminarii archiepiscopalis S. Pauli di Minnesota, episcopus Vinonensis in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis; Carolus Augustin, canonicus ad honorem ecclesiae cathedralis Vratislaviensis, episcopus tit. Diocaesarien. et auxiliaris Emi. ac Revmi. Episcopi Vratislaviensis; Iosephus Alves Martins, canonicus archidiaconus ecclesiae cathedralis Loandae, episcopus S. Iacobi Capitis Viridis renunciantur.

— Purpuratus Pater Beniaminus Cavicchioni Sacrae Studiorum Congregationi praeficitur.

— Inter iudices Sacrae Congregationis Concilii cooptantur excmus. vir Petrus Alfonsus Iorio, archiepiscopus tit. Nicomedien., r. p. Vital e Societate Iesu et r. d. Dantes Munerati e Congregatione Salesiana Ven. Ioannis Bosco.

Varia.

Die XXVII mens. Martii, Dominicae Resurrectionis Festum, SS. D. N. in Xystino Sacello sacra litat, ciboque eucharistico reficit fideles ad trecentorum numerum, ex exteris gentibus maxime.

ANNALES

Balkanicae res.

Balkanica quaestio, nullo quamquam, fausto auspicio, belli metu, civilium moderatorum praesertim mentes, proximis etiam diebus, occupavit. Rumor enim primum manavit Balkanicos inter populos foedus proxime iri constitutum; quod vero impossibile, nunc saltem, plerisque visum est, tum ob nimias adhuc inter illas gentes dissensiones, tum Turcarum favore deficiente, tum denique quod temeraria in Austrorum Hungarorumque imperium provocatio passim id foedus haberetur. Ceterum ad disceptationes huius generis omnino dirimendas, tum compositio opportune intervenit inter Austros ipsos et Russos de communibus agendi rationibus vulgata, — ex cuius documentis facile innotuit, gubernia illa de « statu quo » in Balkanica regione minime innovando plane simul consentire —; tum etiam propinatio, qua Russorum Caesar Serborum regis, qui Petropolim adivit eum visitandi gratia, turgidis verbis respondit; non ea certe, quae spem aliquam inflaret de Balkanicis rebus vel minime innovandis.

***

In Graecia.

Neque ex Graecia inopinatos ac deplorabiles eventus intercessuros sperare licet; siquidem, regio edicto renuntiato de « constituente » coetu habendo die XIV futuri mensis Septembris, militare foedus, quod campum ipsum publicae institutionis invaserat, tandem resolutum est, aperte hoc actu declarans exercitum ad militaria unice intendere debere. Quod iamdiu erat in votis!

***

Finis Finlandiae.

Iamvero etiam de iuribus huius nordicae Europae regionis propriis, praedicanda est finis. Recentibus enim edictis, omnia fere circa leges ferendas capita, huc usque coetui Abo in urbem convenienti reservata, ad Petropolitanum coetum delata sunt; atque simul Finnorum participatio ad gubernii consilium valde reducta. Non est dubium quin huiusmodi constituta rata a Petropolitanis legatis habeantur; neque Finnicis civibus reliquum erit, — iamque id dictitant — quam renixum novis legibus hoc ritu sanctis opponere; quod quidem proculdubio causa perturbationum facile erit heu! futurum.

Nihil est virtute amabilius, nihil quod magis alliciat ad diligendum, quippe quum propter virtutem et probitatem etiam eos, quos nunquam vidimus, quodammodo diligamus.

CIC. — *De am.*, VIII.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia** nova nomina tum exercitui tum classi comparata.

In **Austria** leges ad aerarium spectantes in disceptationem vocatae rataeque habitae.

In **Borussia** nova comitiorum ratio tandem proposita; cum immutationibus vero iis, quas catholicorum et « conservatorum » factiones poposcerant.

In **Gallia** dum nova comitia parantur urgetque opus ut legis rogationes a gubernio propositae omnes probentur, graves de repetundis accusationes in bonorum a religiosis Congregationibus ereptorum gestores inlatae.

In **Germania** a Cancellario tum de internis tum de exteris rebus optimae condiciones relatae.

In **Hungaria** sessio ferendarum legum, ab anno MDCCCCV inchoata, absoluta est post probrosos tumultus a Justhi factione factos; in quibus administrorum praeses Khuen-Hedervary et agriculturae administer Sereny leviter vulnerati sunt.

In **Italia** administrorum consilio, cui Sidney-Sonnino praeerat, a munere recedenti, novum suffectum, praeside Luzzatti.

In **Russia** rationes de internis rebus in disceptationem vocatae, refectionesque libenter recognitae tum de statu generali civitatis, tum de publica securitate.

PER ORBEM

Die VIII mens. Martii MCMX, Humebutell, in oppido Germaniae, aëronavis, cui nomen *Ruthanburg*, in terram praecipitat et frangitur.

— d. X, Vindobonae, late defletus obit Carolus Lueger, civitatis administer primus, Catholicorum propugnator.

— d. XII, Liguri, bellica Graecorum navis *Averof* in mare fauste ac feliciter immittitur.

— d. XIV Romae, in Pantheon, post iusta funebria Humberto I, Italorum regi, persoluta, eius sepulcrum inauguratur.

— d. XV, Vindobonae, vita fungitur Helfert dynasta, civilium et historicarum rerum scriptor insignis.

— d. XXI Bethmann Holweg, Germanici imperii cancellarius, Romam advenit.

— d. XXII Ferdinandus, Bulgarorum rex, eiusque uxor Constantinopolim appellunt, Turcarum Caesarem visitaturi.

— d. XXIII in Apulia flumina limites passim exsuperant atque ingentia damna procurant; Aetna

autem, Siciliae mons, novis ex improviso apertis hiatibus liquefacta saxa evomit, quae sata laeta comburunt oppidaque circum destruere minitantur.

— d. XXIV, Lutetiae Parisiorum moritur Eugenius De Vogué, litteratus vir praeclarus.

— d. XXVII, Florentiae, aviationis certamen initur.

Ockoriti, Hungariae in oppido, dum in horreo quodam populares choreae aguntur, incendium exoritur; quumque effugii via non satis suppeditet, trecenti et ultra ex iis qui aderant flammis crudeliter absumuntur.

— d. XXIX Theodorus Roosevelt, ex ferarum venationibus redux, quas per Africam egit, Cairi urbis in athenaeo de animo viriliter instituendo orationem habet.

— d. XXXI, Saint Mandè in oppido Galliae, quartum supra quinquagesimum aetatis annum agens, supremum vitae diem explet Ioannes Moreas, Franco-Hellenicae, quae vulgo appellata est, poeticae scholae magister.

LIBRORUM RECENSIO

VICTOR CATHREIN S. I. — *Die katholische Weltanschauung in ihren Grundlinien, mit besonderer Berücksichtigung der Moral*. (Friburgi, Herder, 1909).

Vix post annos duos, ex quo notissimi scriptoris opus primum venit in lucem, en altera editio novis paginis et capitibus locupletata. Quae quidem tum populi favoris apertum indicium sunt, tum etiam demonstrant indefessum auctoris laborem, ut opera sua omnibus ex partibus absoluta reddat. Et sane librum de quo agimus ita perfecit, ut non amplius desiderari queat ab homine qui dubia enodare velit, solidam fidem sibi constituere animumque ad bonum praetexere. Generis humani origo et finis; Christi ecclesia; virtutes colendae; officia exercenda: haec voluminis praecipua argumenta, apud quae agitatae magis hodie quaestiones (ex. gr. « evolutio » — Christi divinitas eiusque resurrectio — Ecclesiae characteres, etc.) suum locum inveniunt, in disceptationem vocantur, persolvuntur. Ecquando in Gallicum et Italicum sermonem, ad nostrorum iuvenum maximam utilitatem, Cathrein etiam hoc opus conversum videbimus?

P. B. MEISTERMANN O. F. M. — *Nouveau guide de Terre-Sainte*.

ID. *Guide du Nil au Jourdain par le Sinaï et Pétra, sur le traces d'Israel*. (Lutetiae Parisiorum edid. Picard, 1909).

In libris hisce scribendis auctor sibi proposuit viatoribus, iis praesertim qui religionis caussa per terras a Christo habitatas eiusque sanguine cruentatas peregrinantur, brevibus iisque claris paginis offerre quae pro certo hodie magis habentur de locis biblicis et memoriis ad ea attinentibus. Ita non modo geographicum atque historicum opus confecit, sed quod pietati etiam satisfaceret; quin etiam — homo apprime pragmaticus — et vitae usui atque commoditati viatorum prospexit, siquidem non desunt praecepta et consilia cuique regiones illas peragranti non solum utilia, verum etiam interdum necessaria. Accedunt tabulae plures et diagrammata ad textum magis magisque explanandum.

Pensées de Joubert. Reproduction de l'édition originale, avec la notice historique du frère de Joubert. Introduction et notes par VICTOR GIRAUD. (Lutetiae Parisiorum edid. Bloud, 1909).

Jouberti *Cogitationes*, rogante moralis illius exquisiti philosophi uxore, collegit ediditque primum Chateaubriand anno MDCCCXVIII; sed quae sequutae sunt editiones saepe immutatae passimque variatae fuere. Giraudius ad Chateaubriandi rationem rediit, quippe quae ipsi visa sit per unitatem simul atque concisionem auctoris mentem integram offerre. Id in operis prooemio novus hic Iouberti Cogitationum recognitor contendit; sequitur Chateaubriandi praefatio, cui vero historica notitia praecedit, parum cognita eaque magni pretii, quam Arnaudus Joubert fratris memoriae sacravit.

P. SISTO SCAGLIA O. C. R. — *I « novissimi » nei monumenti primitivi della Chiesa*. (Edid. Romae Pustet, 1910).

Clarissimum auctorem christianae antiquitatis abunde peritum iam lectores nostri noverunt, siquidem scientiae suae specimina non semel in *Voce Urbis* obtulimus. Novissimo hoc Opere christianae antiquitatis monumenta is repetiit, unde doctrina quam maiores nostri de futura vita professi sint, facilius deduci posset. Equidem eam invenit, qua Catholicae Ecclesiae fidei immutatio omnino confirmetur. Disquisitio in sex capita distribuitur: 1) *Animae sors post mortem* (Magni momenti heic occurrit, quod in epigraphia christiana verba reperiantur, quae in « Missae canone » apud « memento mortuorum » leguntur). — 2) *Communio Sanctorum* — 3) *Animae iudicium particulare* — 4) *Corporum resurrectio* — 5) *Universale iudicium* — 6) *Immediata remuneratio*. Quum satis in aperto sit monumenta non minus quam documenta in theologiae positivae, prouti dicitur, studio adhibenda esse, nemo non videt P. Xysti librum, summa cum diligentia exaratum, ab eo qui « novissimorum » doctrinam ex omni parte velit expedire necessario adeundum esse.

P. ANTONIO VICENT S. I. *Conferencias pronunciadas en el primer curso social, en el Centro de defensa social*. — Madriti, ex off. Commentarii de Archivis (*Rivista de Archivos*), 1909.

Non cogitationum singulare acumen, aut novarum rerum studium in quatuor hisce orationibus quaesieris, sed eruditionem hodiernae vitae usui accomodatam atque

denotationum messem satis copiosam, tum circa «quaestionem socialem» atque Leonis XIII de re doctrinam, tum de consociationis iure, atque ideo de mutuo auxilio inter opifices promovendo, de societatibus cooperationis more aut publica auctoritate sive statuendis sive statutis; siquidem eiusmodi notitiae tum de Hispania, tum de exteris populis ad argumenta confirmanda afferuntur.

A. Gemelli *I funerali di un uomo e di una dottrina.* (In morte di Cesare Lombroso) — Ex off. editrice Florentina, 1909. (Ven. lib. 1).

Orationis huius, quam clarissimus auctor magno cum plausu per Italiam habuit, nunc autem in lucem edidit, ea fuit propositi summa, ut vana omnino ostenderetur doctrina, quam Caesar Lombroso eiusque asseclae «veteri eidemque christianae metaphysicae» obiicere conati sunt; idque optime perficitur Lombrosum ipsum producendo ut fuit homo, scientiae cultor, philosophus, eiusque cogitata praecipua «de homine sive malefico sive geniali» acute destringendo. Velim ut has paginas iuvenes, praesertim qui in athenaeis atque in scholis superioribus versantur, iterum itreumque perlegant.

I. F.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis *eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

Abbé Georges Fremont. *La grande erreur politique des Catholiques français.* — Lutetiae Parisiorum edid. Bloud et Soc., 1910.

Card. Alfonso Capecelatro, Arcivescovo di Capua e Bibliotecario di S. R. C. *Una promessa di Gesù.* — Romae edid. Desclée et Soc. (Ven. lib. 0,20).

Can. Dott. Giovanni di Coceo. *Vade mecum del predicatore del Mese di Maggio.* — Indidem. (Ven. lib. 0,50).

Finn Francis. *Claude Lightfoot.* Racconto americano. Traduzione dall'inglese di Fanny Cencelli. — Indidem. (Ven. lib. 2).

Fonssagrives. *L'educazione della purezza.* Consigli ai genitori e ai maestri. 1ª traduzione autorizzata su la 15ª francese di Paolo Cesare Rinaudo. — Indidem. (Ven. lib. 2).

L. Beurlier. *Il mondo giudaico al tempo di Gesù Cristo e degli Apostoli.* — Indidem. (Ven. lib. 1,20).

Indulgenze concesse a tutti i Fedeli dai Sommi Pontefici dall'Agosto 1898 al Dicembre 1909, con aggiunta delle concessioni posteriori fino a tutto Febbraio 1910. — Con approvazione della Suprema S. C. del S. Offizio (Sezione Indulgenze). — Romae apud Ferrari et Castello, 1910 (Ven. lib. 1,50).

EPISTOLARUM COMMERCIUM

Cl. v. Iosepho W...., *Varsaviae Polonorum.* — Non facile, mihi crede, eiusmodi dolores mitigantur!.... Doctoris titulo in iure ab an. MDCCCXC; in litteris autem ab an. MDCCCXCII sum honestatus. — Novum domicilium tuum planene intellexi?

Cl. v. Andreae H....., *Mödling ad Vindobonam.* — De humanissimis verbis plurimas tibi ago gratias; de commutata destinatione gaudeo eoque etiam quod facilius nobiscum deinceps communicare poteris.

Cl. v. Ioanni P..... *Dertusae;* L. Laur..... S. I., *Canterbury.* — Scripta collegiorum vestrorum magno cum desiderio exspectamus.

Cl. v. Adolfo B...., *Goritiae.* — Ecquid iamdiu taces?

Cl. v. I. R....., *S. Francisci.* — Ad proximum numerum.

A Secretis.

AENIGMATA

I.

Tota volat per aquas. Truncor si *vertice,* mellis
Dona dabo moriens; aëra possideo.
Bis me si *minuis,* tua quae sit, redde, voluntas!
Sed quum *ter minuar,* lector, abire voles.

II.

Est *caput* in Divis, cui sacra est *integra* virgo.
Effugiat *caudam,* qui timet invidias.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHI
DE ORATORIBUS ROMANIS
ACROASIS.

Aenigmata an. XIII, n. I proposita his respondent:

1) **Ava**; 2) **Succus**

Ea rite soluta miserunt:

R. Richi, *Traianopoli.* — M. Scarpini, *Roma.* — Iac. Cordara, *Parentio.* — Hern. Forgeot, *Nicaeae ad Varum.* — Nic. Lagumina, *Panormo.* — A. Tonelli; F. Arnori, *Mediolano.* — P. Prado, *Venetiis.* — Petrus Tergestinus. — Arch. Magliano, *Genua.* — G. Giani, *Senis.* — I. M. Meunier, *Corbiniaco.* — I. Ciolli, *Papia* — Franc. Baturewicz, *Zytomiria.* — Alex. Pintauro; F. Starace, *Neapoli.* — F. X. M., *Drepano.* — Eug. Dolmar, *Chicagine.* — Alex Fásztusz, *Szatmar.* — Ant. Masia, *Tarragona.* — F. Correa *Emerita.* — I. Ortiz, *Morelia.* — Alb. Catteau, *Lugduno.* — A. Bonnin, *Aureliano.* — Alb. Perraud, *Parisiis.* — Iac. Menendez, *Madrito.* — Ant. Whiteside; Alb. Kain, *Dublino.* — Raim. Silvan, *Londino.* — Iac. Fernandez, *Mexico.* — Fr. Guerra, *Aletio.* — Rich. Brondel, *Brugis.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — Clem. Fiard, *Curia Rhaetorum.* — Rich. Müller, *Berolino.* — Mart. Dunne, *Neo Eboraco.* — Ios. Martins, *Philadelphia.* — I. Ortiz, *Morelia.* — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio.* — I. Costa, *Dumio.* — Lud. Goux, *Bituricis.*

Sortitus est praemium:

Iacobus Cordara,

ad quem missa est I. B. FRANCESIA actio dramatica, versibus senariis conscripta, cui titulus:

TARCISIUS.

Sponsor: Ioannes Baptista Ciampi, iurisperitus

Romae — Ex officina Societatis Romanae Editricis.

(3

ARRAE GORGONIAE

(Cfr. num. sup.)

Sustulit ille caput, contractòque ore, licet voce submissa:

— Iure obiurgas, — inquit — legate; at, dic, rogo, quis haec ad te miserit, cuiusque epistola sit?

Tunc ille aperto sermone:

— Haud sunt ferme recens nuptae characteres; sed Domitii Afranii patris eius.

— Recens nuptam, dicis? — anxie petiit iuvenis subito gressu procedens.

At ille lenta voce:

— Tua ne mente excidat coram legato te esse: audi igitur quieto animo. Afranii litterae sunt ad Quinctilium Varum, qui ad me, quem patris tui contubernalem novit, te earum latorem misit subscripsitque ut rem nunciarem amice. Res sunt Luciae Domitillae, Domitii filiae, nuptiae cum Quinto Aulo praetore. Puellae mandato arrae tibi remittuntur, quas ei olim dedisti.

Dum haec verba brevi et quasi neglecta voce Caecilius profert, pallor vicissim atque rubor iuvenis os rapida vice occupabat, et represso vix fremitu, eius pectus concutiebatur. Mox caput demisit defixis in solum oculis, dum ille pergit mutata voce:

— Ad alterum veniamus igitur, sintque ea nuptialibus nunciis laetiora.

At vix alteram devolvens membranam oculos in eam coniecit, statim e lectulo prosiluit, atque attoniti iuvenis prorsus oblitus, e tentorio erumpens magna voce centurionem advocavit.

Quem extemplo ingressum — eratque ei athletae quasi corpus, — rogavit concitis verbis:

— Balbe, ecquid novi ab extremis excubiis?

— Nihil, quod sciam.

At institit legatus:

— Barbarorum copias instare, aggredi, conspici in silvis?

— Minime quidem — firma voce ille respondit.

— Quieta igitur omnia?

— Puto; adventum si exceperis equitis huius.

— Proh verum est! — clamavit tum Caecilius, palmaque frontem percutiens, ad Atilium conversus:

— Dic tu igitur — rogavit. — Barbaris ne occurristi?... Age... tibi dico, eques, audisne?

Atilius enim videbatur quae circum essent non videre; adeo attonitis oculis lucernae flammulam demirabatur. At centurio silentis excussit brachium:

— Audi, eques, quid legatus rogitet? Barbaris occurristi?

— Barbaris? — tunc ille quasi e somno excitatus. — Me immemorem! Occurri equidem, etsi re non viderim; sed sagittas audivi sensim in me coniectas.

— Ubinam? — sciscitavit anxie Caecilius.

— In silva, nec longe a castris, Pegasumque meum carissimum vulneratum...

— Martem obtestor! — intercepit Caecilius. — Abite statim ambo — iussit; — canite tuba, advocate tribunos!... Abite, hercle, in crucem! — Quumque duo illi prae stupore nutarent adhuc, ipse cingulum ex clavo arripuit, seseque festina manu succingens e tentorio erupit.

II.

Atilius vero demisso arroganti capite media per tentoria contrariam arripuit viam. Dum ille tamen quasi ebrius incerto ac nutante gressu properat, canebant procul tubae, quae tribunos centurionesque ad concionem vocabant. Mentem vero iuvenis animumque veluti febrilia somnia occupabant, dissitae maxime a castrensibus rebus species, solaque in auribus verba legati vehementer insonabant, quae Luciae Domitillae nuptias significaverant. Manet enim saepe unumquemque nostrum decretoria quaedam vitae hora, qua vel incautis cuiusquam dictis, vel nutu inopino, aut ictu oculi male ominato, aliave levissima causa, omnes adolescentiae spes adeo velociter delabuntur, ut exactam simul iuventutem, initamque maturiorem aetatem momento temporis experiamur.

Hae dum iuvenis inconscio in animo succedunt species, rectum iter sequutus, is ad portam praetoriam paulatim rediit, occurritque custodiae militibus, qui, defixa humi facula, iacenti equo galeam aqua plenam admovebant. Qua re perculsus, statim ab internis curis rediit Pegasumque iacentem agnovit.

Procumbit igitur, galeam ipse abripit, ac sustentans laeva belluae nares in os aquam immittere conatur. Bellua contra arcte obseratis dentibus et languentibus oculis planctu suffusis, tota infremuit. Aderat eius vulneri constricta loris vitta: frustra tamen; nam alternante anhelitu, sanguinis fluctus vulnere erumpebat ac late circum cruentabat terram.

Brevi autem ne caput quidem erigere bellua valuit amplius, recubuitque in sanguine suo, distentisque cruribus, auctoque membrorum tremitu, mortis angore obstringi apparuit. Palpabat equum iuvenis et anxie blandiebatur tanto vocis moerore, ut nunquam eum diceres maiore luctu fuisse correptum: tantus erat vultus pallor tantusque ex oculis fletus vix cohibitus erumpebat.

— Pegase, gloria nostra, dominae nostrae deliciae... intuere herum, ne me tu quoque deseras, quem infida domina iamdiu fefellit...

At quoniam lacrymis non licet instaurare vitam, quum miserrimus ille morientis caput iterum sustinuisset, supremus mortis fremitus belluam concussit, cuius caput equitis manu effugit; mox altissimo hinnitu, pulsans vanum ungulis aërem, iners bellua iacuit. Concidit in cadaver Atilius suumque ipse caput percutiens:

(*Ad proximum numerum*). I. A. Costaggini.

Ann. XIII. ROMAE, Mense Maio MCMX Num. V.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

" FIDEI DIVINAE CONCEPTUS "

Fede è sustanzia di cose sperate,
Ed argomento delle non parventi;
E questa pare a me sua quiditate.
(DANTE, *Par.* XXIV, 65).

Leibnitius philosophus (1647-1716) in quadam epistola (1) olim scribebat, « saeculum philosophicum oriri, quo *cura acrior veritatis extra scholas*, etiam in viros reipublicae natos diffundatur; his nisi satisfiat, desperatam religionis veram propagationem esse: magnam conversionum partem fore palliatam; nihil efficacius esse ad confirmandum atheismum, aut certe naturalismum invalescentem, et subruendam *a fundamento* apud multos et magnos sed malos homines *religionis christianae* fidem ».

Nulli aetati, sicuti aetati nostrae, quae magna « crisi » fidei laborat, et in qua « fides et scientia » continuis agitantur conflictibus, verba Leibnitii tam apprime conveniunt. Neque de hisce conflictibus, neque de tam magna « fidei crisi », nobis mirandum est; haec omnia siquidem explicantur 1°, per verba Lutheri scribentis: « Ardua res est fides, quae non facile et cito discitur et apprehenditur » (2); 2°, per S. Thomae (3) verba, dum scribit: « Sublata fide nihil remanet in homine, quod possit esse utile ad salutem aeternam... Fides enim est vita animae ... Sicut ergo sublata vita corporali, omnia membra et partes hominis a debita dispositione recedunt; ita sublata vita iustitiae, quae est *per fidem*, apparet *inordinatio* ».

Exponamus igitur, quinam sit fidei divinae conceptus penes « Protestantes », aliosque errantes « Modernos et Modernistas », nec non penes S. Paulum, S. Thomam, atque catholicam Ecclesiam.

(1) *Lettre à Arnauld* 167, 1.
(2) *In Gal.* II, 187.
(3) 2, 2ae p. 12, a. 1. ad 2.

***

Neque clare, neque satis apparet, quinam fuerit conceptus fidei penes Protestantes saeculi XVI, et quinam sit huiusmodi fidei conceptus penes Protestantes recentiores. Lutherus circa fidem, sequentia contradictorie scribit (1): « Cum fides sit recta et bona opinio de Deo, opinio autem quaelibet per se solam hominem trahat in opera, non est dubitandum, quin omnia opera faciat qui fidem habuerit... fides est firma opinio... Quod habent (Papistae) somnium, opinio et ratio naturalis non fides est... fides est firmus assensus, quo Christus apprehenditur...

Fides nihil aliud est quam obedientia spiritus... Verbum credendum est nihil aliud, quam Christus est mortuus et resurrexit... Fidem offerre (hoc est) fiduciam veram rerum non apparentium... Fides autem esse nullo modo potest, nisi sit vivax quaedam et indubitata opinio, qua homo certus est super omnem certitudinem se placere Deo, se habere propitium et ignoscentem Deum in omnibus, quae fecerit aut gesserit: propitium in bonis, ignoscentem in malis. Quid enim est fides, quae non est talis opinio?... Fides est firma opinio constansque conscientia iustitiae et salutis ».

Calvinus post distinctionem « fidei historicae, fidei miraculorum, fidei promissionum » definit fidem (2): « Fides est divinae erga nos benevolentiae firma certaque cognitio, quae gratuitae in Christo promissionis veritate fundata, per Spiritum Sanctum et revelatur mentibus nostris et cordibus obsignatur ». Melanchton

(1) Cf. DENIFLE, *Luther und Luthertum Mainz* 1904, p. 590, 694 et seq. Lutherus Melanchtoni scribebat: « *Sündige wacker, aber vertraue noch fester* ». Cf. HUMBERTCLAUDE HENRI, *Erasme et Luther*, p. 137-138.
(2) Cf. PRAT, *La Théologie de Saint Paul* 1908, p. 255; HÉBERT, *L'évolution de la foi catholique*, chap. VII.

scribit (1): « Principio credo offendi vos, cur Lutherus ubique scribit iustificari nos sola fide... Cum docet nos iustificari fide, non vult fidem esse simplicem historiae cognitionem, ut cum Livio aut Salustio credo, sed esse fiduciam, quod Christus, in quem credo, omnia quae de eo dicunt Scripturae, mihi donaverit remissionem peccatorum per iustificationem... Assensus seu fiducia in promissionem divinam, quod Christus pro me datus sit, quod Christus mea deleat peccata, quod Christus vivificat me, haec fides est illa Evangelii quae sola iustificat, i. e. haec sola reputatur nobis a Deo pro iustitia: opera quantumvis videantur bona, pro iustitia non reputantur ».

Non aliter ac antiqui, divisi sunt circa fidei conceptum recentiores Protestantes. Non est dubium, scribit Beyschlag (*Neutest. Theol.*,[2] t. II, 178), notionem fundamentalem fidei in fiducia consistere, iuxta verba Pauli (I. *Cor.* 13, 7) « Charitas... omnia credit ». B. Weiss (*Lehrbuch der bibl. Theol. des N. T.*[6], pag. 321-323) coniungit simul fiduciam et adhaesionem intellectus, nomineque fiduciae intelligit « eam fiduciam quae coram Deo testificatur, dum verbo illius credimus ». Baur (*Paulus der Apostel I. C.*, 1845 p. 545) sumpta fide tamquam iustificationis principio, definit eam « persuasionem supra Iesum Christum fundatam per quam est id quod est? » Pfliderer (*Der Paulinismus*, 1874, p. 166) vocat fidem « plenam voluntatis divinae adimpletionem, non quidem voluntatis imperantis, sed voluntatis quae se dat ». Uti quisque videt, fidei conceptus penes recentiores Protestantes existens, indeterminatus, quasi inintelligibilis est. (2)

***

Pro Hermesio, nonnullisque aliis theologis Germaniae saeculi elapsi, fidei conceptus est de rebus visis atque scientifice demonstratis ab intellectu humano, qui « suis naturalibus principiis ad dogmata fidei scienter tractanda » idoneus effici potest. (*Denz.* 1527). Iuxta Fideistas, fides non aliquid intellectus et voluntatis est. A conceptu fidei, actus quilibet rationis est excludendus, cum Deus, naturali lumine rationis humanae certo cognosci non possit, neque divina revelatio externis signis credibilis fiat, cumque neque fieri, neque certo cognosci possint miracula, neque ad divinam religionis christianae originem rite probandam valeant. Fides est, quae ad omnia valet; ipsa remota, nihil certi a nobis sciri potest. (Cf. *Denz.* 1653-1659-1660). Huic « Fideismo » adscribuntur a nonnullis Loisy eiusque asseclae, cum penes illos « Christus sit Deus per fidem, per fidem sit immortalis, per fidem Ecclesia ab eo instituta recognoscatur, per fidem numerus septenarius Sacramentorum appareat ». (3)

(1) DENIFLE, l. c., p. 695-696.

(2) Cf. *Notiones fidei Ritschl et Fricke* penes PRAT *La theologie de S. Paul*, p. 256.

(3) *Autour d'un petit livre*, p. 155, 117, 120, 174, 160, 180.

Iuxta modernos aliquos, placitis systematis de « Immanentia » et « Rationalismi » plus minusve addictos, fides est quidem « sensus » Deum percipiens, dum oculus tamen Deum non videt; vel melius est sensus quidam omnino « dynamicus » et significat *fiduciam, amorem, spem*. Fides, non est actus cognoscitivus, cum per semetipsam ac in seipsa nullam visionem sive directam sive indirectam veritatis habeat. Fides oritur ex quadam indigentia, vel ex quadam inquietudine, vel ex quodam desiderio, vel ex moralibus dispositionibus animae. (1) Fides vel in indigentia quadam essentiali naturae nostrae fundatur; vel in hominis definitione, vel in operationibus intellectus eiusdem est inclusa; credimus eo praecise modo quo respiramus. Fides, quaedam lex organismi nostri moralis vel intellectualis est; (2) est obedientia vel impulsus quidam spiritus, (3) vel quidam motus caecus animi sine motivo aliquo credibilitatis; et si motivum aliquod credibilitatis habeatur, ad veritatem fidei christianae evidenter credibilem reddendam, non valet. (4)

Conceptus fidei penes Modernistas pulchre in Epistola Pii X *Pascendi* exponitur. « Religio, - inquit - sive ea naturalis est, sive supra naturam... explicationem aliquam admittat oportet. Explicatio autem... extra hominem inquiritur frustra. Est igitur in ipso homine quaerenda: et quoniam religio vitae quaedam est forma, in vita omnino hominis reperienda est. Ex hoc *immanentiae religiosae* principium asseritur. Vitalis porro cuiusque phaenomeni, cuiusmodi religionem esse iam dictum est, prima veluti motio ex indigentia quadam seu impulsione est repetenda: primordia vero, si de vita pressius loquamur, ponenda sunt in motu quodam cordis, qui sensus dicitur. Eam ob rem, cum religionis obiectum sit Deus, concludendum est, fidem, quae initium est ac fundamentum cuiusvis religionis, *in sensu quodam intimo* collocari debere, qui *ex indigentia* divini oriatur... Coram... incognoscibili... indigentia divini in animo ad religionem prono, nullo, secundum fideismi scita, praevertente mentis iudicio, peculiarem quemdam commovet sensum... Est porro hic *sensus quem modernistae fidei nomine* appellant, estque illis religionis initium ».

***

Circa fidei conceptum, audiantur modo S. Paulus, S. Thomas, Vaticanumque Concilium. Ne mireris, si specialis sermo fiat de fidei conceptu penes Apostolum Paulum; ipse enim inter scriptores inspiratos, qui de fide loquuti sunt, primatum quemdam tenet. Conceptus fidei, qualis in S. Pauli Epistolis apparet, multiformis est. Iuxta Apostoli mentem, quatuor in fide distinguere possumus, videlicet: *virtutem* fidei, fidei *obiectum*, fidei *genesim* ac *principalitatem*.

(1) Cf. *Annales de Philos. Chrét.*, 1909 Sept., p. 597. Novemb. 1908, pagina 183, p. 504.

(2) Cf. BRUNETIÈRE, *Discours de Combat. Le besoin de croire.*

(3) BREMOND, *Psychologie de la foi*, p. 311, 312, 313. *Loss and Gain* (NEWMAN) chap. V, p. II.

(4) Cf. *Conc. Vaticanum Denz.* (1639-1640).

Virtus fidei, est obedientia quaedam, quaedam intima persuasio, fiducia in fide nonnisi secundarium locum obtinet. In hunc sensum legimus (*Rom.* I, 5): « Per quem accepimus gratiam et apostolatum ad obediendum fidei »; (*Rom.* XVI, 26): « Secundum praeceptum aeterni Dei ad obeditionem fidei »; (*Rom.* X, 16): « Sed non omnes obediunt Evangelio ». Item (II Corinth. X, 5): « In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi ». De fide Abrahae Apostolus (*Rom.* IV, 21) ait: « Plenissime sciens, quia quaecumque promisit, potens est et facere ». Virtus fidei igitur, concludit P. Lemonnyer, (1) penes Apostolum est « quaedam cordis obedientia, status quidam convinctionis, firma quaedam persuasio cordis ».

Obiectum fidei, iuxta Pauli mentem, complectitur Iesum Christum, Deum, sanguinem et virtutem propitiatoriam Iesu Christi, Dei potentiam, Christi resurrectionem, aliasque Evangelii veritates. In hunc sensum legimus (*Rom.* III, 22): « Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi... qui credunt in eum », et (*Galat.* II, 16): « Nisi per fidem Iesu Christi; et nos in Christo Iesu credimus ». Item (*Philip.* III, 9): « Inveniar in illo, non habens meam iustitiam, quae ex lege est, sed illam quae ex fide est Christi Iesu »; (*Rom.* IV, 3): « Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo: et reputatum est illi ad iustitiam », (*Rom.* III, 25): « Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius »; (*Colos.* II, 12): « Resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis »; (*Rom.* X, 9): « In corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis », et (*I Corinth.*, XV, 1): « Evangelium, quod praedicavi vobis, quod accepistis, in quo et statis ».

Genesis externa fidei, quomodo videlicet aliquis ad fidem externe perveniat, invenitur in Epistola S. Pauli ad Romanos, (X, 14 et seqq.): « Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur?... Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi ». Genesis vero interior fidei, quomodo nempe aliquis interne credat, iuxta Pauli Apostoli mentem in hoc consistit, quod credere sit simul actus liber hominis, idest actus intellectus et voluntatis, donumque Dei. *Actus intellectus et voluntatis*, (I, *Thess.* IV, 13): Si enim credimus quod Iesus mortuus est, et resurrexit », et (*Rom.* X, 9): « Quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris ». (2) *Donum Dei* (II *Thes.* 3, 2): « Non enim omnium est fides ».

Principalitas vero fidei apparet, dum Apostolus (*Rom.* XIV, 23; I *Thess.* 1, 3; II *Thess.* 1, 12) continuo repetit, fidem esse primum evangelicae praedicationis effectum, per fidem nos accessum habere ad Deum, incorporari Christo, fidem esse necessariam conditionem ad iustificationem animae, esse vitae regulam. Animadvertere placet cum P. Prat (1) Apostolum Paulum in fidei conceptu nobis tradendo, neque uti metaphysicum procedere, neque metaphysicam analysim adhibere. Quamvis ipse fidei vocabulo, diversas tradat significationes, in fide tamen duo ubique determinat, actionem nempe fidei, quae est credere, diversaque obiecta eiusdem fidei.

(1) *Epitres de S. Paul* — Première Partie — *Aux Romains*, 1, 17.

(2) *Dans ce dernier exemple* animadvertit PRAT (*La Théologie de S. Paul* p. 235 n. 1) *il n'y a pas à objecter le mot « coeur »; on sait assez que dans la psychologie biblique le coeur est le siège des pensées aussi bien que des sentiments* ». Cf. *Rom.* IV, 20; II *Thess.* 2, 12-13; *Col.* II, 12; I *Cor.* 15, 2.

*
* *

Iuxta Angelicum, fides catholica, quae origine divina est, habet tamquam materiale obiectum (quod materialiter cognoscitur) Deum et multa alia « quae habent aliquem ordinem ad Deum ». Obiectum hoc in se consideratum est aliquid simplex (aliquid incomplexum); sed quia humanus intellectus nonnisi componendo vel dividendo veritatem cognoscit (iudicium affirmativum et negativum) ideo obiectum fidei respectu credentis « est aliquid complexum per modum enuntiabilis »; enuntiatur videlicet per iudicium vel propositionem aliquam. Ratio formalis huius iudicii, vel obiectum formale fidei (formalis ratio obiecti) idest, id per quod materiale obiectum cognoscitur, est Veritas prima, quia in fide ideo assensus veritati praebetur, quia est a Deo revelata; aliis verbis, obiectum fidei est Deus, vel Veritas prima revelans se, aliasque veritates. (2)

Auctoritas divina per quam fidei inerrantia habetur, non praebet visionem evidentem terminorum veritatum fidei, uti fit in principiis atque conclusionibus demonstrativis scientiae. Impossibile est igitur, quod eadem veritas sub eodem respectu considerata, pro eodemque intellectu sit simul fidei scientiaeque obiectum; quamvis fieri possit, ut eadem veritas sit ab uno scita et ab alio credita, qui nempe neque per intuitionem neque per demonstrationem intimum illius nexum percipit. Ex. g. existentia Dei et unitas Dei « numerantur inter credenda » non quia ab omnibus et ab unoquoque credi debeant, sed quia « praeexiguntur ad ea quae sunt fidei » quamvis veritates, communiter omnium fidei propositae, sint extra scientiae obiectum (non scitum) atque sub fidei dominio cadant. (3)

Verum etsi fides cognitionem « scientificam » dogmatum excludat, exigit tamen laborem praeambulum intellectus; credere enim est cum assensione cogitare. Neque credens crederet, nisi videret esse credendum, sive persuasio haec proveniat ab evidentia miraculorum, sive ab aliis motivis, uti sunt prophetiae, necnon conversio populorum ad doctrinam christianam tam difficilem et arduam. (4)

Motiva haec non valent ad propositiones fidei proprie demonstrandas; valent solummodo ad easdem evidenter credibiles reddendas, ita ut intellectus credentis

(1) L. c. p. 234.

(2) *Summa Theol.* 2-2ae. 2. 3. *C. Gent.* I, 5 - *De Veritate* 14, 10 in corp. 2-2ae. 1. 1. in corp.; 1. p. q. 16 a 2.; 2-2ae. 1. 2.; 2-2ae 1. 1.

(3) 2-2ae. 2. 10; q. 1. a. 3; q. 1. a. 4.; q. 1. a. 5. ad 4, et ad 3, et in corpore.

(4) 2-2ae, 2. 1.; q. 1. a. 4 et 2. *C. Gent.* I, 6.

qui sub gratiae motione, veritatibus divinitus revelatis atque ab Ecclesia edoctis libere adhaeret, nulla evidenti demonstratione ad adhaerendum cogatur. In libertate hac, meritum fidei consistit; quod quidem meritum a motivis credibilitatis minui vel augeri, nunquam supprimi potest; minuitur si quis recusat vel differt credere, augetur si credens amore fidei, nova motiva inquirat. (1)

Actus fidei triplici formula, quae est « credere Deo, credere Deum, credere in Deum » exprimitur. Prima formula « credere Deo » obiectum formale fidei, Deum veritatem primam se revelantem indicat; secunda « credere Deum » obiectum materiale fidei, Deum videlicet, aliaque respectum ad Deum habentia exprimit; tertia « credere in Deum » significat intellectum credentis a voluntate motum tendere in Deum summum bonum. (2)

***

Veniamus tandem ad fidei conceptum a Concilio Vaticano nobis clare solideque traditum, quique conceptui Apostoli Pauli necnon S. Thomae conformis est. Fides iuxta Conc. Vaticanum (*Cap. 3 de fide Denz.* 1638) est:

a) « Humanae salutis initium... virtus supernaturalis, qua Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturalis rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli, nec fallere potest ». Concil. Tridentinum (*Sess.* 6. c. 8 *Denz.* 683) iam vocaverat fidem « humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis ». *Initium* quidem dicitur, ait Toletus (3) « quia ipsa praecedit; nisi enim peccator peccasse se contra Deum, et per Christum sibi iustitiam oblatam credat, nec sperat nec diligit, nec peccasse dolet; fides ergo initium est. *Fundamentum* autem dicitur, quia ipsi cetera innituntur; ablata namque fide cetera corruunt nec subsistere possunt; ceteris vero ablatis non continuo fides destruitur, sicut ablato fundamento aedificium ruit, non autem e contrario, aedificio destructo, fundamentum eruitur. *Radix* autem dicitur quia ad ceteras producendas ipsa concurrit, non quod necessario consequantur fidem, nec quod sola fides sine adiutorio supernaturali eas inducat, sed quod ex parte ad actus tales producendos concurrat una cum auxilio divinae gratiae ».

b) « Est assensus intellectus, non caecus, sed rationi consentaneus ». Dantur enim pro intellectu credentis « externa revelationis argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetiae quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata ». (4) Iam antea Pius IX (*Ad Patr. Primates* etc. d. 9 Nov. 1846 *Denz* 1498) scripserat: « Quis ignorat vel ignorare potest, omnem Deo loquenti fidem esse habendam, nihilque rationi ipsi magis consentaneum esse, quam iis acquiescere firmiterque adhaerere, quae a Deo, qui nec falli, nec fallere potest, revelata esse constiterit? »

(1) *C. Gent.* I, 18; 2-2ae. 2. 9. 10; 1

(2) 2-2ae. 2. 2. Cf. *Theol.* Heitz (*Revue de Sciences philosophiques et théolog.* Avril 1909 p. 244) « *La Philosophie et la Foi chez S. Thomas d'Aquin* ».

(3) In Epist. ad Rom. III, 21.

(4) Ib. c. 3 Denz. 1639.

c) « Est assensus, non sine sed cum actione supernaturali Dei moventis ad fidem. » Nemo enim « evangelicae praedicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati ». (1)

d) « Est supra rationem, non contra rationem ». *Supra rationem:* « Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus et non per speciem ». (2) *Non contra rationem,* quia idem est Deus « qui mysteria revelat et fidem infundit » et qui « animo humano rationis lumen indidit »; Deus autem « negare seipsum non potest, nec verum vero unquam contradicere ». (3)

e) « Fides et ratio opem sibi mutuam ferunt ». Quia « recta ratio fidei fundamenta demonstrat, eiusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolit »; fides vero « rationem ab erroribus liberat ac tuetur, eamque multiplici cognitione illustrat ». (4)

f) « Fidei divinae obiectum constituitur per ea, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur ». (5)

***

Haec omnia scripta sunt, occasione *Operis* (6) necnon conversionis Professoris Alberti von Ruville, circa quam, in Germania universa, multi scripserunt. Quibus omnibus perpensis, fas sit nobis repetere: « Ardua res est fides, quae non facile et cito discitur et apprehenditur ».

Friburgi Helvetiorum.

P. Reginaldus Fei O. P.

(1) Denz. 1640.
(2) Ib. c. 4. Denz. 1644.
(3) Ib. Denz. 1645.
(4) Denz. 1646.
(5) Denz. 1641.
(6) *Zurück zur heiligen Kirche.*

Spatio deficiente, ad proximum numerum:

PHILOSOPHICAE DISPUTATIONES

MODERNISTAM INTER ET THOMISTAM:

ACTUM VOLUNTATIS NON PENDERE A SOLA APPREHENSIONE: SED A IUDICIO EODEMQUE « PRACTICO » CIRCA FINEM, ET A DISCURSU CIRCA MEDIA STATUITUR.

DE PICTURARUM IN CATACUMBIS INTERPRETATIONE
UNIVERSALIS RATIO [1]

Picturarum interpretatio Christianae antiquitatis disciplinae difficillima pars est, quum a fontibus litterariis pendeat, in quorum investigatione vel summi archaeologi errarunt. Ut mihi videtur, ex monumentorum indole eorumque inter se analogia investigatio ista initium capere debet; de ea igitur primum loquendum.

Auctores, qui de picturarum Christianarum stilo tractarunt, mire in eius indole determinanda dissentiunt. Raoul-Rochette nihil omnino in Christiana arte invenit, quod proprium huius artis diceret, omniaque



Monumentum ethnicum.



Monumentum Christianum.

adumbrationem sive imitationem plus minus fidelem esse artis ethnicae asseruit. (2) Cuius quidem sententiae ratio non solum ex praeiudicatis opinionibus illius auctoris repetenda est, verum etiam ex eo quod, initio saeculi elapsi, quum hac de re quid sentiret exposuit, haud fideles figurarum tabulas sub oculis habuerit. Contra hanc sententiam non semel in suo opere *Roma sotterranea* locutus est I. B. De Rossi, qui certam quamdam concedens arti ethnicae partem in coemeterialibus picturis, quippe cuius stilus fere vitari non posset, multarum tamen figurarum Christianae vindicat arti originem. Verum visus est, nostris praesertim temporibus, nimis complexa involutaque symbola in picturis catacumbarum deprehendere voluisse.

Eius aequalis, doctissimus Pater Garrucci, antiquam Bosii aliorumque opinionem renovavit, quatenus fere omnia in Christianis sepulcris symbolica esse deberent, (3) ac nonnulli Lutheri Calvinique assectatores ex Garruccianae interpretationis abusu occasionem arripuere omne prorsus in praefatis monumentis negandi dogmaticum signum. Inter hos Victor Schultz eminuit, qui optime quidem de inventis monumentis meritus, omnia tamen eo sensu interpretatus est, ut ipsis quaedam significaretur popularis philosophia, fidei resurrectionis innixa, sed nihil aliud. (1)

(1) Quod editor et clarissimus auctor, novi huius operis « de symbolis et picturis coemeterialibus » specimen *Voci Urbis* vulgandum dederint, gratias publice referimus.

(2) Raoul Rochette. *Discours sur l'origine des types imitatifs qui constituent l'art du christianisme* (1834) et *Mémoires sur les antiquités chret. des catacombes* (1838), ap. *Mémoires de l'Acad. des Inscr. et Belles-Lettres*, t. xiii, pp. 93-169, 170-265, 529-788.

(3) Garrucci, *Storia dell'arte cristiana;* praesertim vol. i.

Victoris Schultz opinionem Sybel nostris temporibus plus minus amplexus est, qui in omnibus et semper ethnicam omnino cernit artem, artem vero Christianam affirmat ultimam esse ethnicae artis formam, sicut Christiana relligio ultimum antiquarum relligionum evolutionis (ut hodie dicitur) signat gradum. Praeterea, ex eius sententia, picturae defunctum semper spectant, quatenus ad eius destinationem alludant, aeternam videlicet beatitudinem in Deo; Christus autem non intervenit nisi ut mediator, ut salvator mundi humanique generis liberator, cuius gratia et auxilio ad convivium caeleste aditus patet. Auctori igitur picturarum finis eschatologicus, ut hodierno utar vocabulo, prorsus est, (2) quod quidem C. M. Kaufmann (3) aliique iam ante illum arbitrati erant.

Iosephus Wilpert in pluribus suis operibus cum doctis illis viris quidem consentit in eo quod ad defunctos picturas catacumbarum referendas putet, sed praeter eschatologicum, etiam paraeneticum sensum in iis deprehendit; nempe picturae non ea tantum quae beatitudinem significant, verum etiam supplicationes ac preces continent, quae, ut defuncti anima cito beatitudinem consequeretur, a superstitibus solvebantur.

Equidem non aliter atque egregius hic auctor tenendum arbitror, cuius nempe sententiam, ita quoad genus consideratam, solummodo post plures in monumentis examinandis annos transactos veram deprehendi, eamque in praesenti libro mihi demonstrandam propono.

Quantum autem sit veri in eorum sententia, qui omnes Christianas figuras in sepulcralibus picturis ex aliquo prototypo ethnicae repetunt artis, satis ex tabulis quas heic proponim s, intelligitur.



Monumentum ethnicum.



Monumentum Christianum.

Exempla istiusmodi ab H. Leclercq producta sunt in suo *Manuali archaeologiae Christianae,* (4) sed quid probent videat studiosus. Equidem, praeterquamquod inter Christianas et ethnicas formas non tantam invenio congruentiam artis, multum mihi dubium est quin Chri-

(1) Schultz, *Archaelogische Studien*, Leipsig, 1880; *Die Katacomben*, 1882.

(2) Ludwig von Sybel, *Christliche Antike. Einführung in die altchri stliche Kunst*, Marburg, N. G. Elwert, Erster Band, 1906, pag. 308.

(3) Kaufmann (C. M.), *Handbuch der christlichen Archaeologie*, Paderborn, 1905.

(4) H. Leclercq, *Manuel d'arch. chrét.* t. premier, pag. 140 sq.

stianae figurae ab ethnicis prototypis stricte adeo, ut iactatur, pendeant; nec enim hinc et illinc stili compositionisve aequalitas, vultus eadem species, vel par vestimentorum quoad sinus dispositio; sed, ad summum, fortuita quaedam levisque, inter communiora ac magis materialia, similitudo dumtaxat deprehenditur, quae vitari omnino nequibat. Si egregius Leclercq semel tantum per Romanum agrum transiisset, nostris etiam temporibus plura pastoris quiescentis viva exempla et ubique conspexisset, eodemque fere habitu atque in Christianis passim picturis apparet. Quod autem de pastoris, item de orantis figura dicatur. Cotidie enim Christianis artificibus sub oculis eiusmodi exempla versabantur, praesertim in liturgicis congregationibus; quid ergo opus erat ut Romana signa imitarentur? (1) Sed nunc ad inceptum redeamus.

Licet recentiores plerique auctores in pluribus inter se dissentiant, in hoc tamen concordes sunt, ut funerariam vindicent picturis catacumbarum indolem. Id prorsus excludit quod vel a I. B. De Rossi, non nimis tamen explicite, admittebatur, ut scilicet picturae quidam fuerint modus neophytos in relligionis dogmatibus instruendi, ideoque quoddam theologicarum notionum corpus constituerint. Si ita res se habuisset, quaerere liceret curnam non omnia relligionis dogmata significata sint. Quod quidem picturae sepulcrales relligionis mysteria, vel sublimiora, neophytos docere potuerint, immo et ipsis fidelibus in mentem revocare quod maxime ad salutem aeternam obtinendam referret, nemo dubitabit. Etenim quot res quodlibet potest monumentum commemorare! Verum, in hunc finem picturas sepulcrales directo et ex proposito elaboratas fuisse, nisi gratis id asseri non potest. Quaenam nempe hucusque huius rei allata fuit ab auctoribus ratio? Prorsus nulla. Nemo unquam explicavit cur, exempli gratia, ut eucharistia quid esset neophytus intelligeret, figuris depictis opus esset. Sed etsi hoc daretur, qua re in parietibus sepulcrorum? qua re non in communi, etiam si placeat subterraneo, ad hoc destinato loco? Sicut enim ulteriora docuerunt studia, catacumbae unice uti coemeteria habitae generatim fuerunt, in quibus potuerit funeraria quidem liturgia celebrari, sed quam rarissime, atque extrema impellente necessitate dumtaxat ordinarius cultus. Porro quisnam crederet privatam personam, in proprio familiarique decorando sepulcro, de docendis mysteria neophytis cogitasse, quasi parietes hypogei, saepe perangusti, parietes quodammodo essent scholae, atque ad orandum pro defunctis natura ac decoratione sua non potius et aptius invitarent superstites?

E contra, ad funerariam picturarum nostrarum indolem demonstrandam nobis argumentum suppetit paritas, quae inter diversa monumentorum sepulcralium genera certo viget. Si enim in coemeteriorum epitaphiis generatim orant superstites, ut defuncti cito beatitudinem ingrediantur, vel eos iam declarant beatitudinem possidere, si eiusmodi cogitationibus et symbola titulis incisa plane respondent, atque idem exhibent quod in liturgicis funerariis precibus legere fas est, ut scilicet proficiat defunctis id quod crediderunt ac speraverunt; si denique symbola non pauca communia cum picturis habent; omnis est ratio concludendi picturas eandem atque epitaphia indolem habere. Neque id quod defuncti sperarunt ac crediderunt totum potuit in sepulcris describi; monumentorum quoque naturam animadvertamus oportet, ceteraque adiuncta, tempus praesertim. Vidimus enim epitaphia potissimum Christum respicere, fidem in eum, spem in eius sponsiones aeternamque beatitudinem; deinde sacramenta commemorari deprehendimus praecipua, quibus scilicet homo fit Christianus et pignus, ex Christi promissis, accipit beatae immortalitatis ac resurrectionis; liturgiae funerariae eadem quoque sacramenta commemorant. Atqui picturae in hoc a liturgiis et epitaphiis minime differunt. Patet igitur quam frustra in picturis quaereremus quod neque eiusdem temporis epitaphia, neque ipsae liturgiae hodiedum usurpatae exhiberent.

P. Xystus O. C. R.

(1) - *Sono semplicemente da leggersi con compassione* — ait egregius Wilpert — *i tentativi fatti dai dilettanti per ricondurre a tipi classici alcune rappresentazioni (per esempio, la Epifania a scena del culto cibelico, il sacrificio d'Abramo a quello di Ifigenia, Giona ad Endimione etc.); essi non meritano seria considerazione* — *(Le pitt. delle cat. rom.* textus, p. 53, not. 2.

MICHAËL RUA

Postridie nonas Aprilis hoc ipso anno labente, Deo defixus mortalem vitam cum beata immortalitate placide commutavit Augustae Taurinorum Michaël Rua sacerdos, eximium virtutum exemplar, et primus, post Ioannem Bosco patrem legiferum, Salesianorum Magister.

Lamentabili autem casu, qui me amico suavissimo, multos optimo Patre orbavit, adeo sum affectus, ut nunquam antea meminerim, me tantum capere animo dolorem.

Incredibile quoque dictu est et memoratu dignissimum, quot viri omniumque ordinum et ipsa regia Soboles luctuosum eius obitum graviter illacrymaverint.

Et ego, qui cum ipso, vel a prima aetatula, eam amicitiam contraxeram, quae nunquam postea fuit dissociata, a vobis veniam peto, quam facile me esse consecuturum spero, si paucula de eius vita vel obiter delibavero.

Hic Augustae Taurinorum humili loco natus est anno saeculi elapsi septimo et trigesimo. Paene puer, amisso patre, domestica matris consuetudine, et sanctissima christiana disciplina altus est atque excultus. Vix decennis, quum olim divinitus ei

obviam fuisset Ioannes Bosco, praeclarum iam religionis exemplum, ita se illi benevolentia et obsequio addixit, ut nunquam exinde ab eius institutis praeceptisque discederet.

Quo factum est, ut, si Ioannem Bosco Philippum Nerium Taurinensem iure appellaveris, Michaëlem Rua facile cum Caesare illo Baronio composueris, qui scriptis atque virtutibus Parentem omnimode laudavit, et eius egregia facinora nedum memoriae posterorum mirum in modum prorogare studuit, sed opere firmavit, re et consilio auxit.

Michaël Rua, experrecto a natura ingenio donatus, adolescens in scholis primas semper referre consuevit, et ea celeritate profanas primum, deinde sacras disciplinas arripuit, eosque fructus sapientiae adquisivit, ut, vel ex eo tempore, quo tandem esset evasurus, omnes facile coniectura assequi possent, et maiora ei in dies verbis portendere.

Verum, sub prudenti Ioannis Bosco disciplina, iuventutem castissime transegit. In eiusmodi igitur schola, ita rerum humanarum fuit pertaesus, ut florenti adhuc aetate, mortalibus omnibus muneribus spretis, ad caelestia alacriter contenderet.



MICHAËL RUA
(Ex recentissima imagine photographice expressa)

Sacerdotio auctus, abhinc annos quinquaginta, patris consilium unice sequutus, cuius vestigiis a pueritia fuerat ingressus, totum se ad iuventutis commodum atque salutem animo convertit.

Quo autem maiorem profectum in muneribus sibi propositis reciperet, ex patris praescripto, ipse, qui alienum a cupiditatibus animum exhibuerat, difficillimis aetatis nostrae temporibus, solers atque impiger politioribus litteris operam dedit, ita tamen ut primum gymnasii inferioris magister, dein superioris extra ordinem cunctisque suffragiis, in Archigymnasio Taurinensi, professor salutari mereretur.

Et ita de studiorum disciplina sentiebat, ut summa ope niteretur, labentibus annis, ne italica iuventus recentiorum doctrinarum portentis adlecta, ab optimis exemplaribus recederet.

Verum ad caelestia atque immortalia spectans mortalia contempsit, et munerum dignitatem virtutibus cumulavit.

Quo tempore Ioannes Bosco Piam Religiosam Societatem instituit, cui a S. Francisco Salesio est nomen inditum, princeps cum paucis adnumeratur qui nomen ei dederunt.

Mirum sane quot egregia opera fecit, quot mentes perculit. Quum postea pater legifer e vivis excessit, omnium sermone percrebuit, ipsum prae ceteris in Michaële effigiem animi sui reliquisse.

Primum vicaria potestate universam Salesianorum familiam sub patris consilio, prudentia, alacritate, diligentia rexit, et novis usque accessionibus insigniter auxit. Ad eum qui praeest pertinere reputans suos identidem invisere, alloqui, adiuvare, diversas Europae regiones peragravit, ubi essent Salesianorum domus. Ad haec veluti cumulus accessit recentiorum gentium cognitio linguarum.

Namque quo commodius cum illis gentibus rem ageret, apud quas domum pueris alendis educandisque aperuisset, optimum factu reputabat earum linguam arripere, ut sic ad se magis eas gentes sororio veluti vinculo adstringeret. Quo facto si cum

Gallis agendum erat, gallico eloquio utebatur, si cum Hispanis, hispanico; atque ita comiter, eleganter, polite, si dicere fas est, ut e matris ore tot linguas didicisset. Ad haec, ita quoque Germanorum sermonem arripuerat atque Anglorum, ut leviter quidem, sed peramanter mentem suam exprómeret. Quod quidem mirifice inserviebat ad eorum animum sibi acquirendum. Haec omnia praeter ordinem, quum ipse plane singularis esset multis rebus distractus, negotiis variis implicitus atque difficilibus, laboribusque paene obrutus. Defuncto Patre legifero, omnibus sociorum suffragiis solus ad societatis gubernacula sedit. Utinam vero in labore atque in vigiliis remissior fuisset!

Turbulentissimo tempore impotentem factiosorum audaciam christiana patientia fregit, parem atrocibus rebus animum in promptu habuit, et negotiorum publicorum prudentiae laude continuo inclaruit.

Ita tamen in magistrum oculos coniecit, ut hoc imprimis habuerit in deliciis, ad hoc maxima ambitione contenderit, ut omnes agnoscerent unum sibi proposuisse in exemplum. Alumnus, socius, successor, suus omnino fuit, neque ab eius consilio ne tantillum quidem discedendum putavit. Consilio, lenitate, industria, ita mordicus magistro adhaesit, ut, ipso defuncto, nec mortuus esse diceretur, sed tunc maxime vivere.

Praeses in Salesianorum societate administranda maxima rerum et hominum prudentia eluxit.

In rebus adversis constans, in quietis ita se aequum praebuit, ut nobis atque alienis fuerit insignis patientiae, fortitudinis, victoriae monumentum.

In omnibus exemplum aderat.

Pius, integer vitae, laboris patiens laudem ab omnibus promeruerat. Societatis supremum munus annos XXII gessit et singularem diligentiam et moderationem professus, quum infirmo corpore, vegeta autem mente ad septuagesimum tertium annum pervenisset, laetus ad maiora semper tendebat, et quum patris decori minime defuisset, tanto sibi exposito exemplo, eniti videbatur multo diligentius.

Ad nos adventantem laetitia gestientes diem expectabamus, quo ipse sacrum quod *aureum* vocant, celebraret, quum, omnibus ingemiscentibus, post diuturnam valetudinem quam fortiter est perpessus, memorabilis constantiae exemplum nobis relinquens, communem laetitiam mors intercepit. In uno mille fuerunt funera! Quo enim die eius feretrum per urbem translatum est summa pompa atque incredibili civium advenarumque concursu, honoris gratia, dum undique innumera devotorum multitudo effunditur, alii virum insignem laudant, pium virtutibusque clarum, alii insolabiliter sacerdotem sanctissimum ac poenitentem admirantur, omnes una voce benignitatem eius et mansuetudinem ad caelum praedicant.

Tu vero, suavissime Pater, nos in contemplatione virtutum tuarum tantummodo conquiescentes, e caelestibus identidem respice.

Vale, anima dulcissima, et Deus misericors, quem sanctissime in terris coluisti, beatas tibi reseret caelitum sedes.

Ave, et vale in pace.

I. B. FRANCESIA.

VALLIS MARIANA

VALLIS MARIANA (*Marienthal*) sita est in Alsatia inferiori, prope oppidum Hagenau; quam regionem omnem, in praesenti amoenissimam, occupavit olim silva immensa, etiamnum ex parte superstes. Ante Francorum irruptionem, habitabant ibi tribus Celticae, quarum sacerdotes, Druides, haud raro victimas humanas immolabant.



Hodiernum templum B. M. V. in valle Mariana.

Urbis Argentinae (*Strassburg*) episcopus fuit S. Arbogastus qui, saeculo VII natus, in memorata silva vitam solitariam aliquandiu egerat; quod et S. Deodatus fecit, aliique viri pietatis studiosi. Quare vulgo silva haec appellata est SANCTA.

Ineunte saeculo XIII, Albertus, civis Hagenoensis, e nobili gente de Wangen, vitam sanctiorem acturus, in eam silvae partem secessit, quae deinceps Vallis Mariana dicta est, cella sibi atque oratorio exstructis. Is peculiari cultu prosequebatur Deiparam Virginem sub titulo Perdolentis, quam sculptor coaevus repraesentârat demortui Filii corpus ulnis excipientem. Cui imagini alia accessit paulo recentior, quae Deiparam refert gaudiis caelestibus perfusam,

Quum vero solitarium sacellum meta fieret multorum visitantium neque iis capiendis sufficeret, anno MCCXXV amplum ibi aedificatum est templum ab eremitae propinquis, Burchardo a Waugen eiusque uxore Ida a Finstingen.

Ex eo tempore ad nostram usque aetatem, sacra haec aedes inter sanctuaria Mariana Alsatina principem semper obtinuit locum. Nec tantum vulgares eo peregrini confluere solent, sed etiam illustrissimi quique, ordinis sive ecclesiastici, sive saecularis.

Inter hos memoratur saeculo XVIII, rex Poloniae Stanislaus Leczinski eiusque uxor, ac filia Maria. Quae postrema, nupta dein Galliae regi Ludovico XV, splendida misit donaria, hac adiecta inscriptione:

MARIAE CAELI TERRAEQUE REGINAE
MARIA HVMILLIMA ANCILLA
DIE XXV MARTII MDCCXXVII.

Saeculo XVI et sub finem saeculi XVIII, Valli Marianae calamitosi quidem dies exorti sunt: quo tempore, sacrae Imagines aliquandiu delituerunt. Nostro tamen aevo, vetus Sanctuarium novo splendore refulsit, ex quo, anno MDCCCLXIV vastius ibi ac splendidius inauguratum est templum, adstante frequenti praesulum etiam purpuratorum corona, et piorum spectatorum multitudine paene innumerabili.

Haec volui revocata ad maiorem carminis quod sequitur intelligentiam:

Salve, MARIAE VALLIS, amoenior
qua nulla tellus! hortus amabilis,
Christi Parenti quem dicavit
Alsatiae pietas avita.

O cara sedes! o memorabiles
experta casus! dum cita volvitur,
fastos resignans Alsatinos,
aligerûm rota saeculorum.

Ut me, latini Tibridis hospitem,
sed rure natum Dusa (1) *quod alluit,*
ut me iuvat, formosa Vallis,
visere te, tibi ferre carmen!

Heic vasta, lustris plena reconditis,
horrebat olim silva, latescere
quae vidit, Argentina felix,
grande tuum decus, Arbogastum.

Viditque flexo poplite supplicem
accensa Christo vota profundere,
edocta summos, thus ut igni
impositum, penetrare caelos.

Res mira! nigri tum κακοδαίμονες
liquere lucos praecipiti fuga
arasque, diro quas cruore
imbuerat Druidum machaera.

Nequivit Orcus ferre potentiam
caelestis Agni, quem pius immolat
Christi sacerdos, Golgothaeum
dum recolit renovatque ritum.

Mox SANCTA *cunctis audit, et omnium*
per ora fertur silva; precantibus
quae trita turbis, sacra miscet
carmina carminibus volantum.

Accede nunc et rebus inanibus,
Alberte, missis, heic tibi rusticum
compone tectum, sempiternae
usque memor sitiensque vitae.

Non te supellex aurea, divitem
nuper dynastam, stipat; inhospitum
nil limen ornat, praeter, altae
fixa cruci, pia membra Iesu;

praeterque divae Matris imaginem,
Natum prementis (iam sua gaudia,
nunc heu! atroci morte caesum)
complicitis trepidanter ulnis.

Amat, labores passa gravissimos,
Maria nostras tergere lacrimas;
id sensit Albertus, brevique
sensit item legio gementum.

Silvestre templum iam petit Isarae (1)
Rhenique dextri cultor, et accola
ripae sinistrae; nec Mosellae
rarus adit Vogesique civis.

Magnes et alter suaviter agmina
trahit piorum: prodiit aemula,
cui laeta frons ornata gemmis,
virgineae Genitricis εἰκών.

(1) DUSA (*Dusenbach*) rivulus est Alsatiae superioris, qui e Vogesi montibus decurrit.

(1) Hic non Gallicus rivus *Isère*, sed Bavaricus *Isar* intelligitur.

Dolere Virgo docta, doloribus
auferre nostris novit aculeos;
regnique compos ter beati,
corda beat radiante vultu.

Millena templi vos anathemata! (1)
largam Mariae dicite dexteram,
seu cura quem terrestris angit,
seu vitiis animus laborat.

Narrate foedis, vota nitentia,
purgata passim pectora moribus,
messemque de virtute partam,
qua sterilis fruticârat aera.

Morbos fugatos, salvaque dicite
quovis ab atro funere corpora,
ac rura late, vel sereno,
vel pluvio recreata caelo.

O Alsatinis perge clientibus,
Virgo, patronam prodere te piam;
fac, ne terat fruges procella,
nec caries populetur uvas.

Arce, quod error mentibus inserit
scelusve, tabum: perniciosior
quo nulla pestis; tanta clades
Alsaticis procul absit oris.

Fr. Xav. Reuss.

(1) *Anathema* cum *e* longa donum votivum significat; *anathema* cum *e* brevi, rem exsecrabilem.

EX GALLIA

Parisiensis conventus de pace inter gentes procuranda

Sub initio huius mensis Aprilis *Institutum* qui dicitur *Iuris Gentium,* ad vitanda aut saltem minuenda belli mala adque iustitiam et pacem inter gentes procurandam, conditum anno MDCCCLXXIII, Lutetiae Parisiorum convenit, disputationesque inivit de submarinis ballistis, de hospitio seu asylo navibus concedendo, quae a classe belligerantium in neutralium portus confugerent; de « ludi exceptione »; de « ordine pubblico » etc Inter Italos insignes, qui conciones in huiusmodi coetu pronuntiarunt, digni sunt qui memorentur Paschalis Fiore et Buzzati; inter Gallos Renault, Fauchille, De Montluc; inter Anglos Westlake, Halland; inter Helveticos Meili et Roguin. Anno proximo coetus Madriti conveniet; atque ideo praeses electus fuit Hispanicus civis De Olivart marchio, professor cathedraticus in catholica universitate Madritensi. Quod felix bonum faustumque siet!

Lutetiae Parisiorum, mense Aprili MCMX.

Monteluccius.

COLLOQUIA LATINA

Pilare certamen. (1)

F. — Omnibus est; nunc vero patientia non agitur. Mitte rigide; nam, contra facere, parum liberalitatis arguit. Quum pila retorquetur, eam iacere quoquomodo permissum est, ad dextram vel ad sinistram, magis vel nimis altam dummodo supra lineam; sed semper et ubique rigide est mittenda.

I. — Recte dicis; ludi leges nosti; id in memoria habere curabo; nam, licet aliquantulum praecellamur, nobis generositas arridet.

F. — Iam videbimus.

I. — Videbitis, fidem do. Hanc tibi, Petre (*Mittens pilam*).

F. — (*ad Petrum*). Percusissses in aëre melius; etenim videbatur in solum humidum incidere, neque fore ut resiliret.

I. — Facta est aequalitas; novenum cuique. Protrahimus ad decimum sextum?

P. — Esto (*Ad Ferdinandum collusorem*). Audi, Ferdinande: quum plurimum retorques Antonium versus, fac ut ad Ioannem remittas, et sinistro versus, nostraque certo victoria.

F. — Bene; sed post remissionem, cura ut pone me te habeas, ne quando pila e manibus labatur; nam saepe Ioannes ita iacit alte, ut, interdum, etiamsi ex volatu enitar retorquere, impossibile sit eam attingere.

P. — Ita faciam; sed tu fac quod dixi et cito cernes virtutem consilii mei; ad Ioannem et oblique, versus augulum; illic saepe pila haeret, et, si resiliat, sinistra percutienda est.

I. — Non prorsus ita res, Petre; conversa subito fortuna est.

P. — Est cur ita loquaris; primo raro vitium faciebam, nunc vero... Quomodocumque est, nos animo frangi minime oportet. Hoc punctum ultimum amisimus quia dextra manu percutere paratus, pila oblique reflexit ad sinistram, et quum animadverti, attingere iam non valui.

(1) Cfr. num. sup.

I. — Decimum quartum agimus pro duodecimo. Valde laborare videris, Ferdinande.

F. — Omnes laboramus et quandoque frontem extergemus; ne te victorem iactes adhuc.

I. — Credo quod quidquam conatus vobis evadet inutile.

P. — Quid? nonne antea vobis praestitimus tribus punctis et aequalitas advenit postea? Et nunc potest sic fieri.

I. — Verum est; sed neque negare licet excellentiam, ad finem ludi, potiorem esse quam initio.

P. — Res indicabit: mitte. *(Mittit Ioannes)* Credo te vitium fecisse.

I. — Et mihi valere visum est; ni visus me fefellerit, citra lineam incidit.

P. — At non est mihi tam hebes oculorum acies, et propius ad aspiciendum steti....; quippe qui, etiamsi potui, nolui pilam remittere manuque cepi. Fidem rogo, Sylvester: nonne extra lineam incidit?

S. — Extra incidit, propemodum duobus digitis ab linea. Hîc repercussit *(locum indicans)*; signum cernere fas est.

I. — Bene, mi homo; nobis verbum tuum sat est.

S. — Aequales estis; pro utraquaque parte punctorum quindecim.

A. — Protrahimus tribus aut quatuor amplius?

F. — Nullo modo; lusioni finem demus; sunt enim qui exspectant lusuri; decimum sextum sit ultimum; videamus cui fortuna iuvet.

P. — *(Mittens)* Eccum in medio sphaeristerio; ne dicatis nos non esse liberales.

I. — Estis quidem..... Neque ego intendi esse minus; et hac de causa in vitium incidi; ita enim alte remisi pilam ut in tectum iacerem, unde, ut videtur, frustra cadere exspectamus.

P. — Vicimus: at indubium est nos omnes pro suis quemque viribus certasse, et, donec vos praecellamus dimidio, dimidia ex parte punctorum dici nequit plenam esse victoriam.

I. — At istuc nunquam fiet.

P. — Quis novit?

I. — Quis novit, inquis? Ego novi. Iam iterum ludemus, at, quum hoc hodie non detur, cras alia evenient.

Ex collegio S. Millan de la Cogolla ad Calagurrim in Hispania.

B. Gabara O. S. A.

ARRAE GORGONIAE

« *Vox Urbis* » *commentarii appendicem, vid. in pag. 80.*

EX HELVETIA

Euripidem et Plautum apud Genavenses in scenam prodire

Audentes Fortuna iuvat. Etenim quamquam perdifficile est, praesertim his temporibus, fabulas antiquas Graece et Latine agere, id tamen temptaverunt Genavae, proximo mense Martio, discipuli collegii, ut ita dicam, classici; qui, quum multas scenas inter se connexas ex *Medea* Euripidis et Plauti *Amphitryone* excerptas in scenam induxissent, tanta arte ludicra usi sunt, ut etiam atque etiam a spectantibus revocarentur. Nam non solum versus discitu haud faciles memoriter pronuntiabant, sed etiam gestus vultusque cum re mire accommodatos proferebant.

Praesertim ii qui Medeae ipsius eiusque nutricis partes sustinuerunt, cum urbanitate arteque elegantissima Graecorum agere seque moveri ostenderunt, magnamque excitaverunt spectantium admirationem. Magnifice Medeae furentis et impetu conscelerato efferatae persona; quum autem in exitu tragoediae, ex postscenio clamores et eiulatus flebiles liberorum a matre amente trucidatorum audivimus, horrore illo contremuimus quo, iam abhinc annorum prope duo milia, Athenienses certe agitati sunt.

Plautus contra, vi comica et quasi aestu imprimis fervidi diverbii, semel atque iterum risum immensum nobis excussit. Sosia, quum aedes heri intrare a Mercurio prohiberetur et omnibus artubus contremisceret, coronae plausus vociferationesque maximas sibi procuravit. Itaque, tametsi ab iis quae a Plauto scurrilius interdum scripta sunt, gesticulationibus, ut meam sententiam candide aperiam, non satis actores temperabant, tamen id quod voluerunt consecuti sunt, ut qui aderant oblectarent, et pulchrae illius linguae latinae admirationem refricarent maioremque redderent.

Ceterum, sive Graece sive Latine iuvenes illi egerunt, de litteris et liberalibus artibus optime meriti sunt. Quare iis ex animo gratulamur.

Novioduni Helvetiorum, d. IV mens. Apr. MCMX.

Carolus Favez.

QUAESTIONES INTER SOCIOS PROPOSITAE

Abhinc annos aliquot huiusmodi caput in Commentario nostro instituimus, quod si pluribus mensibus in honore fuit, sensim tamen deinde obsolevit. Proximis vero diebus, I. Rainer, ex Americana urbe S. Francisci quaestionem nobis solvendam proposuit, quam referimus et volumus quasi praefati capitis instaurationem constituere. Dum autem ipsi ex nostra parte respondimus, explanationi eius ad satisfaciendum magis, itemque ad alias quaestiones inter socios proponendas, quae praesertim vehementer eos alliciant, lectores omnes invitamus.

Sit igitur

Quaestio I

Unde celeberrimum il lud effatum: « Memento mori? » Locutio haec verene est latina? Potuit Cicero aliusve Romanus eruditus illud legens interpretari sine dubio quo valeret? C. B.

R. — Lugubrem hanc considerationem cum similibus puto apud eos invaluisse, qui solitaria ac veluti umbratili vita in Thebaide pallescebant. Ceterum dictum et quasi tessera facta est Trappistarum sodalium, quorum Congregatio condita an. MCXL, reformata fuit anno MDCLXIV ab abbate illo Armando Ioanne Le Bouthiller de Rancé, qui, vir quondam mundanus, deinde in coenobium cum nobilibus multis e Gallica gente secessit, opusque edidit de monasticae vitae sanctitate et officiis. Huiusmodi, inquam, sodales iuxta suas regulas, ut prae oculis mortem imaginis haberent, illud *memento mori* sibi invicem repetere debebant.

Ceterum et verba *Memento novissimorum* in Sacris libris invenimus (*Eccles.* XXXVIII) et scimus eorum contextum passim in nonnullis usibus revocari solitum. Sic apud Aegyptios in epulis feretrum circumferebatur; Russorumque Caesari, quo die imperiali corona cingebatur, mos erat offerendi lapidum specimina aliquot, unde eos deligeret, quibus eius monumentum aedificaretur. Quis proinde ignorat verba illa ab Ecclesia « Cinerum die » cuique fideli proposita: « Memento homo, quia pulvis es et in pulverem reverteris » ? Atqui ex libro Geneseos haec verba ad amussim detracta sunt. (Cap. III, v. 19).

Apud Ciceronem denique de mortis memoria ante se habenda haec inter alia leguntur: « Moriendum certe est, et id incertum an eo ipso die (*Cat. mai.*) — Nemini exploratum potest esse, quomodo sese habiturum sit corpus, non dico ad annum, sed ad vesperum. (*De finib.*, 2) — Quis est, quamvis sit adolescens, cui sit exploratum se ad vesperum esse victurum? (*Cat. mai*) — Mortem omnibus natura proposuit. (*Philipp.*, *4*) — Necesse est mori (*Tusculan.*, *2*) — Moriendum est omnibus. (*Tusc. 1*) — Est tibi moriendum quia homo natus es. (*Famil.*, *4*) — Quae potest esse in vita incunditas, quum dies et noctes cogitandum sit iamiam esse moriendum? (*Tuscul.*, *2*).

FORFEX.

ACTA PONTIFICIA

MOTU PROPRIO

de Concessionibus Indulgentiarum a Suprema S. Congregatione S. Officii recognoscendis

Quum per Apostolicas Nostras Litteras *De Romana Curia* quae incipiunt « *Sapienti Consilio* », III Kal. Iul. an MDCCCCIII datas, *universam rem de indulgentiis*, ideoque et curam circa rectam et prudentem earum moderationem et onus invigilandi super earumdem publicatione et impressione, *uni* Supremae Sacrae Congregationi Sancti Officii devolutam voluerimus; ad praecavendas dubitationes quascumque quae ex concessionibus hac in materia aliter quam per praefatam Sacram Congregationem forte obtentis facile oriri possent, utque omnibus plane constet de earumdem authenticitate et efficacia, Suprema Nostra Autoritate, motu proprio atque ex certa scientia, declaramus et decernimus:

1. Indulgentias quascumque, sive generales sive particulares, quae non respiciant ipsas personas petentium tantum, a supradicta Suprema Sacra Congregatione Sancti Officii esse recognoscendas;

2. Idem dicendum de facultatibus concessis quibusvis sacerdotibus cuiuscumque gradus et dignitatis benedicendi pia obiecta eisque adnectendi indulgentias et privilegia pro quocumque vel quibuscumque Christifidelibus;

3. Concessiones indulgentiarum et facultatem, de quibus supra, vim habere tantum postquam Sacra Congregatio Sancti Officii illas authentice recognoverit;

4. Quoad praeteritas, demum, concessiones, eas efficaciam tantum habituras, si intra sex menses ab huius Nostri Decreti publicatione eidem Sacrae Congegationi exhibitae ab eaque recognitae fuerint;

5. Idcirco impetrantes posthac huiusmodi concessiones teneri, sub poena nullitatis gratiae obtentae, exemplar earumdem dictae Supremae Sacrae Sancti Officii Congregationi exhibere, ut rite recognosci ac ratae haberi possint.

Haec edicimus, declaramus, sancimus, contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis, non obstantibus.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die VII Aprilis MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

Per Apostolicas litteras d. d. VIII mens. Martii MCMX consociatio precum pro Scandinavorum conversione impetranda erigitur in abbatia S. Mauritii Claravallensis, in dioecesi Luxemburgensi, cum facultate inscribendi socios ubique terrarum, et cum indulgentiis consuetis.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Aprili MCMX).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Paulus Alexandrovich, e Russorum regali genere Magnus Dux cum Russico administro apud Apostolicam Sedem; Duthoit doctor; manus Italicorum iuvenum in athenaeis studiis vacantium; Lapurdensis hospitii Sodales; Aloisius Boncompagni, Princeps Urbanus, cum Paulo, eius filio; Caisotti de Clusano, Comes; Italici peregrini Terram a Christi sanguine purpuratam petentes; Paulus Macchi, Comes, eiusque familia; Radzivill Princeps, eiusque uxor; Belgarum diariorum scriptorum manus a Belgarum administro apud Apostolicam Sedem coram adducta; Hungarici cives, qui Romam advenerunt ut sollemnibus interessent dedicationis in Lateranensi basilica faciendae monumenti Sylvestro II Pontifici; Pastor doctor, Austrorum historici instituti in Urbe praefectus; De Rotenham dynasta, iam Borrussiae legatus apud Apostolicam Sedem; Consilium generale Ordinis Eremitarum S. Augustini excalceatorum; Prasehma Comes, eiusque uxor; Potocki, Comes; Italici peregrini e Pisaurensi dioecesi; Polonorum peregrinorum manus; Teutones peregrini e Terra Sancta reduces a Purpurato Patre Huberto Antonio Fischer, Archiepiscopo Coloniensi, coram adducti; Americae Septemtrionalis peregrini pariter ex Terra Sancta reduces; S. Caeciliae Latialis Societas ad sacram musicen provehendam; Helveticorum peregrinorum manus; Maria Anna Friderica, Hessensis « langravii » vidua, ex Borrussica regali stirpe Princeps foemina; De Bothner, dynasta.

Pontificiae electiones.

— Bernardinus Slaku, O. F. M., episcopus tit. Tiberien. et Coadiutor cum futura successione rmi. episcopi Pulatensis in Albania; Eugenius Massi, O. F. M., episcopus tit. Ioppensis et Vicarius Apostolicus de Scian-si Sept. in Sinis; Ioseph Busch, rector Missionariorum S. Pauli, episcopus Leaden. in Civitatibus foederatis Americae Septemtrionalis; Iosue Signori pro-Vicarius dioecesis Bergomensis, episcopus Fossanen.; Georgius Gusmini, parochus S. Alexandri Bergomensis, episcopus Fulginaten.; Nicolaus Cola, canonicus ecclesiae Cathedralis Camerinensis, episcopus Marsorum creantur.

— Exemus. vir Aloisius Ermini, episcopus tit. Hamathen., ad sedem Sarsinaten. transfertur.

— Iosephus Alberti, canonicus theologus cathedralis ecclesiae Aquaependen. inter Auditores S. Romanae Rotae adsciscitur.

— Purpuratus Pater Benedictus Lorenzetti, Sacrae Congregationi de Propaganda Fide pro rebus Orientalibus adicitur.

Vita functi viri clariores.

Romae, die XXIX mens. Aprilis, senectute confectus, **Gulielmus Pifferi,** ex Ordine Eremitarum S. Augustini, episcopus Porphyreonen., in Pontificia Domo Sacrorum praefectus. Natus erat Aculae, die XXIV mens. Maii MDCCCXIV.

ANNALES

Albanensis seditio.

Arnautarum gens in Albanensi Turcarum regione est, a vectigali quovis solvendo iam antiquitus exempta. Quae quidem sublatum sibi a gubernio huiusmodi privilegium videns, ad arma ex improviso, ineunte superiore mense Aprili, profugit rebellionemque publice indixit. Missa in eos acies, ad Pristinam urbem ingenti clade versa retro est. Tum imperii summa Chefket imperatori commissa, qui instructo optime exercitu atque virtute sua facile seditiosos subigere visus est; brevi tamen, quum hi cum quadraginta hominum millibus bellum renovarunt, montesque Cianikasc occupantes, ferriviam a Neskuel urbe ad Monastir a circuitione sua continuerunt, impedieruntque quominus commeatus ad Turcarum agmina apportarentur. Rei igitur status difficilis satis apparet, isque ut administris virtute magna fortique opus sit. Prospere, cetera Europae gubernia unanimi consilio sentiunt, nisi a Turcarum imperio invitata fuerint ut Balkanicam omnem regionem tueantur, nullimode in hoc discrimine interfutura, quod brevi iri solutum — quidquid futurum fieri possit — vehementer speramus.

Cretensis quaestio.

Cretensis quaestio iterum his diebus promicuit, Turcarum emissis protestationibus ne liceat Christianis legatis in Cretensi coetu, qui proxime conveniet, iuramentum fidelitatis Georgio, Graecorum regi, proferre. Quum frustra nationes tutelam insulae gerentes obiecerint id speciem ac formam vanam tantum constituere, aliasque idem pacifice esse factum, Turcaeque contra institerint, inde violationem *status quo* oriturum esse affirmantes, non plane deducere fas est, quomodo Byzantina mens cum legatorum Cretensium conciliari queat. Eventus itaque exspectamus.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia** quaestiones supremo coetui proponendae de utriusque coetus praerogativis, Hiberniae legatis administrorum concilio faventibus, adprobatae.

In **Austria** de vectigalibus reformandis instituta disceptatio.

In **Borussia** nova indicendorum comitiorum ratio, frustra socialistarum factione obstante, rata habita.

In **Gallia** novorum popularium legatorum electio favorabilis gubernio evasit.

In **Germania** rationes acceptorum et expensarum perpenduntur. Inchoata simul disquisitio de commodo opificibus, sive senectute sive alia de causa labori impotentibus, concedendo.

In **Hispania** publici coetus legati dimissi, novaque comitia indicta.

In **Italia** fusa oratione Luzzatti, novus administrorum praeses, concilii sui proposita exposuit, suffragiaque plurima a legatis obtinuit.

In **Russia** rogatio legis sancta de militari disciplina ab omnibus civium classibus pro tempore capessenda.

PER ORBEM

Die II mensis Aprilis MCMX, Roosevelt, quondam Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis praeses, ab Africanis venationibus redux, Italiam appellit.

Di San Giuliano marchio, novus in Italia ad exteras gentes administer, Bethmann Hollweg, Germaniae Cancellarium, Florentiae convenit.

— d. III Leblond, Gallicus aviator, cum aëroplano suo ad S. Sebastiani in scopulos praecipitat misereque frangitur.

— d. IV novae aëreorum itinerum victimae ad Ruegen insulam lugentur, inter quas Delbrueck, Germanici popularis coetus legatus.

— d. V in vitreariis officinis ad Muranum incendium gravissima damna comparat.

— d. VIII subaqueus novus Gallorum linter ad Cherbourg feliciter in mare immittitur.

— d. IX in monte Olivarum ad Hierosolymam Teutonum amplissimum nosocomium aperitur.

— d. XV aviationis campus ad Châlons atra procella vastatur.

Capetown, in Transvaaliana regione, nudis oculis Halley cometes optime primum conspicitur.

— d. XVI Romae, in Lateranensi basilica, adstantibus Hungariae civitatis principibus, episcopis civibusque, atque ipsius Francisci Iosephi, Austrorum Imperatoris et Hungariae regis, legato, monumentum ab Hungaris Sylvestro II Pontifici dicatum sollemniter Emo. Card. Urbis Vicario traditur.

— d. XVIII, Chang-Sha, in Sinis, ob gravis annonae metum, tumultus fiunt. Gubernator interimitur, exteraeque gentes fugam capessere coguntur.

— d. XX Halley cometes ad perihelium perve nisse computatur.

Ex Serbia flumina e limitibus excessisse nunciantur immensasque iacturas tum hominum tum rerum attulisse.

— d. XXII vita fungitur Marcus Twain, litterarum et philosophiae magister Americanorum peritissimus.

— d. XXIII Venetiis IX pulcrarum artium ex omnibus orbis gentibus exhibitio; Bruxellis universalis omnium rerum expositio inaugurantur.

— d. XXVI Lutetiae Parisiorum fato concedit Bjoernson Bjoernstierne, poeta Norvegorum maximus.

— d. XXVII Borussorum Princeps Germanici regni haeres eiusque uxor, e Terra Sancta reduces, Romam privati tenent.

— d. XXVIII Paulhan aviator aëreum iter a Londino ad Manchester feliciter conficit.

LIBRORUM RECENSIO

PROF. LUIGI PROFUMO S. I. — *Corso di filosofia elementare pei licei.* Vol. 1 *Psicologia* (Edid. Augustae Taurinorum Marietti, 1910).

Doctrina quam cl. a. evolvit illa est quam maiores docuerunt; vestis autem ea, qua nostris diebus prodire oportet, quum praesertim pro iuvenibus scribatur, quibus publica pericula facienda sint. Haec satis, ut peculiares huius libri dotes quisque plane ex se coniiciat.

ANDREA FERRATO S. I. — *Cronologia Costantiniana e dei Papi S. Eusebio e S. Milziade.* (Sampierdarena, ex off. Salesiana, 1910).

Criticum hoc opus solidis argumentis tempora statuit, quibus nonnulli Constantiniani regni eventus contigerunt. Inde igitur scimus primum eius imperii annum fuisse CCCV; Diocletianum regno an. CCCIV depulsum esse thermasque quae ab eo nomen deduxerunt post huius depositionem inauguratas, scilicet ipsius anni die XX Novembris; primum libertatis edictum pro christianis die XXX Aprilis an. CCCX datum; Maxentium d. XXVII Octobris CCCV imperium adivisse supremumque diem an. CCCIX obiisse; Constantinum per aliquot tempus tamquam Caesarem absque Imperatoris titulo regnasse, hunc autem honorem accepisse quum Faustam uxorem duxisset, exeunte mense Martio CCCVI. Ita auctor procedit in tempora Maximiani et Licinii incumbens, unde ad relationes transit, quae inter dies hisce imperatoribus tuto appositas atque Miltiadis et Eusebii Summorum Pontificum intercedunt. Praeterea circa inscriptionem quamdam Damasianam disceptatione instituta ut ad Liberiana tempora potius transferatur, quaestiones de Liberio papa relate ad Ariani doctrinam fuse atque recto iudicio examinantur.

P. Orazio Premoli B. — *Fra Battista da Cremona secondo documenti inediti.* Contributo alla storia religiosa del secolo XVI (Romae edid. Desclée et Soc., 1910).

Baptistam Cremonensem alii ita nobilitarunt ut tamquam sanctum sint etiam venerati; alii contra ita abiecerunt ut haereticum habuerint eiusque cineres disperdi voluerint. Hodiernus auctor plurimis documentis suffultus veritatem constituere nititur atque viri famam vindicare, qui Sanctorum Antonii Mariae Zaccaria et Caietani a Thiene animi moderator exstitit.

La Tour du Pin la Charge marchio. — *Aphorismes de politique sociale.* (Lutetiae Parisiorum, Nouvelle librairie nationale, 1909).

Centum paginis concreta in hoc volumine doctrina continetur, quam auctor iam in opere cui titulus *Vers un ordre social chrétien* late declaravit ad quaestionem tum opificum tum agrariam solvendam; illam ad corporationum regimen redeundo, hanc agricolas per opportunas leges a tributis liberando, quae eorum fatigatoribus solvere debent. Quamquam cl. auctor christianae doctrinae assecla omnino sit, nobis tamen videtur, quum ad civitatum, vel potius civitatis suae, gubernaculo aptanda a se vindicata principia devenit, nimia cum exceptione iis uti.

Leon Désers. — *L'éducation morale et ses conditions.* (Lutetiae Paris. apud Lethiellieux, 1909).

Continentur in hoc opere orationes octo educatricibus christianis dicatae, quae muneris sui sensum apprime intelligant; omnesque sunt de puerorum institutione. Clarum sacerdotis Désers nomen satis est ut liber eius iis quos spectat valde commendetur.

I. F.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis *eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

Prof. Dott. Gustavo Pecsi. *Crisi degli assiomi della Fisica moderna.* Riforma delle scienze naturali. Versione Italiana del Prof. Filippo Trucco. — Romae edid. Desclée et Soc., 1910. (Ven. lib. 5).

Fr. Alex. M. Lepicier. *Appendix ad secundam editionem operis de stabilitate et progressu dogmatis.* — Indidem. (Ven. lib. 1).

Giovanni Ascani. *Posizione giuridica della Chiesa nel Diritto italiano.* — Indidem. (Ven. lib. 0,40).

Notiones archaeologiae christianae disciplinis theologius coordinatae, auctore P. Syxto O. C. R. — Vol. II. p. II, *Symbola et Picturae coemeteriales.* — Indidem, (Ven. lib. 6),

IOCI.

Iudex postquam adolescentulum, furti, invitus quidem, damnavit, eum mollioribus verbis increpabat: — « Siccine stultus fuisti, ut tantam infamiam tibi inureres furtulo triginta obolorum? » — « Triginta omnino — reus lacrimans — inveni, praterea nihil, quod auferrem ».

*
* *

Arcadius Lysippo per litteras quaerenti filiusne eius ad magnas pecunias pervenisset, rescripsit: — « Habeo sane, quod laeter; filius enim meus primum praefectus aerarii Municipii, deinde curator publici nosocomii sumptibus coercendis, iam appulit in Americam ». Ad eum nuntium, Lysippus gratulatus est Arcadio schedula salutatoria, cuius hoc erat exemplum: — « O fortunate pater, qui filium effugisse carcerem videris! »

Titus Curzius.

AENIGMATA

I.

Sum verbum? Raucam vocem designo caninam.
Sum nomen? Fuge me, ne spoliere bonis!

II.

Pabula significo, quae iactat vel levis aura.
Rho mihi subnectas: collo dependo tauri.

F. P.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

S. AMBROSII DE OFFICIIS LIBRI TRES
(Edid. I. Tamiettius)

Aenigmata an. XIII, n. II proposita his respondent:

1) **Canis**; 2) **Cor - sica**

Ea rite soluta miserunt:

I. Costa, *Dumio.* — Petrus Tergestinus. — Alex. P. Gest, *Trentonio.* — I. Rainer, *S. Francisco.* — R. Richi, *Traianopoli.* — Hern. Forgeot, *Nicaeae ad Varum.* — P. Prado, *Venetiis.* — G. Giani, *Senis.* — F. X. M., *Drepano.* — Ant. Masia, *Tarragona.* — Alb. Catteau, *Lugduno.* — Iac. Menendez, *Madrito.* — Raim. Silvan, *Londino.* — Rich. Brondel, *Brugis.* — Rich. Müller *Berolino.* — I. Ortiz, *Morelia.* — Lud.Goux, *Bituricis.* — Iac. Cordara, *Parentio.* —Nic. Laguntina, *Panormo.* — F. Arnori; A. Tonelli, *Mediolano.* — Arch. Magliano, *Genua.* — I. Ciolli, *Papia* — F. Starace, *Neapoli.* — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio.* — Ios. Martins, *Philadelphia.* — Eug. Dolmar, *Chicagine.* — F. Correa *Emerita.* — A. Bounin, *Aureliano.* — E. Ricci, *Florentia.* — Alb. Perraud, *Parisiis.* — Ant. Whiteside; Alb. Kain, *Dublino.* — Iac. Fernandez, *Mexico.* — Barth. Ferraris, *Augusta Taurinorum.* — Fr. Guerra, *Aletio.* — Lud.Dubois, *Massilia.* — Mart. Dunne, *Neo Eboraco.* — Carm. Zlinczky, *Cracovia* — Frid. Horwath, *Vindobona.* — Clem. Fiard, *Curia Rhaetorum.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.*

Sortitus est praemium:

Augustus Bounin,

ad quem missum est ALEXII M. LEPICIER opus, cui titulus.:

DE STABILITATE ET PROGRESSU DOGMATIS.

Sponsor: Ioannes Baptista Ciampi, iurisperitus

Romae — Ex officina *Societatis Romanae Editricis.*

(4

ARRAE GORGONIAE

(Cfr. num. sup.)

— Hoc — furens clamavit, — dum laeva furatur amoris pignus Fortuna, dumque arras sponsae dextera infida reddit, hoc iam infernis manibus caput devoveo.

Extrema haec tubarum clangor intercepit, simulque concurrentium undique per castra militum strepitus, divulsa tentoria, armorum fragor. Vicit obedientiae consuetudo angorem, surrexitque extemplo iuvenis, scutumque, quod penes equum posuerat, sustulit, galeam induit, circumspexitque. Equorum solvebantur agmina, centuriones decurionesque discurrere ad imperata purpurea crista, facularii post terga equitantibus, discernebantur, cohortiumque multiplex gressus, sese iam in agmen cogentium, sonabat undique. In his repente succussus equorum adventavit hinniensque turma progressa est. Advenientibus alarum magistri occurrerunt, Caeciliique vox statim audita:

— Conscendite, equites, perque portam praetoriam abite.

Tubae iterato signo, arma insonuerunt simul quingentorum militum prosilientium in equos. Eorum iter sequutus equitabat legatus, rapido intuitu singula lustrans agmina, fraenis, ephippiis, phaleris praefulgentia. Iamque venerat ad portae limen, quum retinuit subito lora: Pegasus iacebat humi demersus cruore, cuius ad latus stans Atilius vibrata cuspide Caecilium salutavit.

Tunc abducto supercilio legatus:

— Dic iam tu, eques, novae ruinae nuncius, cuiusnam opera pedes es factus?

— Sagittarius certe barbarorum abditus in silvis Pegasum iam iam vallum attingentem telo percussit.

— Eccur non dixisti?...

— Dixissem plane, si post male ominata nuncia spatium loquendi fuisset; at...

— Optime! — Tunc ad turmam quae sequebatur conversus: — Age iam, Sifax; equum militia mutatum non sua culpa cede; — dumque Numida obtemperat: — Tu vero tolle, Vibenna, veteris meae cum patre tuo coniunctionis signum, recentisque doloris solatium. Hoc tibi donum esse volo, auspiciumque duco ut gorgonium, quod abdis, amuletum victorem, vivum te sospitet. — In his abiit.

Vibenna ob imperii reverentiam tacitus, at acuto renovati vulneris morsu percitus, porrectum a lixa fraenum tenuit. Bellua erat africana fulvo colore, membris ingens, naribus infremens. Sed revocaverant imperatoria verba ea, quae in tam subita profectione memoria diffugerant. Tum Atilius convertit rursus oculos circum, atque iacere in sanguine aliquid vidit. Sustulit; armilla erat sponsalis: labiis cruore stillantem admovit, osculo detersit quasi signo imposito fracti amoris, fractae spei.

Sed iam iterum cecinerat buccina: ala omnis in agmen instructa progrediebatur: ipseque tunc in ephippium prosiliens ultimus est sequutus.

Per praetoriam, per decumanam, per principalem portam inde alae, hinc cohortes, pedites aliunde effluebant. Tremulus atque interruptus taedarum ordo viam cuiusque agminis notabat. Germanorum vero auxiliaris equitatus, suo praeeunte magistro, toto cursu reliquas copias antecellebat, quo, uti erant locorum magis experti, viam sequentibus collustrarent. Eorum faces iam alia post aliam silvarum tenebris demergi videbantur a longe, veluti quum supremae rogi favillae cineris cumulo restinguuntur.

III.

Tacitum per tenebras iter, raris tantum ducum vocibus, equorumve hinnitu turbatum erat. Milites enim, non, ut quum sub dio properant, garruli atque cantantes, sed demissis verbis, tum somno pleni, tum ignoto quodam metu anxii, quem per tenebras divinarent, procedebant.

— Quonam, Furie, vacuo ventre gravique capite currimus? Haec extremum decurionem rogari a milite qui una equitabat Vibenna audivit.

Cui miles:

— Ad inferos puto, quo tandem dabitur tutum Morpheo tradere caput.

— Et quomodo — tunc ille irridens — ita somniculosus Charontis scapham ingredieris?

— Quid quod? Natatu vadam, atque ineptas huiusmodi argutias Acheronteis in fluctibus non audiam amplius.

— Laudo sane te ea commoda transnatandi despicere, quae nec uno quidem obolo emere poteris.

— Potero quidem, si spatium fuerit senem nautam tuis his versutiis tesserario ludo vincere.

Funerea disceptatio apta ferme locis aptiorque intimae menti iuveni visa. Equorum enim similiter cadens gressus ad cruciatus novos eum totum reduxerat. Qui dum dextero lacerto gorgoniam taeniam praecingit, submisse, statutum olim iuxta nexum, haec adprecabatur: « Te, Anguicrinitam Erinnysque dilectam obtestor deam, tu furiis ultricibus infidam foeminam plecte, meque sacram tibi victimam libens accipe ».

Sed ecce talia obsecrantis rumor pervenit ad aures, fragorque praevalidus turgentium fluctuum gurgitisque rapide spumantis, veluti si malefico prodigio ipsae revera adessent lividae aquae Acherontis. Verum nitida nox errorem brevi fugavit, stellisque desuper, ac facibus iuxta collucentibus Lippae fluminis splenduerunt undae; iamque Germani exploratores, qui praeierant, calcare pontem ligneum videbantur. Pontem, apto loco, ima in valle, acclinibus ripis, atque silva dilatata circum, militibus ut struerent legatus ipse imperaverat, quo cum imperatoriis castris tutius commercium esset.

(Ad proximum numerum).

I. A. Costaggini.

Ann. XIII. Romae, Mense Iunio MCMX Num. VI.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

DE QUATTUOR CONDICIONIBUS QUIBUS LATINAE DISCIPLINAE PERCEPTIO CONTINETUR

Ad Americanos Magistros linguae Latinae.

Legenti nuperrime ephemeridem quandam menstruam, quae de latinis rebus graecisque per annum scholasticum in Universitate Chicaginiensi editur, subiit mihi sententia, non defensoribus et doctrina apud Americanos egere rem latinam, verum potius doctoribus et asseclis. Nec equidem de maioribus tantum collegiis academiisque hoc affirmarim, sed de omnibus fere scholis. Quippe in scholis publicis, quas superiores appellamus, non cuilibet patet licentia latina tradendi, sed eis qui et studio haud mediocri exculti et examine satis rigido probati fuerunt. Professores vero ipsarum universitatum et principes disciplinae latinae vel cum doctissimis aliarum artium cultoribus merito composueris. Tamen fortasse ex hac ipsa re minus late patent studia latina, minus popularia sunt, arctioribus finibus sese includunt. Etenim si eorum tantum esse videtur disciplina latina, qui altius subtiliusque ibi versari decreverunt, paucorum erit res latina et eodem ferme loco collocabitur, quo epigraphica studia, quo hebraica, quo sanscritica; quod contra oportebat latinae linguae notitiam aliquam non pro speciali ac proprio paucorum studio haberi, sed pro communi quam plurimorum fundamento adhiberi. Non deest doctrina praeceptoribus Americanis, non deest studium rerum latinarum, non hercle deest opportunitas docendi: vix ullam scholam superiorem reperias quae quadriennium latinum non praebeat. Sed quoniam optio studiorum ipsis discipulis dari consuevit et fructus latinorum studiorum cum ceteris disciplinis, nec pares efficiuntur, nec pares effici posse existimantur, utilitas latini sermoni vulgo non agnoscitur et plerique discipuli scholarum paene ab ipsis latinae linguae magistris ad alia studia, unde uberiora proveniant, traduci videntur. Qua de re dum universim disputo condiciones docendi, quibus latini sermonis perceptio contineri mihi videtur, quattuor puncta vel considerationes revocare decrevi, quae sunt: *a)* scientia docentis; *b)* aetas, sive captus discentium; *c)* indoles ipsius sermonis; *d)* finis docendi, sive beneficia inde sperata. Quibus omnibus perspectis atque perpensis, certa quaedam principia sive axiomata rei latinae administrandae tum generalia, tum specialia concludere licebit.

I.

Primum igitur omnium, *scientiam docentis* consideremus. Non nimis humiliter, opinor, de secta nostra me sentire arbitrabimini, si nemini nostrum talem tribuero linguae latinae scientiam, qualis in vulgaribus sermonibus requiri solet. Etenim ex libris, non ex communi vita latinum sermonem petimus. In librorum autem lectione nullius sermonis integritas cernitur, neque vetusti neque recentioris norma quaedam, ad quam ceterae figurae scribendi et loquendi vel iudicemus (si quas ab aliis accepimus), vel ipsi pro viribus efformare tentemus. In vulgari quidem sermone si quid opus est, hoc abunde supplebit confabulantium consuetudo: in latinis, quotiescumque ea desideramus quae in litteris optimis aut non exstant, aut nobis fortasse nondum innotuerunt (id quod saepissime accidat necesse est), non ex aliqua olim nobis ad paucos annos in nescio quo Latii concessa latine inter sese colloquentium recordatione opem petere licet, sed ad nostras nobiscum meditationes adque analogiae usum creberrimum confugiendum est. Quod si alios consulere placet, non omnes idem comprobare videmur, sed alios alia sibi in lati-

nitate permittere, quum tamen nemo omnia licere putet, neque alienis iudiciis stare velit. Illud enim praetereo, quod nemo nostrum per omnia sibi constat, sed pro re et tempore novarum licentiam locutionum variare consuevit.

Quae quum ita sint, primum sequitur ut ad latinitatem generaliter quidem a scriptoribus classicis traditam, sed a nobis ad nostros usus varie pro arbitrio exauctam et translatam tot accedant scribendi et loquendi species quot hominum ingenia; deinde ut aliena intellegere nihil aliud sit quam pernix quaedam animi divinatio, non tam oculis auribusve percipientis, quam viribus strenuis discernentis ignota, iudicantis, conferentis, ad sententiamque redigentis; quae operatio an vera confabulatio sit viderint psychologi.

Scientia igitur docentis in rei latinae administratione duas omnino agendi vias invenit, quarum alterutram sibi eligere cogitur: aut enim in sola antiquitate versabitur magister et nihil pueris tradendum putabit quod in veterum libris scriptum non legerit, integritatis sermonis depulsa omni spe, aut non omnia recentioris latinitatis subsidia aspernabitur, sed paulo latius evagabitur atque ad pleniorem linguae latinae notitiam suos perducere studebit, etiamsi aliquid puritatis vel negligat vel prudens sciensque perdat, hac tamen lege ut ab antiquis exemplaribus longius ne discedatur.

Apud Americanos in iis scholis quae publica auctoritate reguntur, omnes latinae disciplinae moderatores in sola antiquitate rei latinae elaborant; non tamen eodem modo omnes agunt. Sunt enim qui aliquid magnificentius perficere studeant. Exemplum notabile est in schola Roffensi Neooboracensium illa Res Publica Romana. Videlicet liberae reipublicae Romanae tempora et mores redivivos proponere instituerunt. Consules creantur, senatus habetur, honores petuntur, de re publica disceptatur; omnia autem formulis carminibusque antiquitus usitatis peraguntur.

At cuius tandem doctrina huic rei par est? Ecquis nostrum mores et instituta veterum adeo cognita habet ut, summota quavis novitate, ea demum cogitare et effari sciat, quae nihil sapiant nisi antiquitatis intemeritatem, veritatem? Aliud sane erit in veterem Romanorum sermonem inquirere et veteres cogitandi et eloquendi figuras ad nostras res transferre atque accommodare: aliud Romani hominis mores induere atque Romane sentire, cogitare, imaginari! Hoc non est linguam latinam docere et ad litterarum studia pueros erudire, sed urbis historiam mere politicam scenice referre. Merito dubites ecquidnam in scientia usuque linguae latinae pueri proficiant. Plausus vero laudesque, quibus huiusmodi consilia ubique excipiuntur luce clarius ostendunt quantopere apud nos emendatiores atque utiliores docendi rationes desiderentur atque quaerantur. Sed haec hactenus.

(Continuabitur).

Chicagine, Nonis Maiis.

Theo. F. Chave.

PHILOSOPHICAE DISPUTATIONES

MODERNISTAM INTER ET THOMISTAM (1)

Actum voluntatis non pendere a sola apprehensione; sed a iudicio eodemque " practico ,, circa finem, et a discursu circa media statuitur.

Modernista. — Fateamur ergo cognitionem sensibilem prorsus imparem esse quae voluntatem ad actum moveat. Nec tamen inde quaestio ex integro enucleata et soluta videtur. Quum etenim vos, Aristotelis magistri vestri asseclae, in confesso teneatis non unam dari intellectus operationem seu cognitionem, sed praeter apprehensionem, alios actus eiusdem, compositionem seu iudicium nempe et discursum, asseratis, a te, egregie et carissime Thomista, rescire velim a quanam, te iudice, intellectus operatione pendeat voluntatis actus. Nisi quippe errem vehementer, nonnulli ex vobis a sola apprehensione, seu a sola rei prima idea, non kantistico, sed scholastico sensu habita et accepta, pendere faciunt; nonnulli autem a iudicio et discursu. Quid igitur de his tibi decernendum videtur?

Thomista. — Praedictos philosophos, qui actum voluntatis a sola rei apprehensione, in qua nec error nec falsitas insit, pendere sentiunt, a vero prorsus delirare strenue pronuntio.

Id tamen fatendum est, eosdem quandoque verbis potius quam re errare, siquidem illi in ipsamet apprehensione iudicium includunt, dum pronuntiant in ipsa apprehensione apparere rationem boni et mali, seu convenientis et non convenientis, dum nos e converso contendimus rationem boni et mali non haberi nisi ex aliquo iudicio, seu sententia circa convenientiam vel disconvenientiam rei quae prius ut ens simpliciter innotescit.

At vero longe distinctius perspicatiusque tenet Angelicus sententiam diversam, dum ita, nisi fallat memoria, pronuntiat, nempe imaginationem quae sine aliqua boni aut mali aestimatione sit, imparem remanere quae appetitum sensitivum moveat: haud secus intellectum, nisi practice addatur iudicium de bono vel malo, imparem esse qui voluntatem ad actum perducat. Cuius ratio ista est, potentiam non ferri nisi in proprium obiectum: obiectum vero voluntatis esse bonum cognitum, proindeque eamdem hanc non ferri nisi in bonum ut cognitum, seu in obiectum cognitum qua bonum et non solum qua ens: bonitas autem, seu convenientia non apparet per simplicem apprehensionem, sed ex aliquo iudicio de convenientia vel non convenientia explicite vel implicite.

M. — Nonne tamen tenent plures scholastici auctores voluntatem ferri posse in malum ut malum, proindeque eiusdem obiectum formale non esse bonum cognitum, atque vanam remanere fictionem de compositionis iudicio circa convenientiam habito?

T. — Fatendum est nonnullos, eosdemque tamen paucissimos doctores ita sensisse videri. At vero ipsorum sententia nonnisi ut absona et falsa habenda est.

Voluntas quippe non fertur in malum, nisi quia in bonum cognitum tendit, sicut non refugit morbum vel

(1) Cfr. an. xiii, n. iii.

penuriam, nisi quia prius et sanitatem et abundantiam novit ratio.

His adde solum Deum naturae auctorem esse, eumdemque Maximum Optimum, a quo proinde natura in malum inclinata procedere nequit, nisi Deum mali auctorem facias.

Denique repugnat omnino facultatem sibi nocumento ex natura esse, seu propriam ruinam aut malum suum ex natura intendere, quod tum experientia tum ratione quam facillime ostenditur et patet.

Voluntas igitur, etsi praedicta forsan analysis ubique et extemplo non appareat, non tendit nisi in id quod iudicio compositionis comprobatum est esse bonum.

Ubi autem quis re vel nomine philosophus contenderit mordicus per ipsam apprehensionem bonum proindeque malum dignosci posse, unde moveatur et voluntas in actum, advertat tamen simplici praedictae apprehensioni addi virtualiter iudicium compositionis aut divisionis, quo habetur ens esse vel conveniens vel disconveniens, seu bonum aut malum. Unde quadamtenus nobis consentire dicendus est.

Nullus ceterum unquam ex nostris tenuit iudicium illud esse necessario actuale aut formale, seu procedere hic et nunc ex aliqua discussione, etiamsi complexa forsan apprehendat. Haud secus Deus et Angeli simplici intellectus actu rationem convenientis aut disconvenientis habent, licet non sit pura simplicium apprehensio: ita et homo non componit necessario formali iudicio, dum etiam complexa percipit, quum, v. gr. vel intellectus perpicacia, vel praeteritarum apprehensionum revocata memoria, praesertim circa communissima et transcendentia, videt uno eodemque actu praedicatum subiecto vel convenire, vel secus non convenire.

M. — Sed tamen bruta animalia per simplicem apprehensionem ad appetendum moventur, quin tamen iudicium ferant, siquidem unum cum altero minime conferunt. Curnam et homo ex simplici apprehensione vel in obiectum tenderet, vel idem refugeret?

T. — Bruta sane iudicium proprii nominis nullimode ferunt, et hoc quidem demonstratur ratione a a te allata. Iudicium tamen imperfectum ferunt, siquidem non appetunt nisi id quod iudicant esse bonum, aut refugiunt nisi quod ipsis habetur ut malum.

M. — En igitur statuis ac profiteris voluntatem non moveri nisi obiecto quod bonum appareat et iudicetur. Quare ergo tenent doctores tui voluntatem non peccare primum nisi ex iudicio falso.

T. — Tenent sane doctores mei voluntatem non peccare nisi ex iudicio falso, quod tamen non sit iudicium primum. Imo id docent atque profitentur, scilicet voluntatem primo peccare non posse nisi amando bonum verum, utile vel delectabile, sed tamen absque ordine et mensura, unde enascitur error et iudicium falsum, non tamen primum.

M. — Quum tamen nullam inducas distinctionem finem inter et media, a te quaero utrum sententiam tuam teneas de fine eamdem et de mediis. Imo, nisi fallar vehementer, eadem sententia utrinque admittenda videtur.

T. — Imo diversitas non minima interest. Boni scilicet, et finis, qui cum bono idem est, amor adeo insitus homini est, ut iste simplici atque immediato iudicio proponat voluntati amandum et prosequendum, ut ex ipsismet terminis quandoque notum. Res vero secus circa media sese habet. Quum etenim in hisce particularibus multa appareant et incerta et dubia, sive in se, sive inter se, requiritur exinde consultatio, disquisitio, collatio, ut ex amore finis procedat rectus amor mediorum. De hisce igitur iudicium nonnisi per discursum fiet, seu per iudicium discursivum, atque dicendum erit non immerito mediatum, quum amor unius propter amorem alterius hic habeatur.

Quae diversitas, etsi modalis, sane a philosopho attendenda omnino est, eo imprimis quod etsi nullimode erretur circa finem seu bonum in communi, errari potest circa media, plus minusve vera aut solum apparentia. Amor finis seu boni in communi erit quasi maior propositio in syllogismo, quae universalior et clarior plerumque erit; amor autem medii seu boni particularis, tamquam propositio minor, circa quam maior et attentior cautela habenda cuique est, ne in fallaciam incidat.

M. — Quae omnia a te dicta difficultatem, fateor, vix patiuntur. Videtur ergo sufficere iudicium apprehensioni additum, quo voluntas quasi instructa, in actum proprium sponte processura sane erit.

T. — Si ita opinaris, carissime, errare vehementer potes. Iudicium requiri ex dictis perspicuum mihi videtur; nec tamen omne iudicium sufficere dicendum erit.

Iudicium quippe non unius indolis et naturae est: aliud siquidem speculativum erit, aliud practicum. Illud quidem res quasi in universali respicit, proportionemque finem inter et media investigatur et asserit, quin perducere in actum intendat; istud autem hic et nunc idem praestat, sed in particulari et circa quidpiam hic et nunc agendum.

Illud iudicium sufficere, saltem ad velleitates et fruitiones promovendas nonnulli asserunt, aliis, et quidem communissime, refragantibus. Cum hisce ultimis ego opinor.

Intellectus enim speculativus res in sua entitate considerat, sive res istae sint mere speculabiles nulloque modo factibiles, ut siquis consideret triangulum tres habere angulos duobus rectis aequales. Iudicium illud nihil vel appetendum vel fugiendum decernit, unde voluntatem neque movet neque movere per se potest.

Imo intellectus speculativus ea considerare potest, quae per se sunt vel amanda vel fugienda, sed tantum in universali et speculative, absque ullo ordine seu applicatione ad operandum, unde habetur et iudicium speculativum circa agibilia.

Merito igitur veteres philosophi distinguenbant inter iudicium speculativum ex obiecto, quod scilicet terminatur ad ens ut ens est prius bono, neque formaliter agibile, et iudicium speculativum ex modo cognoscendi obiectum, quod in se agibile est, neque tamen ut hic et nunc bonum et agibile, sicut si quis considerat Caesarem hisce aliisve mediis victoriam fuisse relaturum.

Cuiusmodi utrumque iudicium voluntatem non movet neque movere potest, quum non applicet ad agendum, quod solummodo iudicium practicum praestat. Utrumque enim iudicium obiectum ut ens considerat,

non autem ut bonum seu ut finem moventem ad agendum.

Unde rursus colligebant veteres in scientia mathematica conclusiones demonstrari solum per causam formalem, non autem per causam finalem aut agentem, eo quod illa terminetur ad ens, ut prius bono, seu quae agentem ad agendum exinde nullimode moveat, prout abstrahens ab appetibili, in quo ratio boni consistit. Bonum e contra est obiectum formaliter practicum movens ad operandum, vel saltem ad sui amorem et complacentiam.

E quibus eruitur hanc esse vel falsam vel sibi contrariam opinionem iuxta quam intellectus ex obiecto practicus movet voluntatem sive ad amorem sive ad velleitates seu ad fruitionem: falsa, inquam, erit, si supponatur apprehensionem boni esse speculativam; vel sibi contradicens, quia asserit voluntatem moveri posse ab eo quod non apprehenditur ut bonum, dum verbis secus tenet et asserit.

Quantum vero ad intellectum speculativum ex modo, qui operabilia quidem, sed in communi solum considerat, certum est ab ipso non moveri voluntatem, nisi ad particulare se se applicet...

M. — Sed, amice carissime, excusatum me habeas quod ulterius non procedat hodiedum oratio: siquidem multa iam enucleavimus, quae meditari et mente volvere intendo: unde supersedendum videtur, ut disputatio alias instauranda remaneat de quaestione hac iucundissima non minus quam maxime necessaria.

I. I. B.

GRUNVALDENSIS VICTORIAE LAUS [1]

O! cara mater nostra, Polonia,
Iam quina tu per saecula nobili
Ornaris et fulges corona,
Quam meruit tibi fausta pugna.

Semper virescit laurea vivida,
Serta ex Slavorum frondibus arboris,
Grunvaldus optatam salutem
Cui genuit peperitque certam.

Cuncti in Slavorum finibus, in quibus
Conglutinatur rem populus sciens,
Insigne cives extulerunt
Hoc opus et meritum Polonûm.

[1] Ladislaus Iagello ex recens tum baptizata stirpe Magnorum ducum Lithuaniae, iuvenili Polonorum regina Hedvige in matrimonium ducta, et ipse eorum rex factus, Crucigerorum ordinem mense Iulio an. MCCCCX apud Grunvaldum fregit. Huius victoriae centenariam commemorationem Poloni illo animi aestu celebrare parant, cuius specimen a carmine quod sequitur, a clarissimo socio nostro I. Wabner conflatum, offertur.

Heu! esset acta tunc misere, Slavi,
Sors quamque cunctos nunc premeret gravis,
Ingrata vis non fracta si esset
Alaque nigra vorasset albam!

Ut viperam, quam frigoris alta vis
Compescuit, vir quidam animo pio
Confovit et pro gratia illa
Vulnera perfida pectori dat,

Illi cohorti cum cruce pallii
Germanae et omni tum peregenae ope
Sedes Polonorum dedit dux
Auxilio hospitioque iunctas.

Ingrata serpens convaluit brevi
Et vulnerare saepius ausa iam
Viro truci mitem patronum
Constituit iugulare prorsus.

Si primus inter tunc populos Slavûm
Fraudi rapaci succubuisset, heu!
Nunc nec Polonos nec Slavûm ullos
In numero populorum haberes.

Ladislai vis regis et ars pia
Cavit peritque tunc cruciger latro,
Res unde iam crevit Polona
Gloria et est et erit Slavorum.

Caeli iuvabant; tuque Poloniae
Superne Tutor, magne Stanislae, [1]
E nube nostrates fovebas;
Inde Deo sit honor perennis.

Varsaviae Polonorum.

IOSEPHUS WABNER.

[1] Haec est populi Polonorum traditio atque rerum scriptorum, quam etiam ingens illa proelii Grunvaldensis tabula, a praestantissimo artifice I. Matejko picta et Cracoviae urbi dono data, imitata est.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Malo nodo malus quaerendus cuneus.

S. Hieronymus ad Oceanum: « Interim iuxta vulgare proverbium, malo arboris nodo malus cuneus requirendus est. » Adagio licebit uti, quoties malum simili malitia retundimus. — Sumptum a sectoribus roborum, qui, si quando durior in ligno nodus inciderit, nolunt in eo periclitari securim, verum cuneum quemquam durum magis quam bonum inserunt. Congruit huic illud Sophoclis apud

Plutarchum: « Remedio amaro bilem amaram diluunt ».

Cretensis mare.

(Subaudiendum « nescit » aut « metuit »). Hanc paroemiam refert atque exponit Strabo (*Geograph.* lib. 10) scribens olim Cretenses navigandi peritia rerumque maritimarum usum tenuisse; atque hinc antiquitus increbuisse proverbium: « Cretensis mare nescit » in eos qui nescire fingerent quod egregie callerent. Equidem qui consentaneum est Cretenses, quum sint insulares, ignorare, quo cinguntur undequaque? — Usus est adagio Aristides in Pericle; Zenodotus autem scribit apud Alcaeum exstare. — His affine est quod habet Horatius in epistola ad Octavium:

Ipse ego qui nullos me affirmo scribere versus,
Invenior Parthis mendacior.

Quod Parthi tum maxime pugnarent, quum fugam simularent.

Ululas Athenas mittere.

Convenit in stultos negotiatores, qui merces eo comportant, ubi per se magis abundant; at venustius ad res animi metaphora trasfertur, ut si quis doceat doctiorem, carmina mittat poetae, consilium det homini consultissimo. Aristophanes et Cicero paroemia usi sunt. Usurpavit quoque, imo eam exposuit Lucianus in *Epistola ad Nigrinum.* Porro paroemia inde fluxit, quod in Attica plurima est, ei regioni quasi peculiaris. Fertur autem versari in Laureo Atticae loco, ubi auri metalla sunt: unde et Laureoticae noctuae vocantur. Haec avis Atheniensium populo quondam erat gratissima, ac Minervae sacra habebatur propter oculos caesios, quibus etiam in tenebris perspicit, quae vulgus avium non videt. Unde et auspicata consiliis credebatur, id quod indicat proverbium: « Noctua volat ».

Dictum est et illud de Minerva, quod Atheniensium male consulta in bonum exitum verteret. Daemon autem apud Aristophanis interpretem existimat, non ob id solum dici « noctuas Athenas », quod Athenis noctuarum sit copia, sed quod in nummis etiam tum aureis, tum argenteis Atheniensium noctua inscalpi soleret, una cum facie Minervae. Proinde absurdum videbatur noctuam Athenas deportare, quum illic passim omnia noctuis abundarent. De huiusmodi numismate Atheniensium testatur et Plutarchus in vita Lysandri, quum de servo meminit, qui de domini sui furtum aenigmatice indicans, ait, multas sub tegulis cubare noctuas; ostendens illic abditas pecunias noctuis insignitas.

Principium dimidium totius.

Hoc adagio significatur, maximam difficultatis partem in aggrediendo negotio sitam esse. Hemistichium est Hesiodi, citante Luciano in Hermotimo. Refertur et ab Aristotele (*Politic., lib.* V). Plato (*De legibus,* VI) habet: « Nam in proverbiis quidem initium totius facti dimidium dicitur; atque illud nimirum recte cepisse, omnes undique laudibus ferimus. At istud, ut mihi quidem videtur, plus est quam dimidium. Nec quisquam hoc, ubi recte fit, satis pro merito laudarit ». Suidas haec ex Marino quondam refert: « Fuit autem nobis initium illud, non tantum initium, neque iuxta proverbium dimidium totius, sed ipsum in solidum totum ». Aristoteles item (*Moral.,* I): « Principium enim plus quam dimidium totius esse videtur ». Horatius (*Epist. ad-Pis.*): « Dimidium facti qui cepit habet; sapere aude ». Ausonius: « Incipe, dimidium facti est cepisse; supersit dimidium, rursum hoc incipe, et efficies ». Plutarchus denique in libello, cui titulus *Quo pacto sint audiendi poetae,* citat ex Sophocle carmen, quod latine sonat: « Negotii cuiusque, si bene ceperis, et finem item bonum fore, probabile est ».

Talaria induere.

Exstat apud Tullium proverbialis allegoria: « Talaria induere », pro eo quod est: « Fugam adornare » et quasi velle quopiam avolare. Sic enim scribit ad Atticum (*lib.* XIV): « Nemo est istorum, qui otium non timeat. Quare talaria induamus ». Sumptum ab Homero, qui Mercurium avolaturum aliquo frequenter adornat talaribus, cuiusque verba Vergilius interpretari visus est (*Aen.,* IV):

Et primum pedibus talaria nectit
Aurea, quae sublimem alis, sive aequora supra,
Seu terram rapido pariter cum flamine portant.

Itaque « talaria induere » dicemus eos qui parant aufugere. Nam hoc ipsum « avolare » et « revolare » apud Ciceronem pro « fugere » et « redire » frequens est.

Qui sis, non unde natus sis, reputa.

LIV., XLI.

AD GOLGOTHAM

Sacra actio dramatica I. B. FRANCESIA versibus senariis conscripta

(Cfr. num. IV).

SCENA VI. (Teterrimus error).

Iidem praeter IUDAM et BARBAAL

NIC. (*oculis prosecutus Iudam*) Traxistis ipsum falso vos a [latere,
Eum vobis magis reddidistis improbum.
PONT. M. Ut Iesus ipse Nazarenus loqueris.
NIC. Eius verba accepi: Ei sum discipulus.
PONT. M. Ei credidisti? tu? Et sapiens diceris?
NIC. Equid?
PONT. M. Non equidem nos: legum qui sumus
Depositarii! Quas tu si perlegas
Videbis vatem Galileae genitum.
OMNES. Haud ipse Christus expectatus omnibus.
PONT. M. Sic! Ipse carus semper peccatoribus.
Est ausus quicum dulces cibos sumere,
Sanare aegrotos veneficiis sabato.
Eius discipuli pollunnt sabatum,
Diebus nec servant datis ieiunium.
Eum si diutius sinebas vivere,
Brevi universum pervertisset populum.
Quo facto Caiphas dixit rectissime:
Mori pro populo hunc necessarium,
Ne moreretur cuncta forte natio.
NIC. (*gravis*) Non ipse vates: dedit vaticinium,
Locutus est ipse vatum sententias,
Putans suas idem proferre in medium.
Si Moysi creditis, nunc verba accipite.
Enim hunc fusius posteris tradidit,
Quot in deserto mira fecit arido,
Eius redundant clarum in testimonium.
Venisse a Patre profitentur genitum
Quot coram nostris multa fecit opera!
Ut Pater mortuos ad vitam revocat,
Ut Pater gerit, dicitur qui Filius
Dei: semper Ipsius sed discipuli
Non ieiunant! Cur? si sunt ipsis in nuptiis!
Enim cum sponso versantur! Ieiunii
Erit dies eis, sponsus cum discesserit.
Eum vos in crucem vultis nunc trudere,
Ut auferatis populi de medio...
Trahet sed omnes si exaltatus fuerit.
PONT. M. Sed ipsa nos docet lex Christum vivere
Æternum: quomodo Christus hic nobis erit,
Iste si tollendus de terris est homo?
NIC. Refulsit lux vobis, renuistis eam.
PHAR. Apage istud a nobis iugum quo premimur!
OMNES. Nobis et ferocis Romae dominatio.
PHAR. En quod sumendum sibi munus erat.
Apage a nobis haec turba, quae non Israel
Vetusta denuo potentia populo
Erat danda, ipsum regem nam reddiderat.
OMNES. Ut tandem gentis qui deleret maculam,
Infert quam a saeculo Romana servitus.
PONT. Erant de templo propellendi barbari!
OMNES. Hi, recte, modo profani, hi procul impii.
PONT. (*omnes voce superans*) Recte iudicatis.
NIC. Prodivit veritas
Ab ore vestro sacerdotes integra.
Hi prorsus Templi sunt osores perfidi!
Adest nam turba festis nostris maxima
E gentibus cunctis, excepto Israel!
Quid nobis restat? demeris si ingenium?
Erat quod Israel in primis proprium?
Heic immundae Gomorrhae est occasio,
Ibique Sparta, Marsilia, Capua,
Unitis odiis blasphemant Iehova.
Deum scelestis improbantes orgiis:
Hic est cum gentibus dilectus populus.
OMNES. (*excepto Nicodemo*) Huic auxilium nec Ipse contulit.
NIC. (*in omnes*) O caeca gens! Et amens! Ergo vos creditis
Ad hoc venisse ut excitaret mortuos,
Patrum potentiam, vatum praesagia?
Ut seculorum quae praecedunt series,
Hoc prae se ferrent prodigium dummodo,
Ut haec ab imis instauretur civitas?
Oh sinite mortui sepeliant mortuos,
Servos qui dominis comparavit suis,
Decus qui foeminae sanavit pristinum,
Omnes nos strinxit vinculo sororio,
Ab uno patre docuit nos genitos,
Dei ipse Filius! Haud redemit Israel?
Omnes suum gentes caput de sordibus
Levabunt, primum lenis cum diffunditur
Eius doctrina: venit Ipse gentibus...
Tulit quae praecepta cunctis pro populis.
Nec gravis potius vel Hebraeis commoda,
Ad omnes ipsa proferuntur proflua,
Prius quae possent Israel convertere.
PHAR. Erit Messias descendat si de cruce!
OMNES. Modo potentia sua se liberet...
NIC. Eos excaecavit Deus ne videant,
Nec corde, intelligant. (*introgrediens*) Sic salvi re- [deant!

(*Haec novissima verba dissipantur. Rumor gentium adproximat, et Pontifex Max. aliique procedunt*).

PHAR. (*descendens e colle*) In summo trepidae sistunt iam [Golgotha
Turbae, et Nazarenum praecingunt languidum.
PONT. Eamus hinc intro. (*euntes*)
PHAR. Ne quid prodigii... (*intro*)
OMNES. Modo si advenerit... Credemus tunc ei. (*intro*)

SCENA VII. (Tentatio).

IUDAS, TURBAE *suo tempore*, BARBAAL.

(*Rumor eo crevit, ut complures voces exaudiantur, primum inconditae, distinctae postea. Hebraei, varia aetate et conditione introgrediuntur sinistrorsum, dextrorsum, montem adscendunt, simul concitato modo colloquentes. Voces fiunt paullatim distinctae atque elatae. Clamores atque convicia adgrediuntur Iudam, qui intrat maxime furore agitatus, territus, turbatus. Turbae irrumpunt in scenam eiulantes et minitantes*) Ehu! malum sit tibi! ehu malum, proditor! (*Pergunt haec dicere donec longe sint a cavea et montem ascendant. Voces fiunt interea indistinctae donec rumor fit inconditus, et tandem evanescit. Iudas se se abscondit terrificus in sinistram partem ante spectatores. Cessant voces et Hebraeorum transitus. Iudas se se erigit, et circumspiciens sic loquitur:*)

Et ipsi, et ipsi proditorem me vocant!
Solus cur proditor prae cunctis nominor?

Minus cur ipsi nunc proditores erunt?
In lege scribitur Christus plectendus neci...
Fui quidem magni vir ego consilii,
Quod ipse statuit sapienter Deus.
Ubi ergo crimen? In me? Quomodo initium?
Enim quod criminor? Fui discipulus!
Eius sed verba me turbarunt minime.
Quid istuc criminis? Sin moverunt pectora?
Scrutor meas cordis et mentis latebras,
Nullius invenio me culpae conscium,
Mihi sed ipsa mens recte crimen tribuit...
Fuit si forte consilium nequius
Et opus, solus cur reus monstror digito?
Modo scrutor mentis fibras et pectoris,
Nec omnis criminis gravat nunc onere.
Tamen flagitiis sponsor nunc videor.
Quis ergo proditor, ni mens adstitisset mea?
Forte alter! Esse sed tunc volui probe!
Fuisset alter. Cunctis sed intentio
Erat; sumpsisset mortis qui consilium?
Ego et fui! Cudendum uni flagitium,
Et incidit vox illa in me nequissima
Omnis, quae populo per orbem murmurat,
Reum mortis et ipse videor mihi.

BARB. (*progreditur pone Iudam*)
Unus tu vilis!

IUD. (*conversus ad eum*) Tu?

BARB. Vilis vir utique!
Sed una mors solvat tui culpam criminis.
Potes sic veniam sperare a populis,
Honorem potius! Tempus nam venerit,
Quo tu istoc pessimo colaris crimine,
Tibi graves et gentes videbunt *bovem*,
Feret qui te suis ovantem cornibus.
Nunc solve debitum tua crimen nece.
(*Exauditur procul murmur gentium*)

IUD. Nece? (*humeros vertens Barbaal et stans*)

BARB. Istoc modo!

IUD. Fortassis...

BARB. Ehu! Dedecus! (*separantur aliquantulum. Iudas stans cogitat. Per aërem exauditur mallei ictus in trabe clavum configentis. Sint ictus lentiores longioresque*).

SCENA VIII. (Crucifixio).

NICODEMUS, *mox* NAASSON *anxius*, ARAAM, IOSEPHUS, SALOM, *aliique*.

NIC. (*introgrediens oculis inspicit ad laevam partem, atque auribus auscultat. Iudas angitur*)
Silentium! Audite! (*perdolens*)
Nec ipsum funibus
Ligant, sed clavis ferreis confodiunt,
Velut trabem super trabe! (*omnes intuentur pleni terroris, et alii alia dicunt*)
O Iudas, accipis?
Nec in te cuncta vertuntur haec verbera?
Cruor qui sanctus defluit de manibus,
De lassis manibus non oculos territat? (*Eum manibus rapit tenetque ad laevam partem, ut vel invitus videat*)

NAAS., ARAAM, SALOM (*humeris eum obstringentes*)
Illuc intuendum! Modo sic inspicies
Tuis quod scelestis patrasti manibus.

NIC. En frontem candidam, ut Libani verticem,
Cruorem vide qui salus nobis erit,
Tibi sed dedecus! Nullus in posterum
In terris vixerit, qui nomen audeat
Tuum referre infandum cunctis saeculis. (*Eum sinunt abire*)

IUDAS. (*humi oculis defixus ad laevam progreditur. Ipse totis artubus contremiscit. Mallei ictus haud cessant*)

NAAS. (*montem ascendens*) Adest mulier!

ARAAM. (*eum sequens*) Multae prosequuntur simul.
(*Ioseph ascendit, Nicodemus Salomi loquitur: alii transeuntes ipsis se comites addunt*)

NAAS. Sed illa ceteris nititur quae perdolens?

NIC. (*et ipse ascendens*) Mater.

OMN. Mater!

IOSEPH. Martyr et ipsa perfluens
Cruore et lacrimis.

OMN. Mater!

IUD. (*Nicodemus redit*) Usque horreo!
Quot ictus lacerant pectus! Ehu sufficit!

NIC. Miser, tu verberas, tu clavos iniicis!
Ehu curre, clama, malleum vos cedite!
Ego adsum qui recte nominor ipse carnifex!
Eiusque mensae tu sedisti, et lateri,
Fuisti, fratrem te vocabat saepius...
Vidisti, fecit quae portenta plurima...
Suisque adesse veritatem labiis.
Amorem magnum foverat in populum,
Et hunc tu, perfide, tradidisti in necem.
Vah! apage a nobis, vah! proditor! (*introgreditur*)

OMN. Vah, proditor! (*exeunt*).

SCENA IX. (Horrendum facinus).

IUDAS et BARBAAL.

IUD. (*nimio terrore perculsus*)
Et ipsi! et ipsi! Idem semper in me proferunt.
Cur tu venisti? Cur te cognovi? Melius
Erat mihi lucem si vidissem nullibi,
Si quis me extinxisset ab annis teneris!
Malum mihi!

BARB. (*paullo ante se se appropinquaverat*)
Vivis, aurasque captas adhuc?

IUD. (*vertens se se*) Et ipse!

BARB. Ab ipsis habitus nuper superbius,
Queis servisti servitutem commode,
Tuis a sociis expunctus turpiter,
In odium cunctis...

IUD. Haec a te tolero?
Mihi tu suggeris? Proh pudor maximum!

BARB. Receptus tibi nullus, nec in aedibus
Nec in silvis! Vix ipsa tellus sustinet.
Te sequitur terror, te praecedit, circuit,
Perussit frontem proditoris ferculum.
Hic quisquis perleget tuum flagitium:
Siccatur herba, pestilenti spiritu
Aër afflatur, geris quo vestigium.
Tuo nam diffluit sanguis e crimine.
Et sanguis veniam dat ullam nuspiam.

IUD. (*stat haerens miser terrore percitus, mox se se recipit, et tremens manibus apprehendit Barbaal, eumque fixis oculis intuens exclamat.*)
Malum! Quis es? faris mihi qui huiusmodi?

BARB. (*se se rudis extricat, caputque detegens ait*)
Inspice me, stulte! Me non novisse dixeris!


IUD. (*eum agnoscens exclamat*)
Tu tenebrarum spiritus, tu perfide? (*Fugit apprehendens cingulum, quem circa latera gerit, collumque torquet, currens ad dexteram partem posteriori loco. Fit obscurum*).

(*Ad proximum numerum*).

LONDINENSIA MONUMENTA

Eduardi VII, Anglorum regis, obitus et iusta eius funebria Londini immenso cum civium concursu persoluta, nonnullorum monumentorum mentionem renovarunt, quae sub oculis lectorum ponere nonnullisque verbis illustrare non absonum ab opportunitate duximus.

Buckingham palatium est, quod de more Anglorum reges inhabitant; ibi quoque extremum spiritum edidit Eduardus, cuius cadaver in regiam aulam a throno appellatam, ditissimam ferme omnibusque admirandam, translatum primum est, exteris regibus, principibus, legatisque invisendum.



" Throni aula ,, in palatio Buckingham, Londini.

Quum vero civibus omnibus facultas suae pietatis officia defuncto regi persolvendi data est, a regia domo longe, in aula quadam popularium oratorum aedibus adnexa, Eduardi corpus in feretro compositum iacebat. Sunt huiusmodi aedes ad Tamesim flumen per nongentos et quadraginta pedes productae, quarum gothicae architecturae tenorem splendidiorem ornamenta reddunt ubique effusa, columnae, statuae, insculpti lapides, turres; quarum praecipua, ad meridiem versus, Victoriae nomine distincta, in altitudinem trecentos et quadraginta pedes tollitur; solum autem septuaginta conquadratos pedes occupat. Aedium diaetae centenae numerantur; mesaulae inter se coniunctae chilometrorum plurium summam conficiunt.

Windsorii, denique, castrum, in quo regis exuviae compositae ad ultimum sunt, una vix itineris hora Londino distat. Guilelmus, cui triumphatoris cognomen, condidit; quum autem qui sequuti sunt reges aliquid aedificio addiderint, immutaverint, instauraverint, atque interdum etiam egregiis operibus ditaverint, id factum est, quod invisentes non artis delectamenta ab eo essent detracturi, verum etiam historiae magnam eruditionem. Turris et hîc miranda potissime, mole ingenti, forma rotunda, in circuitu per centum sese volvens metra, in altitudinem ad octoginta erecta. Verum, ut pleraque mediae illius ferreae aetatis tristia oppida, tristia multa parietes enarrant. Iacobus I, deinde Scotorum rex, duodeviginti annos captivus inibi mansit, et reges Anglorum plurimi in eius caveis reconditi sunt, inter quos Henricus VIII, Carolus I et Carolina regalis generis foemina, cuius sarcophagus mira arte praelucet. Hosce vita nuper functus rex, inter lacrimas subditorum, — quos tam late per orbem sunt diffusi, ut iure meritoque dicatur id esse Anglicum imperium, apud quod sol occidat nunquam, — est sequutus, aeternam resurrectionem exspectaturus.

ARRAE GORGONIAE

« *Vox Urbis* » *commentarii appendicem, vid. in pag. 96.*

EX BATAVIA

De certamine poetico Hoeufftiano

Accepimus, et libenter edimus:

Prid. Id. Mart. huius anni MCMX in consessu Ordinis litterarii iudices de XXXIX carminibus ad se missis hunc in modum rettulerunt.

Septemdecim carmina nimis exilia visa sunt statimque seposita, quae gradatim enumerabimus: *Aeneas, Fraternitas generis humani, Laus Humanismi, Ad discipulum adulescentem, Prima aetas generis humani, Pater Patriae, Balmesiana lux, Ad Podotrochum, Beatitudo, Omnia celeriter fluunt,* Novem carminum *Sylloge, De Quaestione sociali, In obitu Iosue Carduccii epicedion, Carmina nuptialia, Vis mentis, Rusticatio, Brembus.*

Sequuntur novem carmina, quae propter formam laude non carebant, nec tamen digna visa sunt quae ederentur. Fuerunt haec: *Aëris dominatio, Scylla et Charybdis, Vallis Mariana, Sacellum ad Tres Spicas, Messanae terrae motus, Sancta Oda, Messana terrae motu funditus eversa, Terrae motus ad fretum Siculum, Fine orbis appropinquante.*

His longe praestabant sex carmina: *California, Operariorum seditio, In simiae amatores, Helena, Vera fraternitas, Non est mea neptis mortua.* Haec tamen carmina obscurantur insigni praestantia septem carminum, quae iam sola restant.

Ex his praemio dignissimum est pulcherrimum carmen, quo egregius poeta eximie cecinit *Pomponiam Graecinam.* Huic aureum praemium tribuimus, et aperta schedula apparuit nomen poetae: Ioannis Pascoli Bononiensis.

Itidem digna visa sunt quae prelo subicerentur sex carmina, quorum agmen ducit *Oasis*, cuius auctorem se professus est Eduardus San Giovanni Brooklyniensis; deinceps *Cervisia* Alexandri Zappatae in urbe Ancona, *Ecloga Zanclaea* quam cecinit Vincentius Ussani Panhormitanus, *De Siciliae et Calabriae excidio* et *Comoedia,* quorum auctores nobis nondum innotuerunt; denique *De agrorum cultura fovenda ad Italos,* quod misit Alfonsus Casoli Venetianus. Haec igitur carmina propediem Legati Hoeufftiani sumptibus edentur, quatenus poetae schedulam aperiendi veniam tunc dederint.

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina latina non ex alio sermone versa nec prius edita argumentive privati nec quinquaginta versibus breviora nitide et ignota iudicibus manu scripta, sumptu suo ante Kal. Ianuarias proximi anni MCMXI mittant *Hermanno Thomae Karsten,* ordinis litterarii Academiae Ab-actis, munita sententia, item inscribenda schedulae obsignatae, quae nomen et domicilium poetae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poetae in transcribendo portabile prelum Britannicum (*typewriter*) adhibere velint.



Popularium oratorum aedes, Londini.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur eique subiungentur alia laude ornata, quando schedulae aperiendae venia dabitur.

Exitus certaminis in consessu Ordinis mense Martio pronuntiabitur (1); quo facto schedulae carminibus non probatis additae Vulcano tradentur.

P. D. Chantepie de la Saussaye.
Ordinis Praeside.

Amstelodami.

(1) Vulgabitur in diariis Italicis: *Gazzetta ufficiale del Regno, Bollettino ufficiale, Tribuna, Vox Urbis, La Nazione.*

ACTA PONTIFICIA

Constitutione Apostolica *Apostolicae Romanorum Pontificum sollicitudinis* d. d. xv mens. Aprilis mcmx, firmo manente iure constituto de optione et nominatione Patrum Cardinalium ad suburbicarias dioeceses, iisdem Suffraganei Episcopi adiiciuntur, hisce legum capitibus positis:

I. Cardinalis, ad Sedem suburbicariam promotus, ipse verus est Episcopus dioecesis, cuius possessionem inibit eadem ratione qua ceteri episcopi residentiam habentes.

II. Disciplina quae huc usque viguit ut Emis. Episcopis Sabinensi et Veliterno adiutor daretur suffraganeus Episcopus, ad omnes extenditur Cardinales Suburbicarios, quibus idcirco singulis suus erit in posterum suffraganeus Episcopus cum sede titulari.



Windsorii castrum, ad Londinum.

III. Suffraganeus a Summo Pontifice nominabitur et sui officii possessionem capiet, litteras nominationis exhibendo Episcopo Cardinali.

IV. Cardinalis Suffraganeo adtribuat, et vi praesentis Constitutionis irrevocabiliter adtribuisse praesumitur, omnia ad regendam dioecesim necessaria, ita ut uni Suffraganeo sint in dioecesi gubernanda eadem iura et officia ac Episcopo residenti, quae hisce litteris contraria non sint.

V. Suffraganeus dioecesim gubernat nomine et vice Cardinalis.

VI. Cardinali vita functo, vel renuntiante, vel ad aliam dioecesim translato, Suffraganei iurisdictio non cessat, sed ipse dioecesim tunc regit nomine Sanctae Sedis ad instar Administratoris Apostolici.

VII. Ipse debet quotannis de statu dioecesis etiam oeconomico ad Cardinalem referre.

VIII. Ubi fieri poterit, pars aedium episcopalium a Sancta Sede destinabitur Suffraganeo et Curiae.

IX. Ad unum Cardinalem pertinent solemnes oleorum benedictiones et pontificalia in festis anni maioribus, prout in *Caeremoniali episcoporum* descripta sunt; nisi forte Cardinalis ipse velit ea Suffraganeo committere.

X. Cardinalis debet Missam, sicut ceteri episcopi residentes, pro populo applicare.

XI. Insigne tantum Cardinalis domui episcopali, cathedrali aedi, aliisque templis, piisve de more locis et actis Curiae apponatur.

XII. Solium in dioecesi et nomen in canone Cardinali uni competit.

XIII. Cardinalis, etiam absens, facultate pollet per universam dioecesim largiendae indulgentiae dierum biscentum.

XIV. Uni Cardinali, quo tempore in dioecesi commoratur, ius est pontificalia in eadem peragendi aut permittendi.

XV. Beneficia Capitulorum sive cathedralium sive collegialium et beneficia parochialia Sanctae Sedi non reservata, nequeunt a Suffraganeo, servatis servandis, conferri absque Episcopi Cardinalis consensu.

XVI. Cardinalis ius est vigilandi dioecesim, et, si opportunum duxerit, etiam lustrandi, ne quid fides aut ecclesiastica disciplina detrimenti patiatur.

XVII. Potest in sua dioecesi Cardinalis matrimoniis assistere et reliqua sacramenta ministrare omnia. Candidati tamen ad tonsuram et ad ordines doctrinae periculo subiiciantur et probentur a Suffraganeo; cui ceterum non licet ordines conferre, aut conferendos alii committere absque venia Cardinalis.

XVIII. Synodus haberi nequit sine consensu Cardinalis; eiusque nomine convocanda est. Synodi autem decreta antequam promulgentur, Cardinali cognoscenda deferantur, eiusque nomine promulgari debent.

XIX. Beneficia etiam parochialia in dioecesi ne uniantur, dividantur, dismembrentur, inaudito Cardinali.

XX. Idem Cardinalis audiri debet, antequam Seminarii rector, professores, oeconomus nominentur.

XXI. Vita functo Suffraganeo, vel renuntiante, vel ad aliam dioecesim translato, Cardinalis per vicarium dioecesis administrationi providebit, donec a Sancta Sede nominetur successor.

XXII. Vita functo Cardinali eadem debentur iusta funebria quae Cardinali Episcopo residenti.

Motu proprio SSmi. d. d. x mens. Aprilis mcmx, confirmatur consociatio S. Cordis Iesu, Romae, ad

Scholam Piam, atque « Aula Pia » concreditur custodiae et curae Sodalium Marianorum a Misericordia, quibus cura et gubernatio Scholae Piae demandata est et praefata Consociatio iuvenum curanda, regenda administrandaque in perpetuum traditur.

Per APOSTOLICAS LITTERAS d. d. VI mens. Aprilis MCMX Sodalitium sub titulo « Missae Reparatricis » in Archisodalitatem pro universa Helvetia erigitur, cum facultate aggregandi et cum communicatione indulgentiarum.

— Item, sub die V mens. Iulii MCMIX (edit. d. XV mens. Maii MCMX), Capellanis Basilicae Lapurdensis, dioecesis Tarbiensis, insignia choralia conceduntur.

— Item, sub die IX mens. Aprilis MCMX, Consociationi Sacerdotum in honorem SS. Cordis Iesu conceduntur plenariae et partiales indulgentiae in perpetuum.

— Item, sub die XIII mens. Aprilis MCMX, Ecclesia parochialis pagi vulgo *Bonsecours*, dioecesis Tornacensis, titulo Basilicae Minoris decoratur.

Die XXVI mens. Maii MCMX LITTERAE ENCYCLICAE vulgantur ob sollemnem Caroli Borromei commemorationem, ante annos CCC a sa. me. Paulo PP. V in Sanctorum album relati (1).

(1) Spatio hodie deficiente, de ipsis fusius in proximo numero referemus.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Consistoriali.

De competentia concedendi facultatem celebrandi tres Missas Nativitatis Domini in sacellis publicis et ecclesiis.

Proposito dubio « utrum post Constit. *Sapienti Consilio* spectet ad S. Congr. de disciplina Sacramentorum concedere facultatem legendi tres Missas Nativitatis Domini, noctu, in sacellis pubblicis et Ecclesiis, quae ad hoc privilegio apostolico indigent, cum distributione SSmae Eucharistiae; an potius hoc tribuendum sit Sacrorum Rituum Congregationi », Emi. Patres sacrae Congregationi Consistoriali praepositi, re mature considerata, respondendum censuerunt: « Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». (Ex decr. d. XIV mens. Martii MCMX).

Ex Congregatione de Religiosis.

Declaratio et extensio decreti « Quum minoris » diei XV *mens. Iunii* MCMIX *editi.* (1)

Quum in aliquibus Congregationibus et Institutis Religiosis non habeatur professio votorum perpetuorum, sed tantum vel temporalium, vel etiam merum iuramentum perseverantiae, aut peculiares quaedam promissiones, quibus alumni, peracta probatione, Instituto vel Congregationi ligantur; et quum decretum S. C. de Religiosis d. d. XV mens. Iunii MCMIX, quo nonnullae praescribuntur clausulae, rescriptis saecularizationis perpetuae vel temporaneae ac dispensationis votorum inserendae, expresse respiciat sacerdotes et clericos, in sacris constitutos, qui professionem votorum perpetuorum emiserunt; hinc dubium exortum est, utrum eisdem clausulis servandis teneantur sacerdotes et clerici in sacris constituti, qui non quidem professionem votorum perpetuorum, sed vel temporalium tantum, vel iuramentum perseverantiae, vel peculiares quasdam promissiones, ad normam suarum Constitutionum ediderant et ab eisdem dispensationem obtineant. — *Resp. est:* Affirmative, si Religiosi votis temporaneis, vel iuramento perseverantiae vel supradictis promissionibus per sex integros annos ligati fuerint. (Ex decr. d. V mens. Apr. MCMX).

(1) Cfr. *Vox Urbis* an. XII, n. IX, pag. 139.

Ex Congregatione Rituum.

Monita ad editores librorum liturgicorum.

I. In rubricis Generalibus Breviarii Romani tit. IX, n. 6, post Festum Nativitatis B. M. V. inseri debet *Septem Dolorum, Dominica tertia Septembris.*

II. In parte hyemali Breviarii Romani in festo S. Thomae Aquinatis, die 7 Martii, ubi legitur: « *Lectio IX, de Homilia, etc.* », substituantur verba: « *In Quadragesima, Lectio IX, de Homilia et comm. Feriae* ».

III. In Rubrica Breviarii et Diurnalis quae invenitur die XVI Septembris in festo SS. Cornelii et Cypriani Mm. et quae incipit: « *Si festum SS. Cornelii et Cypriani occurrerit Dominica, etc.,* » et concluditur *in I Vesp. et Laud. tantum,* verba *I Vesp. et* deleantur.

IV. In Missali Romano, tum in Festo SS. VII Fundatorum, tum in Missa *Intret* de Communi plurim. Mart, 1 loco, ad Graduale legendum: « *in generationem et generationem* », prouti legitur in textu S. Scripturae, Eccl. LXIV, 14.

V. In Rituali Romano, Benedictio novae Campanae, quae ad usum Ecclesiae, sive Sacelli, inserviat, adprobata per Decretum S. R. C. 22 Ianuarii 1908, ponatur inter benedictiones reservatas in appendice, ante benedictionem simplicem novae Campanae, quae tamen ad usum Ecclesiae non inservit, nuper reformatam.

VI. Item in Rituali Romano, Benedictio Officinae Librariae et machinae Typographicae nuper adprobata Decreto 12 Maii 1909, inseratur inter benedictiones non reservatas, in appendice, ante benedictionem domus Scholaris noviter erectae. — (Ex decr. d. IX mens. Mart. MCMX).

Ex Congregatione de Sacramentis.

Circa praesumptionem de morte coniugis post cladem a terraemotu editam Messanen. et Rheginen.

— Expendendi sunt ab Ordinario casus particulares iuxta Instructionem « Matrimonii vinculo » a S. C. Sancti Officii datam an. MDCCCLXVIII. — (Ex decr. Messanen. seu Rheginen. d. XII mens. Martii MCMX). (1)

(1) Instructio de qua agitur refertur cum ipso decreto apud *Acta Apostolicae Sedis* an. II, n. 5.

Ex Commissione de Re Biblica.

De auctoribus et de tempore compositionis psalmorum.

I. Utrum appellationes *Psalmi David, Hymni David, Liber psalmorum David, Psalterium Davidicum,* in antiquis collectionibus et in Conciliis ipsis usurpatae ad designandum Veteris Testamenti librum CL psalmorum; sicut etiam plurium Patrum et Doctorum sententia, qui tenuerunt omnes prorsus Psalterii psalmos uni David esse adscribendos, tantam vim habeant, ut Psalterii totius unicus auctor David haberi debeat? — *Resp.* Negative.

II. Utrum ex concordantia textus hebraici cum graeco textu alexandrino aliisque vetustis versionibus argui iure possit, titulos psalmorum hebraico textui praefixos antiquiores esse versione sic dicta LXX virorum; ac proinde si non directe ab auctoribus ipsis psalmorum, a vetusta saltem iudaica traditione derivasse? — *Resp.* Affirmative.

III. Utrum praedicti psalmorum tituli, iudaicae traditionis testes, quando nulla ratio gravis est contra eorum genuinitatem, prudenter possint in dubium revocari? — *Resp.* Negative.

IV. Utrum, si considerentur Sacrae Scripturae haud infrequentia testimonia circa naturalem Davidis peritiam, Spiritus Sancti charismate illustratam in componendis carminibus religiosis, institutiones ab ipso conditae de cantu psalmorum liturgico, attributiones psalmorum ipsi factae tum in Veteri Testamento, tum in Novo, tum in ipsis inscriptionibus, quae psalmis ab antiquo praefixae sunt; insuper consensus Iudaeorum, Patrum et Doctorum Ecclesiae, prudenter denegari possit praecipuum Psalterii carminum Davidem esse auctorem, vel contra affirmari pauca dumtaxat eidem regio Psalti carmina esse tribuenda? — *Resp.* Negative ad utramque partem.

V. Utrum in specie denegari possit davidica origo eorum psalmorum, qui in Veteri vel Novo Testamento diserte sub Davidis nomine citantur, inter quos prae ceteris recensendi veniunt psalmus II *Quare fremuerunt gentes;* ps. XV *Conserva me, Domine;* ps. XVII *Diligam te, Domine, fortitudo mea;* ps. XXXI *Beati quorum remissae sunt iniquitates;* ps. LXVIII *Salvum me fac, Deus;* ps. CIX *Dixit Dominus Domino meo?* — *Resp.* Negative.

VI. Utrum sententia eorum admitti possit, qui tenent, inter psalterii psalmos nonnullos esse sive Davidis sive aliorum auctorum, qui propter rationes liturgicas et musicales, oscitantiam amanuensium aliasve incompertas causas in plures fuerint divisi vel in unum coniuncti; itemque alios esse psalmos, uti *Miserere mei, Deus*, qui ut melius aptarentur circumstantiis historicis vel solemnitatibus populi iudaici, leviter fuerint retractati vel modificati, subtractione aut additione unius alteriusve versiculi, salva tamen totius textus sacri inspiratione? — *Resp.* Affirmative ad utramque partem.

VII Utrum sententia eorum inter recentiores scriptorum, qui indiciis dumtaxat internis innixi vel minus recta sacri textus interpretatione demonstrare conati sunt non paucos esse psalmos post tempora Esdrae et Nehemiae, quinimo aevo Machabaeorum, compositos, probabiliter sustineri possit? — *Resp.* Negative.

VIII. Utrum ex multiplici sacrorum Librorum Novi Testamenti testimonio et unanimi Patrum consensu, fatentibus etiam iudaicae gentis scriptoribus, plures agnoscendi sint psalmi prophetici et messianici, qui futuri liberatoris adventum, regnum, sacerdotium, passionem, mortem et resurrectionem vaticinati sunt; ac proinde reiicienda prorsus eorum sententia sit, qui indolem psalmorum propheticam ac messianicam pervertentes, eadem de Christo oracula ad futuram tantum sortem populi electi praenuntiandam coarctant? — *Resp.* Affirmative ad utramque partem.

Die autem 1 Maii 1910, in audientia utrique Rmo Consultori ab actis benigne concessa, Sanctissimus praedicta responsa rata habuit ac publici iuris fieri mandavit.

FULCRANUS VIGOUROUX P. S. S.
LAURENTIUS IANSSENS O. S. B.
Consultores ab actis.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Maio MCMX).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: De Salm-Salm princeps foemina eiusque liberi; Salviati, Urbanus Dux; Lancellotti, Urbanus princeps; De Mérode comitissa; Teutonum manus in Americis residentium Romam peregre profectorum; Romanus coetus Societatis mulierum catholicarum in Italia; Subalpinorum peregrinorum manus; Anna, Borussiae princeps foemina, una cum Vincke dynastis; Paula e ducum Meklemburgensium familia; Olga e Comitibus Mocenigo; De Gramer Klett dynasta; Nicolaus Szécsen de Temerin, Comes, Austrorum Hungarorumque legatus apud Apostolicam Sedem; De Peralta doctor, Costaricensis civitatis ad minister cum omni potestate apud Apostolicam Sedem; Ioannes Borghese, Urbanus princeps.

Pontificiae electiones.

Ioannes Bernardus Mac Ginley, e dioecesi Philadelphiensi, episcopus ecclesiae cathedralis de Càceres; Vincentius Kluczynski, e dioecesi Vilnensi, archiepiscopus Mohiloviensis; Augustinus Losinski, canonicus poenitentiarius metropolitanae ecclesiae Mohiloviensis, episcopus Kielcensis; Marianus Rys, parochus loci Wierzbica, episcopus Sandomiriensis; Longinus Zarnowiecki, rector academiae ecclesiasticae Petropolitanae, episcopus tit. Mosynopolitanus et in suffraganeum episcopo Luceoriensi et Zytomeriensi deputatus; Timotheus Corbet, rector cathedr. eccl. Duluthensis, episcopus Crookstoniensis; Vincentius Vehrle O. S. B. episcopus Bismarckiensis; Iosephus Petrelli, a secretis Delegationis Apostolicae in Philippinis insulis, episcopus Lipensis; Paulus Singzon, vicarius generalis episcopi Cebuani, episcopus Calbayoganus; Ioannes Arturus Chollet, doctor in athenaeo Insulano, episcopus Virdunensis; Adolphus Manier, vicarius generalis episcopi Augustodunensis, episcopus Bellicensis; Petrus Chatelus, in civitate Lugdunensi parochus,

episcopus Nivernensis; Emmanuel Virgilio, vicarius generalis episcopi Venusini, episcopus Oleastrensis; Gabriel Vettori, paroehus in civitate Florentina, episcopus Tiburtinus; Iosephus Gross, decanus Falkenariensis, episcopus Litomericensis; Thomas Valeri O. F. M. archiepiscopus Brundusinus cum perpetua administratione episcopalis sedis Ostunensis, creantur.

— Excmi. viri Ioannes Baptista Gorordo, episcopus tit. Nilopolitan., ad cathedralem ecclesiam Caebuanam; Gaspar Felicianus Cyrtowt, episcopus tit. Castorien., ad ecclesiam cathedralem Samogitiensem; Antonius Karas, episcopus tit. Dorylens., ad cathedralem ecclesiam Augustoviensem; Bernardus Pizzorno, episcopus tit. Comanen., ad ecclesiam metropolitanam Turritanam cum administratione dioecesum Ampuriensis et Templensis; Pacificus Fiorani, episcopus tit. Charystien., ad cathedrales ecelesias unitas Cornetanam et Centumcellarum; Arthurus Marchi, episcopus Regien. in Aemilia, ad metropolitanam ecclesiam Lucanam transferuntur.

— Excmi. viri Salvator Scanu, episcopus S. Marci et Bisiniani, in Administratorem Apostolicum dioecesis Cassanensis ad nutum S. Sedis durante sedis vacatione; et Apollonius Maggio, episcopus tit. Lystren., in Administratorem Apostolicum dioecesis Asculanae in Piceno deputantur.

— Excmi. viri Iosephus Altenweisel, episcopus Brixinen., et Iosephus Doubrava, episcopus Reginae-Gradacen., inter episcopos Pontificio solio adstantes referuntur.

— Inter « Consultores » S. C. de disciplina Sacramentorum adnumerantur Fridericus Fofi, Canonicus Regularis Lateranensis; Ioannes Willemsens, in Lovaniensi athenaeo quondam doctor; Placidus Angelus Rey Lemos O. F. M.; Carolus Maria Iosephus Lotter, e Congne. SS. Redemptoris; Arthurus Curotte, dogmaticae doctor in Seminario Romano; Iosephus Civra Ord. Serv. B. M. V.

ANNALES

Eduardi VII, Anglorum regis, obitus.

Qui Eduardum VII regem, imperatorem, quum matri succedens Transvaaliano bello finem imposuit, « Principem pacis » ex hisce paginis ominantes salutavimus, iisdem verbis nunc ei vita egresso extremum vale cum omnibus gentibus dicimus. Cui vero civili laudi aliae multae accesserunt: non enim facile virum inveneris, qui immenso imperio praepositus legibus, institutis, moribus multiplici, tam aequo animi sensu sese gesserit, ut populorum omnium sibi subiectorum studium in se maximum excitaverit; quinimo et Europaearum ipsarum nationum universum atque perpetuum consensum erga se conciliare valuerit. Non igitur mirum quod ad eius funera tot reges et principes undique convenerint, quot nemo antea vidit unquam, luctusque Anglorum cuiusque ordinis in omnem formam concesserit.

Eduardo Georgius filius, huius nominis ordine V^us^, quinque supra quadraginta annos natus, sufficitur, non levi quidem in discrimine; omnibus enim constat apud Anglos inter popularium legatorum coetum legibus ferendis et nobilium curiam dissensiones agitari, quae non facile explanari posse videntur. Fas igitur nobis vota expromere, novum regem, virum gravem atque prudentia praeditum, eundemque politicae arti sub patris magisterio insuetum, concordiam illam brevi restituturum, sine qua — meminerint Angli — res, licet maximae, dilabuntur.

***

Albanensis seditio,

Quamquam Turcarum gubernium iterum iterumque nunciaverit Albanensium seditionem omnino esse domitam, re quidem vera ignis minime restinctus apparet. Ut enim praetereamus Arnautarum victorias in Vetere Serbia habitas contra Chefket Torgut Pacha, atque frustra per Albanensium coetus legibus ferendis legatos tentatam discriminis compositionem, certum id est, discessum cum magnis copiis ad pugnandum ipsius bellicae rei administri, qui si Turcarum armorum sortes ad meliora vertit, non tamen definitivam, si dicere licet, sententiam, pronunciare valuit adhuc, omnibus persuasisse, ad seditionem delendam aut quadraginta hominum millibus saltem opus esse, aut ad negociationes esse recurrendum, compromisso sanctas, quibus Albanenses de controversiis placentur, quae huiusce rebellionis causa fuere.

***

Cretensis quaestio.

Cretensis etiam quaestio plus minusve acris perdurat. Populares enim Christiani legati non solum in iureiurando Georgio, Graecorum regi, publice proferendo perstiterunt, sed convicia in Turcas iecerunt, hos impedire conati quominus protestationes suas contra iuramentum idem emitterent. Turcae itaque ad nationes insulae tutelam habentes provocarunt, quae Fabii illius cunctatoris agendi rationem non oblitae, hinc inde politicis armis nunc etiam luserunt. Interim coetus sessiones intermissae, voxque manavit, novum ut antea procuratorem sive praefectum Creta in insula iri constitutum.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia** novo regi fidelitatis iuramento praestito, coetus sessiones ad incertam diam dilatae.

In **Austria** de vectigalibus reformandis disceptatur.

In **Belgica** nova comitia ad publicorum oratorum certum numerum renovandum, non obstantibus summis adversariorum conatibus, catholicae parti favorabilia adhuc evaserunt.

In **Dania** administrorum collegio, cui Zahle praeerat, a munere abdicanti, novum suffectum, praeside Neergardt.

In **Gallia** habitis novorum totius publici coetus legatorum electionibus Combesii factio ad minimum redacta.

In **Germania** publici totius nationis coetus sessiones usque ad Novembrem mensem suspensae.

In **Hispania** nova comitia gubernio, cui Canalejas praeest, faverunt, tum « conservatorum » tum « separatistarum » partibus late imminutis.

In **Italia** maritimae conventiones ad tempus adprobatae.

In **Russia** leges ad Finnoniae libertatem infirmandam acriter producuntur.

PER ORBEM

Die I mens. Maii MCMX per orbem universum « laboris festum » pacifice agitur.

— d. IV Carthago urbs, in Americana regione Costarica, terrae motu vastatur.

— d. VIII Victoria Aganoor, Italorum poetria insignis, iuvenis adhuc fato concedit. Eius maritus, Guido Pompili, Perusinae civitatis legatus apud coetum legibus ferendis, iamque alter ab administro exterarum rerum, dolore victus miseram sibi mortem ad uxoris cadaver conciscit.

Mediolani obit Hieronymus Rovetta, fabularum Milesiarum ac dramatum scriptor late celebratus. Natus erat Brixiae an. MDCCCL.

— d. X Romae, senectute confectus, supremum diem explet Stanislaus Canizzaro, inter primos chemicae artis doctores totius orbis iure habitus.

— d. XII carbonis fodinae ad Anglicum oppidum White Haven incenduntur. Cunicularii centum et nonaginta igni heu! absumuntur.

— d. XIII, Lugduni, Gallicus aviator Michelin cum aëronavi sua in terram praecipitat, ac moritur.

— d. XV Peary, arctici poli detector, felix iter suum ad septemtriones Romae coram Italiae rege ac regina enarrat.

— d. XVI Florentiae vita fungitur Fidelis Romani, litterarum cultor valde apud Italos probabilis.

— d. XX Londini iusta funebria Eduardo VII Anglorum regi vita functo sollemniter persolvuntur.

— d. XXII Iulius Renard, Gallicus Milesiarum fabularum scriptor, Lutetiae Parisiorum a vivis cedit.

— d. XXV « Turcarum invenum » legatio Italiam eiusque instituta fabricasque praecipua visitans, Romam advenit.

— d. XXVI subaqueus Gallorum linter, cui *Pluviose* nomen, cum militibus omnibus a pyroscapho quodam in Britannico fretu sibi incurrente submergitur.

— d. XXVIII Badensi in urbe Robertus Koch doctor, cuius nomen ob singularem bacteriologicae disciplinae peritiam multum in omnibus locis erat, ab hominibus demigrat.

— d. XXX Budapestini lethali morbo LXI vitae suae anno conficitur Colomannus Mikszath, Hungarorum scriptorum nostrae aetatis facile princeps.

LIBRORUM RECENSIO

BRUNO ALBERS, Benedettino Cassinese. — *Manuale di propedeutica storica.* — Romae edid. Pustet, 1910.

Quum omnes scientiae, tum historicae disciplinae ultimis lustris elapsis, ex quo Leo Pp. XIII memorabili illa Encyclica « Saepenumero » d. d. XVIII mens. Augusti MDCCCLXXXIII, uberrimos bibliothecae Vaticanae et archivi Pontificii thesauros aperuit et omnes ubique terrarum doctos ad eos effodiendos et publicandos invitavit, mirum in modum florere coeperunt. Quare certe nemo inconveniens et supervacaneum putabit, quod homines litterati et investigatores diligentissimi etiam aliis hos thesauros aperiunt atque viam et rationem scientiae historicae ostendunt, qua studiosi procedentes, artem recte investigandi, bene discernendi et dilucide disserendi de gestis et factis praeteritorum temporum discant. Quod qui docet opus utilissimum praestiterit. Hoc auctorem libri supra memorati fecisse, nemo negabit, qui eundem attente legerit. Ibi enim inveniet optima praecepta de tractandis et disquirendis fontibus; clare et breviter in summa capita palaeographiae, epigraphiae, chronologiae et diplomaticae inducitur, nec de heraldica, sphragistica et numismatica notiones necessariae desunt. Quod si quid adhuc est in votis, fas sit illud innuere. Nos enim desideramus, ut id etiam demonstretur, quomodo singula facta et fata, per heuristicam seu investigationem inventa, per criticam rite discreta et selecta, ad lapillorum instar et tessellarum in opere musivo, in narratione historica artificiose componantur et disponantur, ut et legentes instruantur simul et delectentur. Quod optime paucis praeceptis et regulis et aliquibus exemplis appositis facile fieri potest; et, uti speramus, in secunda editione fiet. Tunc illud Horatii de hoc libello valebit: *Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.*

I. B. PIGHI. — *Institutiones Historiae Ecclesiasticae.* (Vol. III). — Edid. Veronae Cinquetti, 1910.

Non pauci sunt liberalibus artibus eruditi, qui doleant, quod latina lingua nostris diebus non sicut olim in cunctis disciplinis tradendis adhibeatur. Lingua enim Tullii et Livii forte et suave vinculum erat, quo homines culti in universa doctorum republica uniebantur et singulorum opera et labores per totum orbem divulgabantur. Nunc temporis vero vel optimi scriptores vix

ultra suae patriae fines leguntur, nisi forte eorum libri per versiones aliis aliarum linguarum nationibus accessibiles fiant. Quod quidem rarius et non sine magna temporis, laboris et pecuniae iactura evenit.

Hanc unionem animorum disciplinae theologicae usque ad nostra tempora servarunt et servant, ita ut libri latini de ipsis tractantes quandam universalis Ecclesiae imaginem repraesentent.

Ex illis disciplinis forsan historia ecclesiastica propterea maiori obnoxia est difficultati, quod ad res gestas, imprimis recentiores enarrandas, atque ad notiones et ad moderna cogitata exprimenda saepissime vocabulis novis et sententiis a Tullio non adhibitis opus est. Quis propterea iure auctorem vituperet, dummodo, quantum fieri potest, clare, subtiliter eleganterque rem disserat et exponat?

Quae modo exposuimus, in « manuali » quod supra indicavimus, bene observata sunt. Dictio latina omnino clare et facile fluit, neque etiam humanistarum modo sermonis figuris et flosculis narratio obruitur et obnubilatur, quin modesto ornatu careat. Quod quivis librum perlegens primo quasi adspectu videbit.

Illud etiam nemo negabit res gestas generatim sine ira et studio expositas esse, et, remota omni iniusta benevolentia vel malevolentia, neutri parti plerumque favendo, ita ut quivis veritatis amans fidelem Ecclesiae tum antiquorum, tum recentiorum temporum imaginem et conspectum ex eo acquirat.

Ut quaedam capita, quae sunt maioris momenti altius infigantur, singulis periodis disputationes adduntur aptissimae ad exercenda studiosorum ingenia; inter quas disputatio de S. Petri adventu et episcopatu Romano, de lapsu Marcellini et Liberii, de causa Vigilii et Honorii, de Bonifatio VIII, de Urbano VI et deschismate occidentali optime exaratae videntur.

Nihilominus facere non possumus, quin quaedam minus probemus, imo, ut aequi iudicis est, aperte vituperemus. Ita auctor noster aliquando nimis conatur id excusare, quod reprobandum est. Ut exemplis utamur, vitia in personis ecclesiasticis interdum, si non velantur et reticentur, tamen non satis apparent, aut etiam nimis minuuntur et excusantur.

Atqui omnia quae obici et opponi possunt, et ab adversariis etiam obiciuntur, in scholis non silentio transeunda, sed examinanda, et quae sunt reprehensibilia, non velanda, non excusanda, imo vero ingenue arguenda esse puto; secus adversariis arma contra nos paramus. Memores simus in agro Ecclesiae usque ad diem messis triticum cum zizaniis esse permixtum, et defectibus humanis, quae sunt in Ecclesia, nunquam eius divinam indolem affici et obnubilari posse.

Quod ad disputationes attinet, nos illas passim abbreviandas censemus (ex. gr. de Societate Iesu eiusque suppressione 42 paginae, de Gregorio VII, 28 p.), et nonnisi unam alteramve per singula puncta fusius minutim explicandam, ceteras tantum per summa capita exponendas, ut et magister habeat, quod addat et amplificet, et discipuli quod profundius examinent et elucubrent.

Illud vero vel in primis vituperandum videtur, quod materiae tam variae diversis temporibus, semper eodem modo per centurias tractantur et iisdem septem capitibus dividuntur, quae sunt haec: 1. Romani Pontifices. — 2. Fidei christianae propagatio. — 3. Vita interior Ecclesiae. — 4. Haereses et schismata. — 5. Concilia. — 6. Scriptores rei ecclesiasticae. — 7. Adiuncta externa Ecclesiae (historia politica). Qua partitione evitari non potest, quin languenter et taediose sermo procedat, ut materiae connexae violenter et monstruose discerpantur et separentur, ut quaedam facta diversis in locis iterentur et iniucunde repetantur, aliae res non suo loco tractentur (ut controversiae thomistarum et molinistarum inter haereses et schismata). Quamquam haec divisio illis qui sine magistris, ut autodidactae, discunt, forsitan aliquid commodi praestat, tamen in schola et magistro et alumnis plus difficultatis et damni affert. Et quamvis pro sua quisque indole in docendo aliter procedat, tamen nemo ignorat, quam diversa sint singula tempora, ut minime semper eodem centum annorum spatio circumscribi et eisdem capitibus comprehendi possint. Experientia magistra docet, quanta commoda et subsidia ad discendum bona dispositio afferat, ut res graviores suo loco ob oculos positae altius animis infigantur et tenacius memoria teneantur.

Hoc modo (si, quod valde exopto, editio altera emendabitur) fore opinor, ut hic liber multis ex partibus egregius, tam interna virtute quam elegantia externa magis commendetur et probetur.

P. F. S.

AENIGMATA

I.

Coquum diu voco. coquus vocantem me
Coquit; inde coctum devorat, coquit rursus.

II.

Urbes, rura, pagos habitat, sub lege tenetur.
Procerum et glaucum flumina lambit amans.

F. X. B.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

THOMAE VALLAURI
DE RE EPIGRAPHICA
ACROASIS

Aenigmata an. XIII, n. III proposita his respondent:

1) **Num - en** ; 2) **Monumentum**

Ea rite soluta miserunt:

I. M. Meunier, *Corbiniaco.* — Call. Amalberti, *Albio Intemelio.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — Nic. Lagumina, *Panormo.* — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio.* — Petrus Tergestinus. — F. X. N., *Drepano.* — Alb. Catteau, *Lugduno.* — A. Tonelli, *Mediolano.* — F. Correa, *Emerita.* — A. Bounin, *Aureliano.* — Alb. Kain; Aut. Whiteside, *Dublino.*

Sortitus est praemium:

ALBERTUS KAIN,

ad quem missum est opus, cui titulus:

ALOISII CLASII LUSUS PASTORALES.
(Latine vertit IOANNES BATTANI).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina *Societatis Romanae Editricis.*

ARRAE GORGONIAE (5

(Cfr. num. sup.)

Longa vero ad pontem ducta est mora, quum vix singulos equos latitudo eius pateretur. Equorum agmen, quasi transversa flumini facularum tenia vel ignitus anguis in oppositam ripam descendebat. Equites, qui ultimi venerant, constiterunt: id enim legatus praeceperat, quem non latebat quam iniquum inter oppositos montes iter hiaret. Haec fuerat causa qua equites Germanos praemittendos curaverat.

Sed Atilius quae circum strepebant aut fiebant, non aliter quam si prodigia conspiceret, vanis oculis demirabatur. Absens enim animus per remotas toto caelo oras volitabat. Turbabant mentem amoris memoriae, cruciatus, desperatio. Quid iam boni ei reliquum in futura vita erat? Nonne, tertio iam anno, inter Martis ludos absumpto, una virginis imago, una recordatio veluti fastigium alta mente repositum steterat? Eccur nam Cypria Dea sibi admodum iuveni, vixque pubescentibus genis, lectissimam mulieris formam obtulerat? Heu quam praesens adhuc infaustae diei memoria! Primo adhuc vere Parilia in Vestiniis celebrabantur. Rusticans ipse in fundo paterno buccinae voce sequutus ad montanum compitum pastorales ludos spectatum ascenderat. Iamque cogebantur in iugis reduces hiemalibus ex pascuis greges, albescens undique sub nigris ilicibus multitudo. Stabat compitum ad fontem, ligneum templum vetustate et fumo obfuscum, rudibus fultum saxis, araque rustica petris congesta. Gemini Larae nymphae nati ligneo pariter simulacro bifrontem faciem, sub compiti tecto, atque caprinum rictum ostentabant.

At feriatae diei purissimum ipsa Pales caelum obduxerat. Vestini pastores compitum, positum ab atavis, quercuum frondibus vestiverant, aram verbenis obvelaverant, fractos vomeres, ligones, bidentes, iuga, quae multa usque ab aetate ex columnis voto pendebant, floribus contexerant, foeni et stipularum acervum in prato congesserant.

Tunc inter greges late albescentes, inter rusticam pastorum multitudinem satyrorum more hispidis indutam villis, chorus puellarum ima ex valle exauditus, lenis primum, mox paullatim auctus. Extemplo canentes inter nemus apparuerunt; canephorae binae, diuturna pompa, albis stolis succinctae, verbenis et rosis praecinctae procedebant. In primo agmine quae gradiebantur sacrificales afferebant agnellos, ex opimis selectos, roseo ore balantes, quasi de imminenti neque merita clade ingemerent. Reliquae tepentis adhuc lactis vasa, casei metas, candida arietum spolia, pascuorum primitias Deae litandas gestabant.

Virgineae supplicationi obviam maturarunt iuvenes, quumque propius occurrisset Atilius, repente, quasi portentum conspexisset, restitit. Auricoma puella, rosis coronata, manibus sustentans agnum, mortalium ad ferias nympha an dea descenderat? Numne ipsa lucifera Aglaia germanas Charites dereliquerat, ut sacris adesset? At quum, conversis repente oculis, proximum iuvenem virgo adspexisset, gelu quodam mortis rigescere sibi sanguinem ille credidit vitamque penitus restingui. Tunc fabula, quam olim ludis in Orphicis peragi viderat, in mentem ei rediit, seseque gorgonio ipso fascino, quod et Mercurium alipedem numen vicerat, obligari credidit. Nullius enim mulieris flavi crines tam vivo auro quam Medusae Phorci filiae refulsissent, nullius oculi tanto splendore valuissent, nisi certe Medusae virginis, cui fatale erat Palladis donum, ut uno obtutu adstantes in lapidem converteret.

Pompa ad compitum stetit: arvalia carmina agrestis avenae modo duplici ritu ingeminata, multum effusum in aram lac, mactati innocentes agnelli, eorum sanguine verbenae adspersae, quorum ex adustis visceribus ad Palem deam propitiandam niger fumus adscendit. Pastores, puellae, pueri agrestibus cibis circum epulabantur, at nil laetum amplius volebat, nil dulce cogitabat Atilius, quam flavam intueri virginem, aut momentum, quo daretur eam adloqui, toto animo auspicari.

Obstabat enim sacrorum ritus, ne ante occasum alienae rei cura haberetur. Tandem vero, quum vespere facto. acervus foeni incensus est, flammaque fumusque nitidum aer vibrarunt, structo agmine alius post alium transilire rogum pastores coeperunt.

Tunc crepitantem circa stipulam choreae consertae ab omnibus, tuncque puellam incerto quidem gressu ac trepido animo iuvenis adiit. Quibus eam vocibus adloquutus est?... Profecto nec ipse novit satis, nec deinceps recordatus est unquam. Paullatim vero, aucto animo, nomen pandit, sciscitavit ab ea quaenam esset; novumque amorem, qualem iam sentiret, non tam labiis aperuit, quam oculis. Domitia erat Lucii Afranii filia, quae lustrum tertium vix supergressa, cum patre in Vestinis rusticabatur. A villicis rogata, ut sacra die pompae adesset, ad compitum ascenderat inscia se Atilii fato decretoriam horam parare...

IV.

Haec dum Atilius repetit, transierant omnes pedites flumen, atque in adversam ripam appulsi iter medias per silvas ingrediebantur. Intactae enim a saeculis densissimae arbores abruptos undique montes ita vestiebant, ut properantes sub illis cimmerias noctis tenebras se ingredi crederent. Exercitum in Arduennam silvam ad Quintilium Varium iuxta imperata accurrentem hians invitabat inter iuga via, angusta tamen et detorta, quam fauces rectius dixeris. Imminebant hinc inde iniquissimo loco praerupti scopuli silvis hirti ac dumetis, quercubus, ilicibus per impervia latera atque per vertices coronati. Mox eae fauces, post peditum omnes cohortes, equorum alas, superato ponte, ultimo ordine hauserunt.

(Ad proximum numerum).

I. A. Costaggini.

Ann. XIII. ROMAE, Mense Iulio MCMX Num. VII.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

"SACRAE THEOLOGIAE DIVISIONES (1)"

Praeter divisionem sacrae Theologiae iam recensitam, in Theologiam videlicet *Scholasticam* ac *Positivam,* novae Theologiae divisiones adnumerantur, uti sunt Theologia *Patristica, Biblica, Historica, Apologetica, Pastoralis.* Harum s. Theologiae divisionum *Notiones* modo tradantur, atque ex *Notionibus* hisce veritates nonnullas praeclaro illi documento Pii X « Pascendi » consonas, educere postea licebit.

***

Per Theologiam *Patristicam* vel intelligitur « Complexus dogmatum sacrorum ex mente sententiaque Patrum, inde ut cognoscatur, quo pacto veritas religionis christianae conservata semper sit in ecclesia ac propagata » (2); vel Theologia *Patristica,* et ipsa Patrologia, quae de scriptoribus unice agunt qui « Patres » appellantur ita comparandae sunt, ut Patrologia vitis Patrum det operam, scripta eorum recenseat, eorumdem librorum authenticitatem discutiat, ac de diversis *Operum* editionibus sermonem faciat, aliis verbis *exteriora Operum* Patrum principaliter consideret; Patristica vero Patrum doctrinas exponat atque examinet, earumdemque doctrinarum thesauros prodat. Animadvertendum tamen est cum ipso Bardenhewer (3) vocabulum « Patristica » hucusque in sensu « Patrologiae » adhibitum fuisse, et si quando « Patristica » et « Patrologia » separantur, disciplinas intime ad invicem connexas esse.

Theologia *Biblica* - inquit P. Prat, (4) - sectio quaedam Theologiae Positivae est. Cum duo dentur revelationis divinae fontes, Scriptura nempe et Traditio, Theologia *Biblica* solummodo Scriptura utitur, atque eiusdem scopus est: Scientiae exegeticae labores colligere, iuxtaponere, comparare, eisque proprium locum in revelationis historia assignare, atque Theologiae *Scholasticae* basim securam idoneamque materiam praebere.

Uno verbo, Theologia *Biblica* fructus exegeseos simulque Scholasticae germen vocari potest. Theologia haec in Theologiam biblicam Novi Testamenti ac Veteris Testamenti dividitur, prouti Veteri vel Novo Testamento operam impendit. (1)

***

Placuit quibusdam distinctionem facere inter tria haec, *Historiam dogmatum, Historiam Theologiae, Theologiam historicam.* Obiectum *Historiae dogmatum* consistit in exponendis laboribus intellectus circa primitiva revelationis documenta, quibus laboribus mediantibus, documenta illa perfectius possidentur, illuminantur, foecundantur, evolvuntur atque in scientificum harmonicumque systema coordinantur. Obiectum *Historiae Theologiae* reponendum est, tum in expositione progressus doctrinarum quae ab Ecclesia receptae ac definitae sunt, tum in expositione originis ac progressus systematum necnon sententiarum quae speciales et propriae Theologis fuerunt. (2)

Obiectum denique *Theologiae historicae* est demonstrare *a)* quomodo doctrinae christianae quae actualiter retinentur, solido nitantur fundamento; *b)* quomodo praesentium fides cum fide apostolica colligetur, quomodo christiani aetatis nostrae discipulorum Iesu Christi haeredes legitimi sint.

(1) Cfr. *Vox Urbis* mens. Febr. MCMX p. 20.
(2) BARDENHEWER. *Patrologie Einleitung.*
(3) TIXERONT. *Histoire des dogmes* — La Théol. Anténicéenne. Intr. p. 4.
(4) *Théologie de S. Paul* Intr. I.

(1) Cfr. *Revue des sciences Philos. et Théol.* Janvier 1907 n. 1 p. 130-33. Ibi sequentia habentur, I. *Matière et objet de la Théologie biblique.* II. *La place de la Théologie dans l'organisme de la Théologie.* III. *L'objet de la Théologie biblique distingué de celui de l'histoire d'Israël et de celui de l'Archéologie biblique...* IV. *Sources.*
(2) TIXERONT, l. c.

Ab hisce notionibus dissentit P. Jacquin O. P. (1), pro quo, denominationes « *Historia doctrinarum, Historia Theologiae, Theologia Positiva* » a scriptoribus confuse adhibentur, imo eo fine, *ut Opera* sub historiae specie, atque solius historiae eademque methodo scripta, novo titulo donentur. « *Historiae dogmatum* » denominatio, Protestantismum sapit, aequivocatione laborat, nimium restringitur; dum denominatio « *Historia Theologiae* » illam historiae partem indicat, cuius scopus est, phases successivas laboris scientifici circa Christianismi doctrinas effecti sive ante, sive post dogmaticas definitiones, exponere.

Denique, expressiones « *Theologia Positiva, Theologia Historica* » quia eamdem prae se ferunt significationem, inter se conveniunt, nisi datis *(résultats)* criticae theologicae primam denominationem tribuere velimus, secundam vero synthesis effectui. (2)

In hac opinionum varietate, tria haec, *Theologiam historicam, biblicam,* atque *patristicam,* ita inter se comparare libet. a) *Theologiae historicae* munus est ostendere quo tempore, quomodo, quibus in circumstantiis, per quos adversarios, quosve defensores, dogma aliquod Ecclesiae explicite vel implicite revelatum maiorem lucem claritatemque accepit. b) *Theologiae biblicae* munus est, ope philologiae, criticae necnon historiae auxilio, textus tum ex Novo, tum ex Veteri Testamento Theologo praebere, qui textus veritates catholicas reapse probant. c) *Theologiae patristicae* tandem munus est, Patrum testimonia per sanam criticam examinare, eaque eligere ac theologo tradere, quae veritatibus catholicis reapse favent.

***

Apologistae recentiores dissentiunt circa « *Theologiae Apologeticae* » notionem, ita ut dicatur vel « Ars defendendi christianam religionem contra eius adversarios », vel « Scientifica defensio Christianismi per argumenta in quibus Christianismus fundatur », vel « Demonstratio et defensio religionis christianae », vel « Pars Theologiae quae de iustificatione necnon fidei christianae defensione scientifice agit ». (3) *Theologia Apologetica* - ait P. Gardeil (4) - est doctrina supernaturalis in suo principio non secus ac *Scholastica Theologia,* eius tamen scopus apologeticus est, theologia supernaturalis extensione fit apologetica. Est quaedam Theologiae pars contra fidei adversarios arguens. *Positiva* dicitur, si revelationis thesauros manifestet, *polemica, defensiva, negativa* vocatur si contra suos adversarios Christianismum defendat.

Animadvertenda est cum Professore Kühn (1), differentia inter Apologiam et Apologeticam. Proprium *Apologiae* est ostendere quam rationabiles atque in veritate fundatae sint tum doctrinae tum institutiones christianae quae ab incredulis impugnantur; *Apologeticae* vero proprium est, Christianismi veritates scientifice defendere, vel argumenta tum veritati religionis christianae, tum veritati Ecclesiae faventia systematice exponere, ad utrasque defendendas; ita ut Apologetica sit: « Scientia theologica » et praecise: » Scientia Apologiae Christianismi ».

Remanet *Theologia Pastoralis,* quae nonnisi instructio quaedam scientifica est, ad munus pastorale catholicum per animarum ministros sub Spiritus Sancti influxu exercendum, ad Dei gloriam necnon ad hominum sanctificationem. Vel est: « Pars quaedam Theologiae illius: quae « practica » dicitur, connexa tamen cum principalioribus disciplinis, sive disciplinae sint historicae, sive ad Theologiam systematicam pertineant». Vel est: « Scientia muneris pastoralis in Ecclesia circa animas exercendi ad imaginem boni pastoris, qui est Christus Iesus ». (2)

***

Ex notionibus traditis, necnon ex muneribus Theologiae tum *Scholasticae* tum *Positivae* tributis deducere licet:

a) errare Theologos, qui dum Theologiam *Positivam* nimium extollunt, Theologiam *Scholasticam* spernunt. Siquidem, prouti Angelicus animadvertit (3), « si nudis auctoritatibus magister quaestionem determinet, certificabitur quidem auditor, *quod ita est,* sed nihil scientiae vel intellectus acquiret, sed vacuus abscedet ». Praeterea utraque pars, *Positiva* nempe ac *Scholastica* Theologiae aequali modo necessaria est, si verae scientiae naturam sibi vindicat. Ambae enim simul coniunctae mutuo se adiuvant, mutuoque se complent atque perficiunt, dum e contra ad invicem separatae, non parvi momenti inconvenientiis viam adaperiunt. Divisio Theologiae in positivam et scholasticam - inquit ad rem Bainvel (4) - etsi possit esse utilis practice, non tamen ita urgenda est ut separari utraque possit. Minus autem probari potest divisio in scholasticam et criticam, quippe quae falsum conceptum importet. Scholastica est fides quaerens intellectum.

b) Errare Theologos, qui dum Theologiam *Scholasticam* nimium extollunt, Theologiam *Positivam* spernunt. Theologiae enim Scholasticae affirmationes absque Theologiae *Positivae* documentis solido non nituntur

(1) *Revue des sciences philosophiques* etc. Janvier 1907 p. 99. In nota legimus « L'essai tenté par le savant auteur (Tixeront), de trouver un objet determiné pour chacun d'eux, laisse place encore à des incertitudes à des équivoques. Lui-même n'y échappe peut-être pas dès la première page de son livre, qui porte comme titre « *Histoire des dogmes* » et en sous-titre « *Théologie anténiceenne* ». Mgr. Batiffol intitule ses travaux historiques, *Études d'histoire et de Théologie positive* (Cfr. *Bulletin de Littérature historique.* Juin 1906 p. p. 170-171); et d'autres, (Shedd, Fischer, Bethune-Baker) parlent d'*Histoire de la doctrine chrétienne (History of christian doctrine).*

(2) Cfr. Lemonnyer - *Revue du Clergé français,* 1903.

(3) Vacant. Dictionnaire p. 1511.

(4) *La Crédibilitè et l'Apologétique* l. 3 ch. 3, in nota, et chap. 3.

(1) *Encyklopedie und Methodologie der Theologie* II, Theil II *Abschn.*, 1. kap. Apologetik.

(2) Cfr. Kühn l. c. I. *Pastoraltheologie Schück Handbuch der Pastoral Theologie, Allgem. Einleitung* §. 3.

(3) *Quodl.* 4, 18.

(4) *De Magisterio vivo* etc. c. 4 de scientia fidei et theologia 171. Bellamy, l. c. c. VIII.

fundamento atque arbitrariae videri possunt. Non immerito M. Canus (1) hosce theologos « ascriptitios » vocat, cum « universas quaestiones theologicas frivolis argumentis absolverint » deque eorum libris ait: « Et cum in his sacrorum Bibliorum testimonia rarissima sint, conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis sanctis oleant, nihil ne ex gravi philosophia quidem, sed fere ex puerilibus disciplinis; scholastici tamen, si superis placet, vocantur, nec scholastici sunt, nedum Theologi, qui sophismatum feces in scholam inferentes, et ad risum viros doctos incitant, et delicatiores ad contemptum ».

c) Theologiam Scholasticam ac Positivam mutuo foedere consociandas esse; proprium siquidem Theologiae *Scholasticae* est in Theologia *Positiva* fundari, atque ex Theologiae *Positivae* documentis veritates theologicas deducere, deductasque rationis momentis confirmare. Scholastici Theologi meminerint « ea quae in sacris literis et Apostolorum traditionibus abdita continentur, ea in lucem quasi e tenebris » Scholasticam eruere. Colligit - inquit Canus (2) - Theologus ex principiis fidei a Deo revelatis conclusiones suas, atque in principiis ipsis implicitas per argumentationem naturae consentaneam explicat ».

Audiatur Pius Papa X in Epistola sua « *Pascendi* » die 8 Sept. 1907, ita Episcopos atque Archiepiscopos Ecclesiae alloquens: « Eos etiam dignos videri, qui incolumi reverentia erga Traditionem et Patres et ecclesiasticum magisterium, sapienti iudicio catholicisque usi normis (quod non aeque omnibus accidit) theologiam positivam, mutuato a veri nominis historia lumine, collustrare studeant. Maior profecto quam antehac positivae theologiae ratio est habenda: id tamen sic fiat, ut nihil scholastica detrimenti capiat, iique reprehendantur, utpote qui modernistarum rem gerunt, quicumque positivam sic extollunt ut scholasticam Theologiam despicere videantur ». (3)

d) Deceptos esse *Modernistas*, qui dum inter veram falsamque Scholasticam, inter veros falsosque Scholasticos confusionem ingerunt, de Scholastica theologià ac de theologis Scholasticis rident, atque utrumque in despectum penes indoctos ponunt. (4) Irrationabile enim est ex defectibus supervenientibus rei alicui, circa ipsam rem iudicium ferre. Modo Scholastica methodus bona est, neque vitio illius tribui potest, si temporum progressu, theologi quidam, Scholasticae Theologiae corruptores extiterint; non ab hisce hominibus genuina Theologiae Scholasticae natura est inferenda, sed a Theologis qui revera « Principes » Scholasticae fuere. (1)

e) Prae magistrorum catholicorum oculis sint verba Leonis XIII (*Litt. Aeterni Patris* 4 Aug. 1879): « Si quid a doctoribus scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum considerate traditum, si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non probabile: id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum proponi ».

Friburgi Helvetiorum.

P. Reginaldus M. Fei O. P.

(1) *De Locis Theol.* l. 8 c. 1.

(2) L. c., c. 2.

(3) Non aliter Bellamy (l. c.): » Sans la Scholastique, la méthode positive ne serait guère autre chose qu'un vaste repertoire de faits et de textes, un catalogue plus ou moins aride de documents, qui n'offrirait à l'esprit humain qu'une satisfaction médiocre et un interêt secondaire... Sans la positive, la scholastique serait insuffisante, surtout à une époque comme la nôtre, où la critique joue un rôle si capital... mériterait alors le reproche que lui faisait Renan, de ressembler « a une cathédrale gothique » dont elle aurait « la grandeur, les vides immenses et le peu de solidité ».

(4) Cfr. *Programma dei Modernisti* p. 88. Zino Zini, (*Il Pentimento e la Morale Ascetica* ecc. Prefazione p. IX-X) de operibus Scholasticorum scribit: « Sono falangi interminabili di libri, cattedrali di sillogismi d'una complicata architettura, minuziosamente costrutte, tutt'un'opera artificiosa, paziente e inutile... non hanno aggiunta una sola idea allo spirito umano. »

(1) Pallavicini. (*Storia del Conc. di Trento* l. 7) optime ait: « La Scolastica è la più nobile e la più difficile di tutte le discipline. Molti se ne arrogano l'attitudine, pochissimi l'hanno: questi sono stabilmente ammirati, gli altri con processo di tempo chi negletto, chi ignoto, chi schernito. »

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Serere ne dubites.

Rusticanum adagium, quo monemur, ne quando pigeat eiusmodi rerum aliquid moliri, a quibus nihil omnino dispendii, plurimum emolumenti possit proficisci, si non in praesens, certe in posterum; si non nobis, at saltem posteris. Columella (*De re rustica*, XII): « Quare - inquit - vulgare illud de arborum positione, rusticis usurpatum " Serere ne dubites ". Nam aedificatio nonnunquam exhaurit fructus; negotiatio pendet a fortuna, neque paucis male cessit. Eundem ad modum, ex aliis aliud, atque aliud est vel incommodi, vel periculi; sed ex arboribus conserendis plurimum capitur commoditatis, neque magno tamen impendio constat ». Eandem sententiam Vergilius, addita figura, sic extulit (*Georg.*, II):

Et dubitamus adhuc serere, atque impendere curam?

Fortes fortuna adiuvat.

Admonet adagium, fortiter periclitandam esse fortunam; his plerumque res prospere cedere. Propterea quod id genus hominibus fortuna quasi faveat, infensa iis, qui nihil audent experiri, sed veluti cochleae perpetuo latent intra testas. — Cicero (*Tuscul. quaest.*, II): « Fortes enim non modo fortuna adiuvat, ut est in veteri proverbio, sed multo magis ratio ». — Citatur alibi ex Ennio; usupatur in *Aeneide* Maronis, atque adeo passim ab omnibus. Ovidius (*Fast.*, II): *Audentes forsque Deusque iuvat.* Idem adlusit: *Audaces adiuvat ipsa Venus.*

Ubi timor, ibi pudor.

Proverbialis sententia, quam Suidas indicat esse Epicharmi, similis est Terentianae illi: « Omnes deteriores sumus licentia. Et maxima pars hominum formidine fustis a malefactis temperat ». Plato (*De leg.*, V): « Audacia vero patit impudentiam ». Item in *Eutyphrone* citat ex poeta quopiam; est enim hemistichion carminis heroici, quod latine sonat: « Ubi enim timor, et pudor illic ».

Fures clamorem.

Fures clamorem (subaudiendum: timent, aut senserunt). Quadrabit in eos, qui, sibi conscii, metuunt ne deprehendantur; aut qui peracto maleficio fugitant, pavitantque. Habet autem hoc cum omnis malefacti conscientia, tum praecipue furti, ut hominem trepidum reddat, ac lucifugam. Huc adlusit Vergilus:

Et cum clamarem, quo nunc se proripit ille,
Tityre coge pecus, tu post carecta latebas.

Carcini Strobilis fortunatior.

Ironia proverbialis in infelicem et improbum. — Carcinus poeta quispiam fuit, cuius filii dicti sunt Strobili ab Aristophane, quos etiam dulcicervicos nominat. Iocus autem sumptus est a nominum adlusione. Nam Graece Carcinus cancrum, Strobili cochleas significant: utrumque genus distortum et foedum. — Adagium recensetur apud Suidam et Zenodotum; exstat apud Aristophanem in *Pace*.

Ex umbra in solem.

Ex umbra in solem educere, est rem prius abditam et otiosam in publicum et communem vitae usum deducere. — Translatum ab athletis, quibus mos solis et pulveris patientia confirmare corporis robur; delicatorum autem est in umbra latitare. Venustius fiet si ad animi rem torqueatur; veluti si quis dicat, philosophiam a Socrate ex umbra in solem esse productam. — Exempla passim apud scriptores obvia.

Barbae tenus sapientes.

Ita dictum, quod praeter barbam et pallium nihil philosophi haberent. Usurpatur aliquoties apud Plutarchum in *Symposiacis*. Huc adlusit Horatius, quum ait:

Iussit sapientem pascere barbam.

Lucianus item iocatur in philosophorum profundam barbam; et Martialis:

Propendet mento nec tibi barba minor.

SACELLUM AD TRES SPICAS

NARRATIO SIMPLEX (1)

Quae iusta, caelo vindice,
flagella nobis imminent,
amat Maria. sontium
suprema spes, avertere.

Millena nos id edocent
exempla; quae ne congeram,
hoc, lector, unum testibus
ab Alsatinis accipe.

E monte, qui Colmariam (2)
prospectat, insidens equo
vir, Ditericus nomine,
vallem petebat proximam.

Illuc, in oppidi forum
frequens arator triticum,
quo Ditericus indiget,
venale comportaverat.

Declive vix ut hic iter
ingressus est, fit obvia,
affixa vastae quercui,
Icon eunti fictilis.

Refert Imago flebilem
Christi Parentem, mortui
dum scissa membra Filii
suis in ulnis excipit.

(1) Sacellum ad Tres Spicas inde ab anno MCCCCXCIII aedificatum est. — Ditericus ille, in carmine memoratus, cognomen habebat Schöre, eratque incola pagi montani Orbey, ubi artem fabri ferrarii exercebat. — Alter pagus in valle situs, quo Ditericus triticum empturus se conferebat, appellatur Nieder-Morschweiler. — Media fere inter utrumque pagum surgit, vastis circumsepta silvis, Aedes Marialis. — Huc, ex oppido vicino Türkheim, per multas ambages lata ducit sed ardua via, quam ab aliquot annis ampli terunt currus, vi electrica acti. — Eorum, qui Tres Spicas pietatis causa invisunt, numerantur quotannis triginta circiter millia. — Calente aestate, alii etiam illuc confluunt advenae, quos gratum duntaxat trahit frigus, et aëris puritas, ac montanae silvestrisque regionis varietas et magnificentia.

(2) Id est *Colmar*, Alsatiae superioris urbs princeps.

Sistit viator, asperum
Matris dolorem cogitans,
quum (mira res!) stat, aethere
delapsa, Diva cominus.

Quae mox, stupentem comiter
affata, dixit: « Nuntius
i tu meus; dic incolis,
iram Dei ne provocent.

« Audi tonantem Vindicis
vocem; vide, quot emicent
(quae continere vix queo)
ferire prompta fulmina! »

Sic fata, duram grandinem
manu sinistrâ; dexterâ
spicam trisulcam porrigit,
granis refertam turgidis,

his usa verbis: « Grandine
signatur atra sontibus
parata clades; ditia
arista signat praemia. »

Turbatus emptor nundinas
adit, brevemque tritico
saccum replet, nec hiscere
ausus suo de nuntio.

In terga vero sarcinam
ut vult equina tollere,
moles fit ingens sacculus,
nullis movenda nisibus.

Frustra vir alter, tertius
quartusque tentat pondera;
frustra quaterni viribus
conata iunctis innovant.

Tum Ditericus denique
mandata pandens credita,
invitat adstantes, sua
ut quisque menda corrigat.

Patrata, cunctis arbitris,
portenta plebem moverant;
fides loquenti, moribus
ad recta versis, additur.

Quid plura? surgit illico,
quà sacra quercus eminet,
templum, piamque flosculi
ornant facesque Imaginem.

Silvestris ille et invius
repente mons orantium
scatet catervis, arduas
laetis subire semitas;

laetis, canendo, Virginem
laudare, quae si cantica
reiectat echo, penniger
silenter adstupet chorus.

Nec, saeculis labentibus,
labascit Aedis gloria;
aetate nostrâ, vidimus
viam patere regiam;

in qua vapore perciti,
vel igne rapti fulgurum,
currus volant, effundere
turmas piorum fervidi.

O rore dio largiter
perfuse, Mons sacerrime,
quem planta pressit candida
regentis astra Virginis!

Te montium, te vallium
visat, revisat incola,
compos futurus omnium,
quae postulârit, munerum.

Agris feraces impetret
spicas; amantior tamen
frugis piae, caelestia
cui destinantur horrea.

Nec te viator obterat
profanus, audax lubrica,
dum fervet aestas, gaudia
almis sub umbris carpere.

ARRAE GORGONIAE

« Vox Urbis » commentarii appendicem, vid. in pag. 112.

AD GOLGOTHAM

Sacra actio dramatica I. B. FRANCESIA versibus senariis conscripta

(Cfr. num. sup.).

SCENA X. (Dubium).

Barbaal solus.

Barb. (*eum oculis prosequitur usque ad extremam partem: sistit laetus*)
Sic, sic... En ille laqueo suspenditur! (*vertit se ad laevam et inspicit intro*).
At iste? Torqueor quibus molestiis! (*pausat, progreditur lente cogitabundus*).
Estne Messias? Nazarenus dicitur, (*sistit iterum*)
Olim venturus ex Ægypto peregre,
Eum dicunt passim Davidis filium...
Sed ipse princeps noluit salutarier!
(*pausat*) Gravis sane res, tricis at plenissima!
Si esset Messias?... Cur ei contrarii
Adsunt Pharisaei, Scribae? Non parcit eis:
Imo conviciis mordet perpetuis.
(*elata voce*) Abite viperarum vos progenies...
(*submisse*) Fuit sed dulcis Samariae feminae,
Fuit Sydonia quae colebat numina...
Et illi Magdalo fuit quae scandalum.
Verbis ipse utitur modo novissimis,
Legi sed omnibus perfecte consonis.
Eius, verum est, lex nova, aequalis veteri...
Ubi sit dispar sacerdotes nesciunt,
Eamque carpunt, vocant et blasphemiam.
At obrui saxis volunt adulteram...
Ut ipsa sancta voluntas exigit...
Esto: Sed ille pellat primus lapides
Cui non istud imputetur criminis.
Cadunt tunc lapides cunctis e manibus.
Hic est Messias, annon? Atrox dubium!
In eremo prius tentavi perperam
Et mox in templo, montis super vertice:
Haud imperare voluit lapidibus,
Dedit de monte nec se se praecipitem,
Neque adorare me superbe voluit.
Mirum patrare certe tunc debuerat...
Potens erat sed noluit! Sin' potius
Fuisset impotens? (*Pausat indignabundus*) Adesset
Aetas supernis fatis aeternis posita... [forsitan
Et esset ipse desiderium gentibus? (*Pausat iterum, atque molestia interna agitatus, se se paullatim extollit propemodum submisse*)
Nequaquam posset hoc ultro contingere,
Ad me nam genus nunc humanum pertinet!
Dedi triumphans ius ei per saecula,
Opus vici primum creatoris optimum,
Quod et torquetur saeculorum pondere.
Prior Heva, mox Cainus, mox caeterae
Gentes, quas perdidit Deus diluvio.
Noemus adstitit, Chamum sed impuli...
Babelem, Ninivem, Gomorram, Sodomam.
Bovem in deserto sustuli post aureum,
Dathan, Abiron, Saulem in superbiam...
Post Salomonem tenui impudicitia
Suosque filios; infractus Israel
Divisus est cunctis abreptus gentibus.
Meus late cultus gentes obtinuit...
Romae nunc imperat: Deus mox Abraham
Erit de gentibus depulsus omnibus.
Iehova, te vici: mundus mihi subditus!
(*Rumor auditur*).

SCENA XI. (Prophetiae)

Barbaal, Voces atque Umbrae

(*Scena obscura, terra movetur,* Umbrae *progrediuntur, vagantes, et mox introgrediuntur*)

Barbaal. (*primum stupet, turbatur, deinde citato gradu ascendit, et in medio monte sistit*)

Voces (*longinque*) Obiit! Obiit! Erat Christus et periit!

Barb. (*elata voce*) Ehu! me. En prophetiae! Victus sum
Si vero vicit ipse, nunquam me domuit. [denuo
Portas inferni reserasti, Iehova,
Eas adaperiet crimen sed maximum.
Tui quis salvabit gentes immemores?

Voces: Amor!

Barb. Qui posset perfidos hos iterum
Eum spernentes amantem convertere?

Voces: Eius Cor!

Barb. Esto! certamen paratur novum.
Lucis imperium grande inter et tenebras
Adversum denuo surget ab inferis,
Recentibus fulgens quinque late radiis
Sidus, quod Romae rursus armis domitae,
Dabit mihi cultum, laudabit Satanam.
Super meum regnum, quid vox posset tua?

Voces: Ruet! (*Non exauditus ipse disparet*).

SCENA XII. (Finis)

Rumor hominum longe loquentium mox mox adpropinquantium. Hebraei turbatim descendunt, introgrediuntur ex omni parte pallentes timore ac terrore. Omnes, *exceptis* Iuda *et* Barbaal.

Nic. (*ruit praeceps respicit, brachia movens atque introversus, dicit:* Venite! Adeste! *descendunt Sacerdotes, Scribae, Pharisaei, Sadducaei, tristes, silentes*)

Hebr. Consummata nunc res est!

Nic. (*Christum manu signans*) Adspicite!

Voces (*intus*) Quî velum Templi scinditur!

Nic. (*ad Pharisaeos*) Audite? Velum prophetarum transiit!
Vos quod condigno iudicio insimulat!

Voces: Deo vos ipsi sacras intulistis manus!

Nic. Omnis vos orbis una voce incriminet,
Dei venit Verbum, corpore circumdatum,
Iis novi ordo saeculi renascitur,
Colunt qui Christum crucifixum candide:
Eius Cruor cadit vobis in perniciem,
Super vos et super filiorum caput.

Umbra (*Ex summo montis vertice*) Haudquaquam cadet cruor in perniciem!
Refraena pectoris sensus inconditos,
Adest Hic Iesus spei nostrae specimen!
Amor per orbem regnet unus, imperet!

Voces mysticae: Amor! Amor! — *Tonitrua et fulgura. Hebraei cum Nicodemo, more patrio, colunt, declinantes caput, brachiis extensis humi. Nicodemus, stans brachiis, elevat oculos ad caelum. Sacerdotes, Pharisaei, ad sinistram sunt tristes, silentes.* Umbra *tenet brachia extensa adversus Hebraeos; aulaeum tollitur lentissime.*

Finis.

COLLOQUIA LATINA

Dies remissionis. [1]

POLYCARPUS. — O dies Iovi sacra, credibile non est quam optata et cara illuxeris, ut alias in hebdomadas singulas. Celebritatis venustatisque plena es!

IGNATIUS. — Pernovi cogitationes tuas. Quia lusurus es, idcirco tam amice salutas praesentem diem.

P. — Vellem alternis reverteretur; non continens biduum nauseabundus tracto litteras.

I. — Votum asinorum; qui, si loquerentur, optare se dicerent cum Polycarpo meo, ut alternis tantum dorsa onerati inciderent.

P. — Non ego hoc solus, Ignati; complures mecum desiderant.

I. — Nempe sic est profecto ut dicam tibi: multi tecum magis amant catellos suos, quam studia bonarum artium, creduntque sibi dormientibus omnia confecturum Deum.

P. — Dum latine loqui sciam modo, Aristotelem et Euclidem tibi et aliis relinquam.

I. — At tu, ne latine quidem aliquando dices, si audiendi, legendi, loquendi, scribendi quamdam perseverantiam non adhibeas.

P. — Quorsus haec tetrica et incunditatis omnis expertia, ut Catones aliqui fabulamur? Hodie insigniter ludendum esse aio, instaurandasque vires, quas labor tam longus delassavit.

I. — Nec Ignatius ludum quietemque necessariam recusaverit; quin paratus sum hac ipsa hora tibi colludere; nulla tibi, hoc quidem in negotio a me difficultas erit. Remissiones crebras et extraordinarias odi, siquidem honestis moribus optimarumque artium studiis detrimentosae sunt.

P. — Tu fac et senti quod collibuerit; mihi indulgentia vacationum nihil potest contingere gratius. Magistri viderint quid, quibus, quando indulgeant; nostrarum partium esse statuo, quod conceditur non invitos accipere, quotiescumque conceditur.

I. — Olim cognosces te nimium lusisse.

P. — Et tu perspicies olim te nimium studuisse, quando, inquam, oculi caligabunt, ventriculus cibum male concoquet, corpus totum pallor et macies obsidebunt. Nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus.

I. — O falsidicum vatem! Haud ita me intemperanter ingurgito litteris, ut istas praedictiones formidare oporteat. Audivi etiam eruditos plurimos, ad decrepitam aetatem aevum extendisse, quum assidue in libris litterisque essent volutati.

P. — Ipse Thales ad sapientiam tuam merus nugator est. Desine philosophari: haec lux hilariter consumenda est.

I. — Qua tandem ratione consumenda est?

P. — Visne in prata virentia concedamus, ibique pila experiamur palmaria?

I. — Volo sane: utile et incundum est hoc ludendi genus. Ascende e vestigio in conclave, et defer amborum pallia cum pila.

P. — Ubi est pila?

I. — In pluteo, aut certe in capsa ductili sub mensa.

P. — Eo ut afferam.

I. — Actutum redi; hic te exspectavero.

P. — Illic sum, atque hic sum.

(1) Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus *Progymnasmata latinitatis*, passim retractavit I. F.

EX ITALIS URBIBUS

Guidoni Monacho Pomposae in oppido monumentum dicatum

III° Non. Iun. currentis an. MDCCCCX, Pomposae in oppido ad Ferrariam, sollemni ritu monumentum Guidoni illi monacho positum est, qui musica signa invexit. Eventus memorabilis mihi visus est, ob monumenti ipsius praesertim inscriptionem, quam Ioannes Pascoli, scriptor Italicae non modo, sed Latinae etiam linguae nostris diebus facile princeps, dictavit. Iudicent commentarii nostri lectores, quibus rem non incundam fore existimavi poeticum hunc florem offerens:

Anni iam sunt mille: mihi sata pascua villae
mel erat et vinum, fruges et textile linum,
grex satur in caulis, erat altilis omnis in aulis.
Mugitusque boum iubar explorabat eoum;
dumque mea cura fluitant florentia rura,
ipsa dabam sanctum semper Pomposia cantum:
UT proscissa bonos REdamarent arva çolonos,
MItisque haec victu, FAcilis quoque vita relictu,
SOL laetus laetis, LAbor hic foret arra quietis.
Haec prius: alterno torpebam deinde veterno,
cum terrae matri decessit vomis aratri.
Amissis rastris, ego mansi sola sub astris.
Tum mihi squalenti cecinerunt undique venti
atque iracundae tantum procul aequoris undae.

Tum Manes multos monachorum rite sepultos
voce queri maesta nox audiit intempesta.
Nunc priscae famae meminerunt denique lamae;
nunc rident orae foliis herbisque decorae.
Quod fuit est: lentam stupeo remeare iuventam;
has segetes laetas longissima ventilat aetas.
Hic mihi cum fido monachus canit agmine Wido.

Anno sal. MCMX die III Iunii Sodales Musicologi Ferrarienses pon. cur.

IOANNES FERRARIENSIS.

EX POLONIA

Grunvaldensis triumphi V centenaria commemoratio.

Appropinquant Idus Iuliae, festus ac solemnis dies populi Poloni! Quintum enim iam saeculare in hunc annum incidit, ex quo Poloni apud Tannenbergum ac Grunvaldum praeclaram ab equitibus cruciferis reportaverunt victoriam atque immortalem sibi gloriam pepererunt. Quam memoriam universi Poloni sollemni ritu atque ingenti paratu celebrabunt. Magna est memoria; nam et res parva non fuit. Grunvaldensis victoria lucet et per se splendet; est enim omnium xv saeculi factorum nobilissimum praestantissimumque: Poloni christianorum, sicut consueverant, more iustum bellum paraverunt eodemque modo in victos ac subiectos consuluerunt; Grunvaldensi victoria regnum Polonum in Europa facile princeps factum est, potentiaeque gloriam est consecutum; proelium illud « Teutonici Ordinis » latrociniis finem fecit; plaga autem Grunvaldensis letalis fuit, quia vulnus nullo medicamento sanum fieri quivit.

A Conrado duce adversus Borussos advocati et prope Vistulae ostia collocati equites Ordinis Teutonici, quibus vulgo cruciferorum nomen, statim de magnis bellis consilia inire et cum ensiferis Livoniae equitibus coniuncti Poloniae arma intentare omnique nomini Polono imminere coeperunt. Miseros Borussos ad Christi doctrinam igni ferroque traducebant et, ut eos in officio continerent, crudelissime iis imperabant. Quod autem pro Christo militare videbantur, non solum multarum civitatum, sed etiam ipsius Poloniae auxilium conciliabant. Sed ille vetus bellandi finis paulatim omnino evanuit et mox proprium Teutonicum ingenium apparuit. Cruciferorum civitas procul dubio Germanorum agmen primum facta est et Polonos ad certamen provocavit, quamquam Poloni eos donaverant atque adiuverant. Conradus dux id fore non est suspicatus eorumque ingenium ac dolum sensu praecipere non potuit. Cruciferi enim adeo simulandi ac dissimulandi periti erant, ut non solum Poloni, sed etiam in ceteris civitatibus probissimi ac prudentes viri insano studio affecti atque incensi rem Polonam iniustam haberent, et Polonos gentem praedatoriam impetum in pios quietosque equites facere eosque, quominus pium Dei opus in hoc mundo conficerent, prohibere arbitrarentur! xiv demum et ineunte xv saeculo omnes Europae incolae cognoverunt, quam metuendus eques ille Teutonicus cum signo crucis in pectore, cum gladio in manu, calliditate autem in animo esse posset, quamque perverse simulationem, perfidiam eum vi atque iniuriis coniungere sciret.

Tales erant cruciferi, quibuscum pugnandum erat.

Rege Ladislao Iagellone regnante, iam minime latebat Conradi ducis imprudentiam nonnisi maxima totius civitatis Polonae fortitudine redimi posse. Poloni enim illo tempore minus valebant, quam qui ferocibus equitibus resistere possent. Itaque se cum Lituanis coniunxerunt, et propter hanc coniunctionem magnam in Europa potentiam nacti sunt. Quae res cruciferis ingentem iniecit timorem. Saevire coeperunt equites, cum primum compererunt Lituanos iam a Polonis ad religionem christianam adduci atque ad humanitatem informari coeptos esse. Uno igitur die Ordo equitum Teutonicorum ingentem praedam, quae in eorum manus ventura erat, finemque, cuius causa huc venerant, amiserunt: superfluos se iam esse viderunt. Sed feliciori aemulatori sponte cedere nimia Ordinis superbia eos non est passa: ad bellum igitur consurgendum iis erat. Nulla illis temporibus in Europa civitas cum Ordine sine clade ac magno detrimento confligere potuit; nam dissolutus feudalis nexus disciplinam militarem debilitabat et comminuebat. Omnes reges ex suorum subditorum arbitrio pendebant, Polonis tantummodo et equitibus exceptis: hi enim clientes, qui fundos beneficii iure possiderent, non noverant. Quia autem iam centum fere annos ad atrocissimum atque acerrimum proelium praeparabant, ita se constituerunt, ut tempore dato omnia in discrimen ponerent vitaeque periculum adirent.

Apud Grunvaldum duae potentissimae Europae partes, universi Germani, quibus equites Teutonici praeerant, cum universis fere Slavis, in quibus Poloni primum tenebant locum, primum proelio decertaturi erant. Ipse magister Ulricus de Iungingen equitum copiis praeerat, quae ex omnibus in occidentem spectantibus terris ei auxilio venerunt. Sed et regis Ladislai Iagellonis signa praeter nobilium cohortes secuti sunt fortes et clari Poloni milites, qui in alienis civitatibus fortissimos se praestiterant. Dum Ladislaus rex Deum invocat Eique supplicat, Lituanorum milites cum cruciferis confligunt pedemque referunt. Quo facto Poloni carmen patrium « *Boga Rodzica* » vociferantes signa inferunt.

Utrimque acriter pugnatur, sed aequo Marte res ducitur. Iam delectae cruciferorum copiae victoriae momentum facturae sunt, cum Polonorum subsidia, quia ultimi discriminis tempus adventare vident, in hostem

vehementissime impetum faciunt plurimosque occidunt. Ipse Ulricus de Iungingen una cum nobilissimis ac fortissimis equitibus occubuit... Omnibus cruciferorum signis Poloni potiti sunt.

Hoc memorabili die virtus et superbia Ordinis fracta est et domita; hoc die cognitum est, utrum Ordo Teutonicus, an Poloni in Europa, maiorem auctoritatem essent habituri. Haec clades universam Europam futura Germanorum servitute liberavit servavitque. Sed Poloni id, quod sane dolendum est, ex hac victoria iustum ac meritum fructum capere nesciverunt. Non erant enim acres in rebus gerendis; celeriter quidem inflammabantur, sed mox languescebant; maximam partem propriae erant utilitatis cupidi et magnam in fortuna ac victoria fiduciam collocabant. Quibus rebus factum est, ut fructuum capiendorum occasionem de manibus amitterent, Ordinem autem se ex timore recipere, auxilia contrahere, Mariaeburgum — quod erat crucigerorum civitatis caput — acerrime ac pertinacissime defendere bellumque ducere sinerent.

Anno MCDXI prope Thorunium pax est inita, qua convenit, ut, quidquid in Borussia occupatum, equites reciperent; Poloni autem nonnisi Dobrinum, Lituani Samogitiam retinerent.

Parvus erat igitur fructus prae tanta victoria; sed maior alibi est quaerendus. In proelio Grunvaldensi Ordo ingentem suarum virium gloriam amisit; opes eius fractae sunt: nam eum vinci posse apparuit. Iam nunquam post hanc cladem se erexit: languescere et paulatim cadere coepit. Quanto autem equites vires deficiebant, tanto Polonis crescebant.

Cum defectione virium dies fortunae adversae, dedecoris et infamiae venire coeperunt. Inexorabilis enim omnium manifestorum atque occultorum facinorum dea vindex non passa est eum honesta, dulci et gloriosa morte in proelio ad Grunvaldum perire posse. Nemesis iussit eum aliter perire, iussit eum foedissima, ignominiosissima turpissimaque morte interire, odio ac proditione suorum civium!



Grunvaldensis pugna. (Ex tabula I. Mateiko, Cracoviae asservata).

Cracoviae, mense Iunio MCMX.

Lad. Lud. Podobinski.

Ut semel emissum est, volat irrevocabile verbum.

Hor. Ep. I, 18.

ACTA PONTIFICIA

SS. D. N. Pii PP. X litterae encyclicae ob sollemnem Caroli Borromei commemorationem, abhinc annos CCC in Sanctorum album relati.

VENERABILIBVS FRATRIBVS
PATRIARCHIS PRIMATIBVS ARCHIEPISCOPIS EPISCOPIS
ALIISQVE LOCORVM ORDINARIIS
PACEM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTIBVS

PIUS PP. X

VENERABILES FRATRES

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Editae saepe Dei ore sententiae et sacris expressae litteris in hunc fere modum, iusti memoriam fore cum laudibus sempiternam eundemque loqui etiam defunctum (1), diuturna Ecclesiae opera et voce maxime comprobantur. Haec namque sanctitatis parens et altrix, iuvenili robore vigens ac Numinis afflatu semper acta *propter inhabitantem spiritum eius in nobis* (2), quemadmodum iustorum sobolem nobilissimam ipsa una gignit, enutrit, ulnisque complectitur suis, ita materni amoris instinctu de ipsorum retinenda memoria atque honore instaurando se praebet apprime sollicitam. Ex ea recordatione superna quadam suavitate perfunditur et a mortalis huius peregrinationis miseriis contuendis abducitur, quod beatos illos caelicolas *gaudium suum et coronam* esse iam cernat; quod in ipsis eminentem agnoscat Sponsi caelestis imaginem; quod novo testimonio suis filiis antiqua dicta confirmet: *diligentibus Deum omnia coöperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti* (3). Horum autem praeclara facinora, non modo sunt ad commemorandum iucunda, sed etiam ad imitandum illustria, et magnus virtutis excitator est concentus ille sanctorum Paullinae resonans voci: *imitatores mei estote sicut et ego Christi* (4).

Ob haec, Venerabiles Fratres, Nos, qui vixdum suscepto pontificatu maximo, propositum significavimus enitendi constanter ut « omnia instaurarentur in Christo »; datis primum encyclicis litteris (5) impense curavimus ut Nobiscum omnes intuerentur in *apostolum et pontificem confessionis nostrae, ... in auctorem fidei et consummatorem Iesum* (6). At quoniam ea fere est infirmitas nostra, ut tanti exemplaris amplitudine facile deterreamur, providentis Dei numine, aliud a nobis est exemplar propositum, quod quum Christo sit proximum, quantum humanae licet naturae, tum aptius congruat cum exiguitate nostra, Beatissima Virgo Augusta Dei Mater (7). Varias denique nancti occasiones recolendae memoriae sanctorum caelitum, communi admirationi obiecimus fideles hosce servos ac dispensatores in domo Domini, et, prout suus cuique locus est, Eius amicos ac domesticos, qui *per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones* (8), ut illorum exemplis adducti, *iam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris; veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia qui est caput Christus* (9).

Altissimum hoc divinae Providentiae consilium in tribus maxime viris perfectum fuisse docuimus, quos magnos pastores eosdemque doctores diversa quidem aetas tulit, sed aeque propemodum Ecclesiae calamitosa. Hi sunt Gregorius Magnus, Ioannes Chrysostomus et Augustanus Anselmus, quorum saecularia solemnia celebrari contigit per hos annos.

(1) *Ps.* CXI, 7, - *Prov.* X, 7: - *Hebr.* XI, 4. — (2) *Rom.* VIII, 11. — (3) *Rom.* VIII, 28. — (4) I *Cor.* VI, 16. — (5) Litt. Encycl. « *E supremi* » die IV m. Octobr. MCMIII. — (6) *Hebr.* III, 1; - XII, 2-3. — (7) Litt. Encycl. « *Ad diem illum* », die II m. Februar. MCMIV. — (8) *Hebr.* XI, 33. — (9) *Eph.* V, 11 seq.

Binis praeterea Encyclicis Litteris datis IV Idus Martias anno MCMIV et XI Calend. Maias MCMIX, doctrinae capita et christianae vitae praecepta, quotquot opportuna cadere in haec tempora visa sunt, e sanctorum exemplis monitisque decerpta, fusius evolvimus.

At quoniam persuasum Nobis est, ad impellendos homines, illustria Christi militum exempla longe magis valitura quam verba exquisitasque disceptationes (1); oblata feliciter opportunitate libentes utimur saluberrima instituta ab alio pastore sanctissimo accepta commendandi, quem huic aetati propiorem iisdemque paene iactatum fluctibus Deus excitavit, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem, Mediolanensium Antistitem, ante annos CCC a sa. me. Paulo V in sanctorum album relatum, Carolum Borromeum. Nec id minus ad rem; siquidem, ut memorati Decessoris Nostri verba usurpemus: « Dominus, qui facit mirabilia magna « solus, magnificavit novissime facere nobiscum, ac miro « dispensationis suae opere statuit super Apostolicae petrae « arcem grande luminare, eligens sibi e gremio sacrosanctae « Romanae Ecclesiae Carolum, sacerdotem fidelem, servum « bonum, formam gregis, formam Pastorum. Qui videlicet « multiplici fulgore sanctorum operum universam decorando « Ecclesiam, sacerdotibus et populo praeluceret quasi Abel « in innocentia, quasi Enoch in munditia, quasi Iacob in « laborum tolerantia, quasi Moyses in mansuetudine, quasi « Elias in ardenti zelo, quique imitandum exhiberet inter « affluentes delicias Hieronymi corporis castigationem, Mar- « tini in sublimioribus gradibus humilitatem, Gregorii pa- « storalem sollicitudinem, libertatem Ambrosii, Paulini ca- « ritatem, ac demum videndum ac perspiciendum ostenderet « oculis nostris, manibus nostris contrectandum hominem, « mundo maxime blandiente, crucifixum mundo, viventem « spiritu, terrena calcantem, caelestia iugiter negotiantem « et, sicut officio in angelum substitutum, ita etiam mente « et opere vitam angelorum in terris aemulantem » (2).

Haec Decessor ille Noster exactis quinque lustris ab obitu Caroli. Nunc vero, expleto anno tercentesimo ab impertitis eidem sacris honoribus, « merito repletum est gau- « dio os nostrum et lingua nostra exsultatione in insigni die « solemnitatis nostrae, ... in qua ... Carolo S. R. E., cui, « auctore Domino, praesidemus, Presbytero Cardinali sacris « decernendis honoribus, unicae Sponsae suae nova impo- « neretur corona, ornata omni lapide pretioso ». Communis autem cum Decessore Nostro fiducia Nobis est, ex contemplatione gloriae sancti Viri, multoque magis ex eiusdem documentis et exemplis, debilitari posse impiorum proterviam et confundi omnes qui « glorientur in simulacris er- « rorum » (3). Itaque renovati Carolo honores, qui gregis ac pastorum huius aetatis exstitit forma, sacraeque disciplinae in melius corrigendae impiger fuit propugnator et auctor adversus novos homines, quibus, non fidei morumque restitutio proposita erat, sed potius deformatio atque restinctio, quum solacio ac documento erunt catholicis universis, tum iisdem stimulos addent, ut in opus, cui tam impense studemus, instaurationis rerum omnium in Christo, strenue conspirent.

Exploratum profecto vobis est, Venerabiles Fratres, perpetuo exagitatam Ecclesiam deseri a Deo nunquam omni consolatione destitutam. Eam namque *Christus dilexit... et semetipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret et exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata* (4). Quin etiam, quo effusior licentia, quo acrior hostilis impetus, quo erroris insidiae callidiores afferre illi supremum videntur exitium, usque adeo, ut filios non pau-

(1) Encycl. « *E Supremi* ». — (2) Ex Bulla « *Unigenitus* » an. MDCX, Cal. Nov. — (3) Ex eadem Bulla « *Unigenitus* ». — (4) *Eph.* V, 25 sqq.

eos de gremio eius avulsos in vitiorum et impietatis gurgitem transversos agant, eo praesentiorem experitur tutelam Numinis. Efficit enim Deus ut error ipse, velint nolint improbi, in triumphum cedat veritatis, cui custodiendae Ecclesia advigilat; corruptio in incrementum sanctitatis, cuius altrix ipsa est atque magistra; vexatio in mirabiliorem *salutem ex inimicis nostris*. Ita fit ut, quo tempore Ecclesia profanis oculis videtur saevioribus iactata fluctibus ac paene demersa, tunc nempe pulchrior, validior, purior emergat, maximarum emicans fulgore virtutum.

Sic Dei summa benignitas novis argumentis confirmat, Ecclesiam opus esse divinum; sive quod in causa suscipiendi doloris maxima, ob irrepentes in ipsa eius membra errores et noxas, ei det superandum discrimen; sive quod ratum efficiat Christi verbum: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam* (1); sive quod eventibus illud comprobet: *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (2); sive denique quod arcanae virtutis testimonium perhibeat, qua promissus a Christo, maturo huius in caelum reditu, *alius Paraclitus* in ipsam iugiter effunditur, ipsam tuetur et in omni tribulatione solatur; spiritus, *qui cum ipsa maneat in aeternum; spiritus veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum nec scit eum, quia apud vos manebit et apud vos erit* (3). Hoc ex fonte vita et robur Ecclesiae derivatur; hinc quod eadem, ut Concilium Oecumenicum Vaticanum habet, manifestis notis instructa et « tamquam signum levatum in nationes », a quavis alia societate secernitur (4).

Nec sane absque divinae potentiae prodigio fieri potest ut, diffluente licentia et passim deficientibus membris, Ecclesia, quatenus est corpus Christi mysticum, a doctrinae, legum finisque sui sanctitate nunquam desciscat; ex iisdem rerum causis pares consecutiones et utilitates derivet; ex complurium filiorum fide ac iustitia fructus capiat salutis uberrimos. Nec minus perspicuum haustae a Deo vitae habet indicium, quod in tam foeda pravarum opinionum colluvie, in tanto perduellium numero, in errorum facie adeo multiplici, constans et immutabilis perseveret, *columna et firmamentum veritatis*, in unius professione doctrinae, in eadem communione sacramentorum, in divina sui constitutione, in regimine, in disciplina morum. Idque eo plus habet admirationis, quod ipsa, non solum resistit malo, sed etiam *vincit in bono malum*, nec bene precari desinit amicis atque inimicis, de eo tota laborans idque assequi cupiens, ut et communitas hominum et seorsim singuli christianis institutis renoventur. Est enim hoc proprium eius munus in terris, cuius beneficia vel ipsi eius inimici sentiunt.

Mirabilis hic Dei providentis influxus in instaurationis opus ab Ecclesia provectum luculenter apparet ea maxime aetate, quae ad bonorum solacium dedit Carolum Borromeum. In eo dominatu cupiditatum, omni fere perturbata et offusa cognitione veritatis, perpetua erat cum erroribus dimicatio, hominumque societas in pessima quaeque ruens, gravem videbatur sibi conflare perniciem. Inter haec superbi ac rebelles homines consurgebant, *inimici Crucis Christi... qui terrena sapiunt... quorum Deus venter est* (5). Hi non moribus corrigendis, sed negandis Fidei capitibus animum intendentes, omnia miscebant, latiorem sibi aliisque muniebant licentiae viam, aut certe auctoritatem Ecclesiae ductumque defugientes, pro lubitu, corruptissimi cuiusque principis populive, quasi imposito iugo, doctrinam eius, constitutionem, disciplinam in exeidium petebant. Deinde, iniquorum imitati morem, ad quos pertinet comminatio: *Vae qui dicitis malum bonum et bonum malum* (6), rebellium tumultum et illam fidei morumque cladem appellarunt instaurationem, sese autem disciplinae veteris restitutores. Re tamen vera corruptores extiterunt, quod, extenuatis Europae per contentiones et bella viribus, defectiones horum temporum et secessiones maturarunt, quibus uno velut impetu facto, triplex illud, antea disiunctum, dimicationis instauratum est genus, a quo invicta et sospes Ecclesia semper evaserat; hoc est, primae aetatis cruenta certamina; domesticam subinde pestem errorum; denique, per speciem sacrae libertatis vindicandae, eam vitiorum luem ac disciplinae eversionem, ad quam fortasse nec aetas media processerat.

(1) Matth. xvi, 18. — (2) Matth. xxviii, 20. — (3) Ioan. xiv, 16 sqq. - 26, 59; - xvi, 7 sqq. — (4) Sessio iii, c. 3. — (5) *Philip.* iii, 18, 19. — (6) Isai. v, 20.

Decipientium hominum turbae Deus opposuit veri nominis instauratores, eosque sanctissimos, qui aut cursum illum praecipitem retardarent ardoremque restinguerent, aut illata inde damna sarcirent. Quorum labor assiduus et multiplex in restituenda disciplina eo maiori solacio Ecclesiae fuit, quo graviori haec premebatur angustia, comprobavitque sententiam: *Fidelis Deus, qui... faciet etiam cum tentatione proventum* (1). Iis in adiunctis laetitiam Ecclesiae cumulavit oblata divinitus Caroli Borromei singularis navitas vitaeque sanctitas.

Fuit autem in eius ministerio, Deo sic disponente, propria quaedam vis et efficientia, non solum ad infringendam audaciam factiosorum, sed etiam ad erudiendos Ecclesiae filios atque excitandos. Illorum namque et insanos cohibebat ausus, et inanes criminationes diluebat, eloquentia usus omnium potentissima, suae vitae et actionis exemplo; horum vero spem erigebat, alebat ardorem. Atque illud in ipso fuit plane mirabile, quod veri restauratoris dotes, quas in aliis disiunctas cernimus atque distinctas, ab iuvenili aetate in se omnes recepit in unum collectas, virtutem, consilium, doctrinam, auctoritatem, potentiam, alacritatem, effecitque ut in commissam sibi catholicae veritatis defensionem contra grassantes errores, quod idem erat Ecclesiae universae propositum, singulae conspirarent, intermortuam in multis ac paene restinctam excitans fidem, providis eam legibus institutisque communiens, collapsam disciplinam restituens, cleri populique mores ad christianae vitae rationem strenue revocans. Sic, dum partes instauratoris tuetur omnes, haud minus mature *servi boni et fidelis* fungitur muniis, ac deinde sacerdotis magni, *qui in diebus suis placuit Deo et inventus est iustus;* plane dignus in quem cuiusvis generis homines tum e clero tum e populo, divites aeque ac inopes, tamquam in exemplar intueantur; cuius excellentiae summa in episcopi atque antistitis laude continetur, qua, Petri Apostoli dictis obtemperans, factus est *forma gregis ex animo* (2). Nec minus movet admirationem quod Carolus, nondum exacto anno aetatis suae vicesimo, summos honores consecutus, magnis ac perarduis Ecclesiae negotiis tractandis adhibitus, ad perfectam cumulatamque virtutem, per contemplationem rerum divinarum, qua in sacro secessu animum renovaverat, in dies magis contenderet, eluceretque *spectaculum... mundo et angelis et hominibus.*

Tum vere Dominus coepit, ut memorati Decessoris Pauli V verbis utamur, *mirabilia sua* in Carolo pandere; sapientiam, iustitiam, divini honoris et catholici provehendi nominis studium flagrantissimum, in primisque curam instaurandae Fidei Ecclesiaeque universae, quod opus in augusto illo Tridentino Consilio agitabatur. Cuius habiti laus ab eodem pontifice ab omnique posteritate sic tribuitur Carolo, quasi viro, qui non ante illius exsequutor exstiterit fidelissimus quam propugnator acerrimus. Nec enim sine multis eius vigiliis, angustiis, laboribus omne genus, res est ad exitum perducta.

Haec tamen omnia nihil erant aliud nisi praeparatio quaedam vitaeque tirocinium, quo et pietate animus et

(1) I *Cor.* x, 13. — (2) I *Petr.* v, 3.

mens doctrina et labore corpus exercerentur, ita ut modestus iuvenis ac de se demisse sentiens instar esset argillae in manibus Domini eiusque in terris Vicarii. Hanc scilicet rationem ineundae viae novarum rerum fautores illi contemnebant eadem stultitia qua nostri, minime secum reputantes, mirabilia Dei ex umbra et silentio parentis animi pieque precantis in apricum proferri, in eâque exercitatione germen futuri adscensus, haud secus ac in semente spem colligendae messis, includi.

Nihilominus, quod paullo superius attigimus, auspicata tam faustis initiis vitae sanctitas et actio tum se maxime explicuit effuditque fructus uberrimos, quum, « urbano « splendore et amplitudine relictis, bonus operarius in mes« sem quam susceperat (Mediolanum), discedit, ubi partes « suas in dies magis implendo, agrum illum, malitia tem« porum, vepribus turpiter deformem ac silvescentem, in « eum restituit nitorem, ut Ecclesiam Mediolanensem, prae« clarum exemplum redderet ecclesiasticae disciplinae ». (1) Tam multa tamque praeclara is est consequutus conformando instaurationis opus ad normas a Concilio Tridentino paullo ante propositas.

Enimvero Ecclesia, probe intelligens, quam sint *sensus et cogitatio humani cordis in malum prona* (2), cum vitiis et erroribus dimicare nunquam destitit, *ut destruatur corpus peccati ét ultra non serviamus peccato* (3). Qua in contentione, quemadmodum ipsa sibi magistra est et impellitur gratia, quae *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum;* ita cogitandi agendique normam sumit a Doctore gentium, aiente: *Renovamini spiritu mentis vestrae.* (4) *Et nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta* (5). Quam quidem se metam contigisse Ecclesiae filius atque instaurator non fictus existimat nunquam; ad eam tantummodo niti profitetur cum eodem apostolo; *quae retro sunt obliviscens, ad ea vero quae sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernae vocationis Dei in Christo Iesu* (6).

Inde consequitur ut et nos cum Christo in Ecclesia coniuncti *crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus... augmentum facit in aedificationem sui in charitate* (7), et Ecclesia Mater in dies magis efficiat ratum sacramentum divinae voluntatis, hoc est, *in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo* (8).

Ad haec animum non intenderunt auctores illi redintegrandae suo marte fidei ac disciplinae, quorum conatibus restitit Borromeus; nec ea nostri melius vident, quibuscum strenue nobis, Venerabiles Fratres, est dimicandum. Nam et hi Ecclesiae doctrinam, leges, instituta subvertunt, habentes in lingua promptum cultioris humanitatis studium, non quod eo de negotio valde laborent, sed quo titulis ad ostentationem paratis pravitatem consiliorum queant facilius obtegere.

Quid autem re agant, quid moliantur, quod iter affectent, neminem vestrum fugit, eorumque consilia denuntiata per Nos fuerunt atque damnata. Proposita namque ipsis est communis omnium ab Ecclesiae fide ac disciplina secessio, eo vetere illa deterior quae Caroli aetatem in discrimen adduxit, quo callidius in ipsis fere Ecclesiae venis delitescit ac serpit, et quo subtilius ab absurde positis extrema deducuntur.

Utriusque pestis origo eadem; *inimicus homo,* qui ad humanae gentis perniciem haud sane exsomnis, *superseminavit zizaniam in medio tritici* (9); idem abditum iter ac tenebricosum; eadem progressio, idem appulsus. Etenim, quemadmodum prior illa olim, qua fortuna rem daret eo vires inclinans, optimatium partes aut popularium alteram adversus alteram concitabat, ut utramque tandem ludificaret atque pessundaret; sic recentior ista clades mutuam exacuit invidiam egentium ac locupletium, ut sua quisque sorte non contentus vitam trahat usque miserrimam luatque poenam iis irrogatam, qui non *regnum Dei et iustitiam eius* quaerunt, sed caducis his rebus fluxisque adhaerescunt. Atque illud etiam graviorem facit praesentem conflictationem, quod, quum superiorum temporum turbulenti homines e doctrinae divinitus revelatae thesauro certa quaedam et fixa plerumque retinerent, hodierni non ante quieturi videantur quam excisa omnia conspexerint. Everso autem religionis fundamento, et ipsam civilem coniunctionem disrumpi necesse est. Luctuosum sane spectaculum in praesens, formidolosum in posterum; non quod Ecclesiae incolumitati timendum sit, de qua dubitare divina promissa non sinunt, sed ob impendentia familiis gentibusque pericula, maxime quae pestiferum impietatis afflatum aut impensius fovent aut ferunt patientius.

(Ad proximum numerum).

(1) Bulla « *Unigenitus* ». — (2) *Gen.* VIII, 21. — (3) *Rom.* VI, 6. — (4) *Ephes.* IV, 23. — (5) *Rom.* XII, 2. — (6) *Philip.* III, 13, 14. — (7) *Ephes.* IV, 15, 16. — (8) *Ephes.* I, 9, 10. — (9) MATTH. XIII, 25.

MOTU PROPRIO SSmi. d. d. IX mens. Iunii MCMX *de indulgentia « Portiunculae »* haec *currenti anno tantum valitura,* ob occasionem septimi ab instituto Fratrum Minorum Ordine saeculi expirantis, statuta atque decreta sunt:

« Firmis, scilicet, de memorata Indulgentia antea quomodocumque factis, quae nondum expiraverint, concessionibus, facultatem facimus omnibus et singulis locorum Ordinariis unam aut plures, pro rei opportunitate, in quovis propriae ditionis loco ecclesias aut publica vel semipublica oratoria designandi, ubi fideles rite confessi et Sacra Synaxi refecti ac devote iuxta Nostram intentionem orantes, a vesperis diei primae ad solis occasum diei secundae mensis Augusti anni currentis *toties quoties* ea visitaverint, haud secus ac si aliquam Ordinis Minorum ecclesiam visitassent, *Indulgentiam Plenariam,* animabus etiam quam purgatorius ignis emundat, applicabilem, lucrari possint ac valeant.

Hanc vero eamdem Indulgentiam, iisdem sub conditionibus eademque ratione lucrifieri posse concedimus a fidelibus utriusque sexus communem vitam agentibus, qui propriam ecclesiam vel, si careant, proprium domesticum oratorium, ubi Ssma Eucharistia asservatur, ut supra, visitaverint.

Ne cui demum, praestantissimo hoc spirituali beneficio, ob peculiaria fortassis rerum adiuncta, fruendi copia desit, benigne indulgemus iisdem locorum Ordinariis ut ad supradictam Indulgentiam lucrandam statuere possint tam pro in saeculo quam pro piis in communitatibus viventibus fidelibus loco diei secundae Augusti, Dominicam proxime insequentem, a vesperis Sabbati ad solis occasum ipsius Dominicae, hac tamen sub lege ut nequeat quis eadem concessione bis frui.

Optamus autem vehementer ac summopere commendamus ut in ecclesiis oratoriisve, ut supra, designatis, die ad Indulgentiam lucrandam statuta speciales publicae ad Deum supplicationes pro Summo Pontifice, Ministris Sanctuarii universaque militante Ecclesia peragantur; eaeque, praemissa invocatione Seraphici Patriarchae ac Litaniis Sanctorum, Benedictione Eucharistica absolvantur ».

DIARIUM VATICANUM

(Mense Iunio MCMX).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Autistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: R. p. Le Floch, Rector Pontificii Seminarii Gallici de Urbe una cum r. p. Frey a Pontificia Commissione de re biblica doctor in S. Scripturis creatus; De Leiningen, Comes; Chisius, Princeps Urbanus, eiusque uxor; Blumensthil, Comes; Stanislaus Medolago Albani, Comes; Christina Giustiniani Bandini, Princeps foemina, cum supremo consilio mulierum Catholicarum in Italia; manus puellarum ex Agro Romano; peregrinorum Berolinensium manus; Supremi Ordinis Melitensis Magister Maximus; Camillus Rospigliosi, Princeps Urbanus, Nobilium Stipatorum cohortis apud P. M. praefectus; peregrinorum manus ex Civitatibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Lusitanorum legati munere fungens apud Apostolicam Sedem; Saenz Pena doctor, Argentinae civitatis praeses nuper electus, eiusque familia; Horatius Marucchi, eques torquatus, eiusque uxor; manus catholicorum iuvenum scholis secundi ordinis Romae vacantium.

Pontificiae electiones.

Patritius Finegan, vicarius gen. Alladen., episcopus Kilmoren.; Carolus Curier, e dioecesi Baltimoren., episcopus Zamboangen. in Insulis Philippinis; Mauritius Foley, e dioecesi Bostonien., episcopus Tugnegaraonen. in iisdem insulis, renunciantur.

— Purpuratus Pater Franciscus Cassetta inter Iudices adlegitur Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae.

— R. P. D. Carolus Bertuzzi, episcopus Fulginaten., ad sedem metropolitanam titularem Diocletianam; et Apollonius Maggio, episcopus tit. Lystren., ad cathedralem sedem Asculanam in Piceno transferuntur.

— Thomas Heylen, episcopus Namurcen., inter episcopos Pontificio solio adstantes adnumeratur.

Varia.

Quod felix, bonum, faustumque siet, die II mens. Iunii MCMX SS. D. N. Pius PP. X quintum supra septuagesimum vitae annum feliciter explet.

— die XXVIII, sub vespere, Pontifex in Vaticanam basilicam descendit, sepulcra SS. Petri et Pauli veneraturus.

ANNALES

Cretensis quaestio.

De quaestione Cretensi, una sane quae ad « politicam internationalem » (prouti vulgo dicunt) his diebus spectet, profecto affirmari potest, quo magis eam volutari, eo magis eamdem rem esse et apparere. Dum enim Cretense gubernium alias litteras ad nationes insulae tutelam habentes mittit, ut suam fidem in adnexione cum Graecia confirmet, Turcicum vicissim litteras mittit, quae desiderium solvendi discrimen aperiant, non ita tamen ut insula a Turcarum ditione auferatur. Qui vero hasce litteras receperunt imprimis curant ut dissensiones inter Christianos Turcasque populi legatos dirimantur, utque illis liceat publici coetus sessionibus interesse, quum tamen inviti ad iuramentum praestandum fidelitatis Graecorum regno, ab his per fas et nefas requisitum, non cogantur. Quid inde si istiusmodi conatus inutiles fiant? Non Gallici gubernii propositum praevalebit, reducendi iterum curae supremi cuiusdam praefecti Cretae insulae procurationem; at Anglici potius, alias bellicas naves mittendi, quae firmam Europae voluntatem aperte asserant.

Dum tamen haec magna cum difficultate cauteque agitantur, en ex improviso factum novum intervenit ad negotium amplificandum: Turcarum dicimus populi iras et impetus in Graecos homines et Graeca commercia, quae omni vi prohibentur. Neque Turcico gubernio ea potestas est, - ut abhinc annos decem in Austriacos - quae huiusmodi imprudentias coercere valeat ac libertatis regimen possit restituere.

***

Franci ci Iosephi Imperatoris iter in Bosniam.

Hisce controversis opponere iuvat triumphale iter quod per Bosniacam gentem recens sibi subditam Franciscus Iosephus, Austrorum Imperator Hungarorumque rex, peregit, ac facile ostendit magnum progressum ab iis populis intra annos triginta factum humanitati regni illius, cuius nunc partem constituunt, unice tribuendum esse. Itaque non est dubium quin iter idem ab Augusto illo sene susceptum, id, ad quod tendebat, fuisse consequutum, civium antiquorum scilicet et novorum animos in unum devincire.

***

Albanensis seditio,

Nihil aliud in Albanensi regione peractum est, ex quo sanguis iterum manaret; ut tandem aliquando concludere liceat publici coetus legatorum sollicitationes et bona officia, tardius licet, at tamen vicisse. Mahmud-Chefket, bellicarum rerum apud Turcas administer, Constantinopolim rediit, ubi navalium quoque administrationem suscepit.

In dolore maxime est providendum, ne quid abiecte, ne quid timide, ne quid ignave, ne quid serviliter muliebriterve faciamus.

CIC., *Tuscul.*, XXIII, 2.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Borussia** Moltke, civilium rerum administer, et Von Arnim, agriculturae praefectus, muneribus suis se abdicarunt. In eorum locum suffecti Dallevitz et Schorlemer, Rhenanae provinciae praesides.

In **Gallia** habita diu de gubernandi ratione disceptatione, Briand, administrorum praeses, proposita sua arcte confirmavit plurimaque suffragia tulit.

In **Hispania**, novis legatis sibi devotis confisus, Canalejas, administrorum praefectus, sub libertatis specie, in catholicorum vero detrimentum, decreta circa constitutionis interpretationem emisit, rogationesque legis discutiendas nunciavit.

In **Hungaria** nova comitia favorabilia omnino gubernio cesserunt, tum Just, tum Kossuth factionibus fractis.

In **Italia** rogatio legis de infima schola provinciae avocanda acriter disputatur.

In **Lusitania** novum administrorum collegium constitutum, praeside Texeira Souza, e « conservatorum » parte, qui nova comitia iudixit.

In **Norvegia** sancta a rege nova lex, qua ius suffragii circa civitatum administrationem mulieribus quoque conceditur.

In **Russia** constitutum ut in Provinciarum conciliis Russici cives numero praepolleant.

In **Serbia** iuris suffragii demutatio rata habita.

PER ORBEM

Die II mens. Iunii MCMX Rolls aviator Britannicum fretum bis feliciter pertransit.

— d. III subaqueus Gallorum linter *Pluviose*, die XXVI mens. Maii cum militibus omnibus in Britannico fretu submersus, undis extrahitur.

— d. V Rhemensis regio in Gallia improvisis imbribus late vastatur.

— d. VII Samnium terrae motu quatitur, magna domorum itemque hominum ruina.

— d. XI Iosepha e Borbonica gente princeps foemina, octuagesimum tertium aetatis annum agens, Neuilly in oppido Galliae moritur.

— d. XIII Lucernae lacus redundans fertur in arva furens atque immensa damna procurat.

— d. XV Bruxellis antiquae artis exhibitio sollemni ritu inauguratur.

— d. XVIII Saenz Pena, Argentinae reipublicae apud Italos administer, civitatis suae praeses renunciatus, ab Urbe proficiscitur.

Neo-Eboracum e longo itinere redux appellit Theodorus Roosevelt, Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis quondam praeses.

— d. XXII Richardus de la Vega, dramatum scriptor apud Hispanos celebratus, Madriti obit.

— XXXIII Bonearensi ex urbe discedit Ferdinandus Martini, qui, Italici gubernii legatus, saecularibus sollemnibus interfuit in Argentina republica a die VIII a. Kal. Iun. per integram hebdomadem peractis ob annos centum feliciter actos, ex quo civitas illa sui se iuris fecit. Inter hospites exteros tum etiam adnumerati sunt Elisabeth, Alfonsi XIII, Hispanorum regis, amita, et Petrus Montt, Chilenae reipublicae praeses.

— d. XXIV Tortonae in urbe, senectute atque pastoralis officii laboribus confectus, vita fungitur Michael a Carbonara, Ord. Min. S. Francisci Capulatorum, praefectus apostolicus Erythraeensis.

— d. XXVI Cattaneo, italus, Rhemensi in urbe, ex aëriae velocitatis certamine victor excedit.

Navalia ad Massiliensem pharum igni absumuntur.

— d. XXVII Eduardus Albertus, Georgii V Anglorum regis primogenitus, Valliensis principis titulo atque insignibus, Londini, sollemni ritu decoratur.

— d. XXIX Wilmbleton, in Angliae oppido, ab hominibus demigrat Ferdinandus Maria, Alenconii Dux, Nemourcensis ducis ex Aurelianensi regia stirpe filius alter, Neuilly natus die XII mens. Iulii MDCCCXLIV.

LIBRORUM RECENSIO

IOSEPH WABNER. — *Skladnia gramatyczna jezyka lacinskiego* [Syntaxis linguae latinae] (Edid. Varsaviae Polon. E. Wende).

Quinam fieri potuit, ut tota latinae linguae foecunda et in omnibus flexibus mentis et cogitationis animi humani tam subtiliter exarata syntaxis in tam exiguo volumine contineatur? Rem nobis ipse auctor in prooemio aut potius introductione illustrat. Quamquam, - inquit - ratio logica una eademque est omnium hominum (aut certe esse debet), unaquaeque lingua aliud sibique proprium, plus aut minus arctum cum lingua latina vinculum syntacticum habet. Unde fit, ut, quo propior quaeque lingua est linguae latinae hac parte, eo brevior genti necessaria est eius syntaxis. Cui bono enim enucleare ea, quae in utriusque linguae syntaxi sunt praevia?

Qua adnotatione auctor nobis est persuasurus linguae polonae syntaxim valde linguae latinae propinquam esse, id quod facile ei consentimus, quum reputamus Polonos prius latine, quam polonice, scripsisse; prima enim eorum opera historica et litteraria lingua latina sunt confecta, ita ut si sub XVI[i] seculi initio (a. 1505) Nicolaus Rej, poeta eorum clarissimus, qui iam exculta lingua polonica praeclare est usus, cum iurgio exclamavit: « Poloni non anseres; suam linguam habent, recte dixerit; sed linguam, quae naturam structuramque syntacticam linguae latinae tot saeculis ante funditus exsorbuit.

Ita quidem perfecte intelligimus, quare syntaxis latina *Polonis a Polono* sua via et ratione scripta multo brevior, quam aliis nationibus, esse possit, et tamen omnibus iis, quae ratione logica et litteraria postulantur, satisfaciens.

Omnibus, quae supra diximus, quid, ut addamus, restat?

Si lingua latina tam propinqua est linguae polonae hac gravissima parte, structura nempe syntactica; si studium linguae latinae ita facile reddunt instrumenta, ut I. Wabneri liber; si, id quod maximi est momenti, primitiva antiqua monumenta et opera gentis latine sunt scripta et tradita: quae natio plus linguae latinae studendum esse censere debet, quam Polonorum?

Modo ne terreat novitas viae et rationis eos, qui Germanos imitantes veteri «rutinae» docendi sunt assueti; quare studium et cognitionem suis reddunt difficiliorem.

W. K.

St. De Backer S. I. — *Institutiones metaphysicae specialis.* Vol. IV: *Theologia naturalis.* (Edid. Beauchesne, Parisiis).

Clarissimus huius de Theodicea operis auctor, in Lovaniensi collegio doctor, apprime tempora sua cognoscere se demonstrat; quod quidem maxime tum ex latitudine qua argumenta de Dei existentia tractantur (pag. 10-98), tum ex confutatione pantheismi (pag. 151-176) facile elucet. Nec itaque timet ut per diligentem analysim in enodando atque ad suum valorem reducendo causalitatis principio diutius moretur (pag. 27-47). Haec quae enunciavimus prima libri pars continet, neque est dubium quin magni habenda sit; plurisque vero haberetur, si disceptatio quoque de novis theoriis ab « immanentiae » doctrina manantibus addita esset.

Praestat deinde tractatio de scientia divina (pag. 177-215), ubi auctor decretis « praedeterminantibus » recte sane, ac sobrie adversatur. Neque ab eo dissentiendum est quum denique de ratione cognitionis circa « futuribilia » agens, inter oppositas propensiones eum Mercier, philosopho illo Purpurato Patre, Belgarum decore, concludit, ignorantiam nostram de re confiteri satius esse.

G. T.

A. Puccini. *L'agnosticismo, ossia il fondamento degli errori moderni.* — (Edid. Pustet, Romae).

In memorabilibus illis encyclicis litteris *Pascendi*, quas Pius PP. X de « modernismo » dedit, agnosticismus quasi fons ac principium errorum hodiernae philosophiae iure indicabatur. Atqui hoc ipsum facili stylo atque concinne Puccinius in parvo hoc libro demonstrat, qui non scientiae opus scribere praesumpsit, sed ita vulgare, ut prae manibus omnium esse possent, quae temere passim nostris diebus a quibusdam, qui sapientiam affectant, de re affirmantur, ne falsa inde opinione decipiamur. Inceptum profecto utile, idque laudabiliter satis exactum.

I. F.

AENIGMATA

I.

Haerentem mihi non Aquilo, non Eure potestis;
Impete sed potis es tollere, Phoebe, tuo.

II.

Thessaliae sum mons Musis sacratus. Omitte
Litterulam; nemoris sum decus usque virens.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHI
DE POETIS EPICIS ROMANORUM
ACROASIS

Aenigmata an. XIII, n. IV proposita his respondent:

1) **Navis - Avis - Vis - Is;** 2) **Vesta - Iis.**

Ea rite soluta miserunt:

I. M. Meunier, *Corbiniaco.* — Alb. Kain; Ant. Whiteside, *Dublino.* — Ioan. Biava, *Bergomo.* — F. Arnori; A. Tonelli, *Mediolano.* — A. Bonnin, *Aureliano.* — F. Correa, *Emerita.* — F. X. N., *Drepano.* — Nic. Lagumina, *Panormo.* — Guil. Schenz, *Ratisbona.* — Ben. Savio; Barth. Ferraris, *Augusta Taurinorum.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio.* — Alb. Catteau, *Lugduno.* — Petrus Tergestinus. — I. Costa, *Dumio.* — I. Rainer, *S. Francisco.* — Ios. Martins, *Philadelphia.* — Eug. Dolmar, *Chicagine.* — Iac. Fernandez, *Mexico.* — Mart. Dunne, *Neo Eboraco.* — R. Richi, *Traianopoli.* — Hern. Forgeot, *Nicaeae ad Varum.* — P. Prado, *Venetiis.* — G. Giani, *Senis.* — Ant. Masia, *Tarragona.* — Clem. Fiard, *Curia Rhaetorum.* — Frid. Horwath, *Vindobona.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — Iac. Menendez, *Madrito.* — Rich. Brondel, *Brugis.* — Raim. Silvan, *Londino.* — I. Ortiz, *Morelia.* — Rich. Müller, *Berolino.* — Lud. Goux, *Bituricis.* - Iac. Cordara, *Parentio.* — Arch. Magliano, *Genua,* — F. Starace, *Neapoli.* — I. Ciolli, *Papia.* — E. Ricci, *Florentia.* — Alb. Perrand, *Lutetia Parisiorum.* — Fr. Guerra, *Aletio.* — Carm. Zlinczky, *Cracovia.*

Sortitus est praemium:

Eugenius Dolmar,

ad quem missum est opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHI
DE ORATORIBUS ROMANIS
ACROASIS

Sponsor: Ioannes Baptista Ciampi, iurisperitus

Romae — Ex officina *Societatis Romanae Editricis.*

(6

ARRAE GORGONIAE

(Cfr. num. sup.)

Atilius suam post turmam equitans arctum vestigium et ipse ingressus est atque ita horridum, ut iam omnes equites ignota suspicione correpti, late silerent, dum frondes ramique humi strata equorum sub ungulis crepitant. Iuvenis tristem locum aliquanto circumspexit, at brevi, graviore qua erat correptus cura, ad memorias rediit praecisae fortunae suae.

Viderat enim infidam virginem inter Florae deae pompas, saginationes Maianas, Arvales supplicationes; inter ferias denique quae, rusticationis tempore, iteratae erant. Succensus crebris colloquiis utriusque amor, tandemque profecta puella ad urbem. Sed haud multo post in Brutiorum litore, Afraniae genti gratissimo rure, adstante Atilii patruo sponsalia solemni ritu inita. Tunc vero ecquis deus horas reddidisset per renidentem sinum deductas, dum ipse remex factus desponsatam virginem per canescentes fluctus cymba circumducit? Eheu tamen! Vespere quodam, dum navicula, laxatis remis, auraeque blandienti permissa, innatat undis, malo ferme suadente fato, armillam auream e sinu togae ipse protulit. Aurea tenia erat, cuius in fimbria. coralio insculptum, Gorgonium caput renidebat. Nihil enim aptius censuerat veteri memoriae Parilium, nihilque puellae pulchritudini conveniens magis capite divino; flavae enim illius comae, orta iam nigricante ex aequore luna, non aliter quam purissimum aurum micabant. At quum ille dilectae puellae enarraret ridens quomodo novam similitudinem animo instituisset, nesciebat plane quam fatale omen Gorgonia illa facies futuris utriusque diebus pararet. Nam per lunare tempus cantiunculae, adflante vento, insonuerunt piscatoriis ex lintris redeuntibus in portum, quorum taedis remissa per liquidam maris faciem ignita vestigia ad fluctus motum tremebant: at his super errantibus splendoribus stellarum fulgor sine numero e caelo geminabatur.

Dulcissima haec dum mente revolvit eques, sustulit revera oculos per nocturnum aëra, ut stellas easdem praesentis luctus obtestaretur. Ecquid autem? Fallebant ne eum veteris vestigia memoriae? Equites omnes, hinc et inde ad iuga montium resupinas defixisse facies videbantur, aiebatque decurio comitanti equiti:

— Numquid exploratores haud praeiverunt agmini?

— Utique plane! Ipse ego quum castra moverentur, Caecilio occurri Germanicum equitatum iubenti millibus passibus praeire.

— Neque nostri simul missi equites?

— Quid mirum? Nemo nostrum loca tam optime callet, ut per haec, quae circum imminent, montium abrupta tutum fecisset iter.

— Cuius sunt igitur noctilucae, quae paulo post ingressas fauces indesinenter nos sunt comitatae?

— Ecquis tute dicat? Germani sunt forte sagittarii, qui silvae tenebras perscrutantur sibique nobisque viam taedis collustrant.

Revera rubescentes, iique ephimeri, veluti lampyridum tum bini, tum terni, modo heic, modo illic, dextra levaque per nigra silvarum iuga splendores apparebant, movebantur, restinguebantur, iterumque eminebant e tenebris quasi agmen taedarum, quas qui gestarent, in valle progrediens constanter agmen sequerentur.

Attamen non idem esse omnibus de re iudicium decurio credidisset, si murmur illud submissum, si dubitantes oculos militum melius considerasset. Unum vero incuriosum vidisset, Atilium, qui rursus iam reclinato capite ad veteres memorias cogitabundus redierat. Nam uno vix post nuptias mense, delectu ad Germanicae legiones iterum habito, beatitudo brevis fracta est. Quintilius Varus legatus, auspice Augusto, novas offensiones in Cheruscos, in Bructerios, inque reliquos barbaros circa Rhenum flumen tumultuantes parabat. Atilius, ut erat equestri ordine, cooptatur in tirones alarum, atque iussus est proficisci in Galliam. Extremum colloquendi spatium in hortulo Vestino iuxta crepidinem in mare prospicientem mane datum. Hesperidum ex arboribus, flante circum zephyro, odores suavissimi effundebantur. Momentum vicissim valedicendi, non secus ac vitae suprema hora tristissimum! Quum advenit famulus omnia nuncians ad profectum parata, digressi sunt sponsi ad viam in litore maris, comitantibus ad salutationem Afranio ipso, et Domitillae sorore, et ancillis. Tunc advenit ecce rapide quatiens campum equus, quem famulus conscenderat, altus, fremens, agilissimus. Obstupescenti iuveni: Hoc tibi — ait puella —, donum et memoria nuptiarum et gloriae auspicium sit: sed cognomine ego Gorgonia virgo, cuius fatalem pulchritudinem meae adsimilasti, Pegasum belluam esse volo. Tu, Pegase, dominum moerenti sponsae incolumem redde. Ego heic te sola maneo, te cogito, te spero: tu, quum redieris, fidelem me praemium victoriae habebis.....

Verax profecto auspicium, constans mulieris animus, sacraque verba! Pegasus cruore suo demersus ipsa nocte occubuerat; armilla nuptiarum pignus data, carissimis ipsis divulsa manibus ad sponsum ignarum reddita; hic utrum ad proelium, an ad mortem properaret incertus, per fatalem noctem desperato animo procedebat.....

V.

In his vox ex uno in alterum equitem per agmen remissa succrevit: « Marcum Vibennam legatus vocat ad se. »

Qui quum se audivit a legato accersiri, incitans equum media per agmina, quo citiore cursu arcta via militibusque densa sinebat, processit. Pervenit tandem ad ducem, qui cum tribunis alarum cohortiumque concitata voce disputabat. Adstitit, retinuitque lora; dumque vibrata hasta salutat:

(Ad proximum numerum).

I. A. Costaggini.

Ann. XIII. Romae, Mense Augusto MCMX Num. VIII.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

DE CONDICIONIBUS
QUIBUS
LATINAE DISCIPLINAE PERCEPTIO CONTINETUR (1)

II.

De prima docendi condicione, quae est scientia docentis, disputavimus; nunc alia venit consideranda, quae est discentium aetas, sive captus. Eandem enim linguam eisdem de causis susceptam idem doctor non eodem semper modo tractabit, sed pro eorum quos erudit aetate, h. e. prout hac vel illac gregis sui captui viribusque institutionem suam accommodare tentabit, aliter in aliis discipulis aget. Haec docendi condicio, quum nunquam non agnita sit, tum nostris temporibus vel maximi est momenti facta, quia aliae disciplinae, eaeque plurimae, locum sibi merito vindicant, ita ut latinus praeceptor quasi eligere atque pacisci cogatur quonam potissimum annos pueriles ad suae linguae studia trahere velit. Scilicet non omnis ambitus annorum scholasticorum huic rei dari potest, sed circiter anni quattuor: ceteros discendi annos alia studia necessario occupant.

Universus cursus institutionis Americanae a primis elementis usque ad universitatem duodecim annis sive gradibus (quos vocamus) plerumque continetur. Ex his octo gradus (qui totidem annis vulgo absolvuntur) ad inferiores scholas, quattuor ad superiores pertinent. In superioribus autem scholis (quae alio nomine *praeparatoriae* saepe appellantur) latina studia habentur. Et quoniam in plerisque regionibus Americae lege sancitum est ut a sexto anno pueri publice erudiri possint, sequitur ut quadriennium latinum ab anno quarto decimo incipi soleat. Hos igitur annos, hanc aetatem, hunc denique intellegendi captum viresque plerique apud nos linguae latinae moderatores ob oculos habere consueverunt.

Ego cum his doctoribus de temporis spatio nullus contenderim. Mihi satis fit, si per eos qui concessi sunt annos prudenter agatur. Etenim et suum cuique rei locum dandum puto et eam aetatem aptiorem latinis studiis esse existimo, quae ad hodiernum statum sermonis latini propius accedit. Antiquis quidem temporibus domesticus fuit sermo latinus et a nulla aetate alienus: iam vero neque domesticus est neque puerilis, sed quam maxime virilis; qui qualis olim saeculis praeteritis matribus, nutricibus puerisque Romanis fuerit ne imaginari quidem valemus. Tamen ad eum probe discendum et memoria firma opus est (quae in parvulis maxime viget) et iudicii aliqua subtilitate, ne ultra modum, immo ne ultra id quod fieri potest, memoria discentium gravetur. Iudicium autem grammaticum in parvulis nullum omnino est; incipit tamen esse in ea aetate, quae in superioribus scholis reperitur, vel paullo antea. Quae quum ita sint, ipse latinus sermo suadere nobis videtur, ut hanc aetatem exspectemus et exspectatam et iam praesentem scite strenueque pro opportunitate suscipiamus, erudiamus, excolamus. Sufficiat igitur nobis, magistri doctissimi, quod nostrum est; aliarum professores artium in amicorum ac sociorum numero retinere studeamus; ad nostram quod attinet partem, in emendandis atque perficiendis docendi rationibus spem ampliorum fructuum constanter ponamus.

III.

De tertia condicione docendi (quae est natura et indoles ipsius sermonis), et olim in *Voce Urbis* me disputare memini et hoc libello in iis, quae supra de aetate proposita sunt iterasse sententiam meam videor. Tamen quaedam subici placet. Scilicet virilem esse latinum sermonem usu, statu, litterarumque monumentis

(1) Cfr. num. vi.

demonstravi; sed absque omni respectu usus et aetatis (nisi forte nutricibus rem latinam permittere atque soli memoriae confidere velimus) illud ab initio usque et per omnia agendum nobis est ut declinandi figuris constructionibusque syntacticis providentissime atque amplissime consulamus. In recentioribus linguis differre grammaticas leges saepius expedit et litterarum formis sonisque cognitis a lectione fabularum faciliorum initia docendi facere: nostris discipulis nulla certa via ad latina patet, nisi ea quae exempla plurimis substernat praeceptis. Exempli gratia, praepositiones latinae sine quibus vix ulla sermocinatio fieri potest, casuum flexus postulant; casus autem ad declinationum varietatem quintuplicem statim ferunt. Atque si quis praeceptor, omissis ad breve tempus praepositionibus casibusque, simpliciores locutiones tradere velit quales sunt: *ignoro hoc vocabulum, praeceptor,* et *quid est hoc?* nemo discipulorum, dum cupit proprio Marte huiusmodi dictiones coniungere, et dicere *ignoro, praeceptor, quid hoc vocabulum sit* soloecismum evitabit. Non enim suspicabitur legem esse qua Indicativus modus in Subiunctivum transeat; sed illico sistendus atque morandus est, donec obliquarum interrogationum quaedam praecepta acceperit. His difficultatibus occurri posse non nego, immo vero, si quid est in me facultatis, eas quodammodo solvisse mihi videor: sed quoquo modo haec res se habet, illud unusquisque nostrum fateatur necesse est, indolem grammaticam linguae latinae non mediocriter determinare quomodo magistris agendum et qualis via ad proposita nostra munienda sit. Sed de hac re iam satis.

(Continuabitur).

Chicagine, Kal. Iuliis.

THEO. T. CHAVE.

PHILOSOPHICAE DISPUTATIONES

MODERNISTAM INTER ET THOMISTAM

Quid involvat iudicium practicum quo voluntas ad actum movetur.

MODERNISTA. — Diutius quam par est, amice carissime, de argumento inter nos hucusque disputato siluimus. Dum igitur feriarum otia Deus nobis facit, colloquium nobis prosequendum, si lubeat, iudico, eo imprimis quod etsi plurima iam discussa fuerint, longe plura tamen enucleanda, ni fallor, supersint.

Id ergo tu colloquio proxime ultimo colligebas, iudicio mere speculativo sive ex natura, sive ex modo, nullatenus moveri voluntatem, sed requiri iudicium omnino practicum, sese ad particularia applicans, imperans hic et nunc agendum esse, vel secus.

Quod sane libenter ego et teneo et concedo. Neque tamen, ut fatear, perspicio qua ratione ad particularia sese applicet iudicium speculativum ex modo, de quo hic solo agendum nobis est, quum iudicium ex natura speculativum naturam propriam evadere nequeat, neque practicum ullimode fieri possit.

Qua in quaestione plurimas difficultates involvi mihi videre videor.

THOMISTA. — Ita sane, amice carissime. Et ego colloquium iamdiu incoeptum alacri animo resumendum puto, ne disputatio nostra ut res infecta dimittatur.

Ex praedictis ergo id colligendo retinemus, scilicet intellectum speculativum, qui ens ut ens contemplatur, abstrahere a bono, seu a ratione convenientis, id est a fine et ab omni agendi ratione, proindeque imparem remanere qui voluntatem ad actum moveat: unde requiritur prorsus intellectus practicus qui esse ut bonum sub ratione boni respicit hic et nunc prosequendi, et proinde contrarium amovendi et respuendi rationem praebeat. Nondum tamen quaestionum et tricarum hic finis.

Quod quo clarius appareat, en exemplum totius rei explanandae, quod, duce Aristotele et Aquinate, nonnulli analysi, quam dicunt, subiiciendum duco.

Non male arguit, qui ita arguit: « Bonum est faciendum: Atqui eleemosynam pauperi erogare est bonum: Ergo pauperi eleemosyna est eroganda ».

Quo in syllogismo prorsus practico tres propositiones, non secus ac in speculativo occurrunt.

Singula autem argumentationis propositio undenam habeatur inquirendum nobis est. — « Bonum esse faciendum » proindeque « malum, ut bono oppositum, vitandum » dictat aliqua facultas humana, quam nullus, neque ipsemet Deus, infringere potest in homine, ita nempe ut creatura rationalis agere velit id quod sibi nullimode convenit.

De huius facultatis nomine nullatenus disputandum videtur, dummodo res ipsa omnino retineatur, iuxta experientiae dictamina.

Veteres synderesim dixere, definiveruntque habitum, seu melius intellectum primorum eorumdemque universalium iuris principiorum. Hodierni et rem et nomen insulse derident et tradunt. At parvi res nobis refert, dummodo facultas illa retineatur, neque cum conscientia aut etiam cum lege naturali male et confuse permisceatur.

Huiusmodi autem facultatis dictamen sic imprimis compendio tradi potest: « Bonum est faciendum, proindeque malum vitandum ». Illa igitur est facultas quae nobis maiorem propositionem praedicti syllogismi eiusdemque practici et exhibet et tuetur.

Id muneris ex natura sua praestat synderesis.

Minor autem propositio, scilicet: « Atqui eleemosynam pauperi erogare est bonum », undenam habetur? Ex rationum pensatione, quae erunt vel ordinis superni, ut, v. gr. Deum iubere ut eleemosyna pauperi erogetur, quasque attingit ratio sic dicta superior per sapientiam; vel erunt ordinis subalterni et inferioris, ut v. gr. ne pauper famem passus ferocior in societatem

fiat, quas per scientiam ratio sic dicta inferior respicit.

Unde minorem praedictam sapientia aut scientia praestabit.

Remanet autem propositio tertia, seu conclusio argumentationis quae haec est: « Ergo eleemosyna pauperi est eroganda ». Quae conclusio praemissas propositiones de bono in omnibus, vel saltem in pluribus distributo, applicat ad bonum particulare hic et nunc agendum.

Cuiusmodi propositio nulla prorsus foret, nisi haberentur praemissae universales seu communes, in quibus quasi continetur, quaeque in conclusione ad factum particulare applicantur, sicut et praemissae inutiles remanerent quoad praxim, nisi per conclusionem applicarentur. Quae applicatio per conscientiam fit, sive de praeterito, sive de praesenti et futuro.

M. — Nonnihil tamen contradictionis involvere assumptum tuum videtur. Dum namque prius tu statuebas iudiciis speculativis non moveri voluntatem, huc tu iterum in voluntatis motionem propositiones universales adducis et inducis, quae tamen a speculativis differre vix asseri possunt.

T. — Attamen, amice carissime, propositiones universales, seu iudicia universalia huc inducta vehementer a propositionibus seu iudiciis speculativis differunt, quibus superius negavimus voluntatem moveri. Ista quippe respiciunt bonum in se et in universali, ut nempe abstractum a singularibus; illa autem bonum respiciunt et contemplantur ut in omnibus vel saltem in pluribus singularibus distributum: unde alterum ab altero quam maxime differt, ut cuique intuenti patet.

M. — Tu eum philosophia tua difficultates egregie solvis, gratiasque ago maximas. Hanc igitur iterum solve, quae mihi sponte occurrit, videlicet non apparere primo intuitu quomodo conclusio, quae est iudicium particulare, deduci immediate possit ex universalibus.

T. — Et reapse iudicium particulare non immediate et per se ex universalibus deducitur, et per unicum syllogismum, sed mediate, id est mediante alio syllogismo, ita ut v. gr. in exemplo superius allato ad conclusionem practicam revera non deveniam, nisi post conclusionem praedictam: « Ergo eleemosyna est eroganda », subsumam: « Atqui panem vel pecuniam huic pauperi hic et nunc erogare, est eleemosyna: Ergo panis vel pecunia huic pauperi hic et nunc eroganda est ».

Unde apparet, ni fallor, quomodo iudicium conscientiae sit conclusio particularis de actibus humanis vel exequendis, vel omittendis.

M. — Quae quasi rerum in partes dissectio maxime mihi arridet, et plurimam rebus ipsis lucem adducere videtur.

Quatuor exinde habentur, te iudice, operationum nostrarum principia, videlicet synderesis, sapientia, scientia, conscientia: quorum tria priora universale quid enuntiant, dum e contra quartum singulare connotat.

T. — Oppido sane! Id ceterum probe advertatur oportet, egregiam exinde apparere similitudinem, seu melius consonantiam speculabilia inter et operabilia, quam notant nostri veteres. Sicut enim nobis in speculabilibus indita sunt a natura principia quaedam, imprimisque contradictionis principium, sine quibus omnes notitiae prorsus ruunt, cum quibus e contra discurritur ad consequentias, haud secus indita nobis a natura sunt in operabilibus quaedam principia, quorum habitum vocamus synderesim, quandoque etiam legem naturalem, quaeque ad particularia mediantibus aliis principiis quasi descendunt ut motivum simul et regula.

Sicut iterum in speculabilibus principium contradictionis, sic enuntiatum: « Impossibile est idem simul esse et non esse, sub respectu eodem », omnibus sive sapientibus sive insipientibus (exceptis, ut ipsi volunt, nonnullis partium Borealium non attendendis philosophis) inest natura, et quidem immutabile, idem semper et ubique sibi constans, haud secus in operabilibus summum ex natura habetur principium, videlicet: « Bonum esse faciendum, malum vitandum », quod omnibus semper et ubique inviolate inditur sapientibus et insipientibus, ita ut nonnisi ex aliqua mala phantasia aut mala philosophia quis sese propter malum in se agere fingat, non autem propter aliquod bonum verum aut apparens.

Quae principia non deducuntur ex aliis principiis, sed ex terminorum enuntiatione patent, indeque evidentia dicenda sunt, eoque certiora et immutabiliora apparent, conclusionesque ex se ipsis deductas, in operabilibus sicut et in speculabilibus, exhibent atque dirigunt: imo et ipsam syllogismi sive speculativi sive practici maiorem propositionem per se constituunt.

Cetera autem principia minus communia, quae in practicis, ut in practicis sistamus, sapientia et scientia audiunt, quasi priorum conclusiones habenda utique sunt: plus tamen minusve aut excellere, aut effulgere, aut offuscari in mente hominum possunt, prout minus aut magis a prioribus elongantur, prout mens hominum vel ingeniosior, vel cultior, vel hebetior fuerit. Inde videmus plures circa praedicti syllogismi eiusdemque practici propositionem minorem vel errare, vel incertiores remanere.

Id tamen adverte, et quidem attente, per principia minus communia, seu sapientiam et scientiam conclusionesque ex istis habitas, nihil moveri voluntatem, nisi amor boni in communi, indeque odium mali in communi habeatur et applicetur; eo quod nempe bonum particulare in communi bono continetur, vel proinde malum particulare bono communi contraire perspiciatur.

Exinde iterum collige principia quibus regitur propositio maior in syllogismo practico, esse communis-

sima; principia autem quibus regitur minor propositio minus communia saltem quoad subiectum esse.

M. — Mihi te quam libentissime audienti, carissime magister et amice, occurrit dubitatio de conscientiae natura et indole.

Tu sane cum tuo Doctore retines ac profiteris conscientiam secus ac synderesim, sapientiam, scientiam, quae habitus sunt, non esse nisi actum intellectus, nullimode autem voluntatis.

Quid igitur tibi videtur de variis aliorum doctorum sententiis, contendentium ac profitentium conscientiam mox esse substantiam extra nos exsistentem, sive communis sit omnium hominum sive propria singulorum, quamque modernistae passim « *subconscientiam* » vocant; mox ex conscientia importari duplicem actum, alium nempe ad intellectum, alium ad voluntatem; vel duos habitus innominatos, quorum unus ad intellectum spectat, alius ad voluntatem.

E. — Ego utique, ut recte suspicaris, cum maioris auctoritatis et antiquioribus sentio: conscientiam nihil aliud esse quam actum rationis humanae sese ad actum exerentis circa bonum particulare exsequendum, vel proinde circa malum particulare vitandum.

Quae sententia experientiae quotidianae consonat prorsus. Ceterae autem definitiones vel mera phantasmata sunt, vel « postulata » non hypothetica solum, sed et absurda, quibus conscientiae munus nomine retinetur, re tamen tollitur.

Actus vero conscientiae multiplex erit pro variis officiis: dum enim praeterita acta respicit, mox âpprobat, accusat, testificatur, remordet, excusat; dum autem praesentia vel futura, obligat, inducit, instigat, prohibet, et sic deinceps.

M. — Siste paulisper, amice carissime. Dum enim tu modernistarum pragmatismum vehementer impugnas, ut audienti patet, eiusdem simul fautor mihi videris; tu enim, modernistarum more, arbitrio conscientiae omnia credis, quae omnia pro libitu, ut lex quasi suprema, iudicat, iubet, prohibet ad nutum. Quod et tu ceterum concedere debes, nisi velis conscientiam libertate sua destitui.

T. — De ista iudiciorum conscientiae libertate fusius infra dicturi sumus, unde a dicendis hic supersedeo. Id tamen contendendum omnino est, scilicet conscientiam non ad libitum iudicare, imperari, prohibere, sed e converso maxima determinatione approbare, vel reprobare, iuxta universaliorum principiorum dictamina, quae ab ipsa nihil pendent, sed ipsi sunt norma et regula.

Neque huiusmodi determinatio libertati officere reputanda est, siquidem voluntas, iudicio conscientiae obsequi vel non obsequi potest, propter alia motiva, quidquid dictet hic et nunc conscientia. Ceteras aliunde rationes infra adferendas hic omitto.

M. — Quid ergo statuendum tibi videtur de variis dictionibus quibus passim designatur conscientia ab nonnullis primi subsellii auctoribus, qui eamdem tradunt non ut actum sed ut potentiam aliquam, vel ut legem naturalem, ut intellectum ipsum, ut ipsam synderesim, etc.?

T. — Denominationes huiusmodi nonnisi aliqua analogia traduntur. Dicitur enim quandoque synderesis, quia ex synderesi tamquam ex principio summo deducitur actus qui est conscientia; quandoque lex naturalis audit, quia legem naturalem ad particularia applicat; imo obiectum ipsum vocatur conscientia, ubi aperire conscientiam dicimur; demum vocatur intellectus, eo quod sit intellectus actus, prout importat intellectus iudicium de particularibus vel admittendis, vel respuendis. Etsi autem dicatur potentia, habitus, obiectum, principale tamen significatum nihil aliud est quam actus, qui est conclusio practica particularis circa actus humanos.

Id aliunde, si magis libeat, nobis pro intento nostro hic sit satis quod iudicium in practicis bifariam dividitur, in universale nempe et particulare, ita ut iudicium universale minime sufficiat ad voluntatem humanam movendam, sed requiri omnino iudicium particulare quo applicantur ad particularia notitiae universales.

Sed colloquio nostro hodie finem imponamus, infra dicturi de iudicio libero vel non libero, ubi Deus id concesserit.

I. I. B.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Tricae — Apinae.

Tricas et Apinas vulgo res futiles ac nugatorias Latini dicebant; unde et *tricari* idem ac « nugas agere », est apud Ciceronem (*Ad Atticum*, lib. XV). Adagium ab eventu natum. Nam Tricam et Apinam oppida fuisse quondam Apuliae demonstrat Plinius (*Hist. nat.* III, 11) referens Europae sinus.: « Diomedes - inquit - ibi delevit gentes Monadorum Dardorumque, et urbes duas, quae in proverbii ludicrum vertere, Apinam et Tricam ». — Stephanus ostendit Tricam urbem fuisse Thessaliae, id nominis sortitam a Trica, Penei filia. — Nonius Marcellus tricas impedimenta et implicationes interpretatur a pilis quibus involvuntur pulli gallinacei; unde dictum sit *extricare* et *intricare*. — Lucilius apud eundem *Tricones* appellat, qui nugis homines remorentur; et *Tricinus* quaestus pro tardo, seu sicco. — Ceterum quamvis non negaverim in voce adlusum ad pilos, ab oppido dictum proverbium, vero propius est.

Spatio deficiente, ad proximum numerum:

De Syllabi Pii PP. X

propositione LVI

Scripsit R. Fei.

FINE ORBIS APPROPINQUANTE...

Haud frustra quondam sancti cecinere prophetae:
" Illa dies veniet, mundus qua cardine praeceps
Decidet ac demum procumbet maxima moles
Sustentata diu, stabitque caligine caelum
Ignibus exstinctis atra, lapsuque inopino
Et polus et tellus, quidquid mortale peribit...
Sidera sideribus concurrent; ignea pontum
Astra petent, celeres circum flammaeque micabunt...
Hinc violentus enim Boreas erumpet ab antris,
Turbidus hinc auster diffundet ab aethere nimbos.
Talia dum accedant divini signa furoris,
Parcite litigiis, humanas spernite curas,
Contemerare manus nolite, Deus vigil alto
Praemia magna piis tribuet scelerumque ministros
Mulctabit poenis, tenebroso in carcere claudens.
Hinc vos noxarum pigeat, longoque dolore
Plorantes, veniam cuncti prope limina templi
Assiduis precibus, mortales, poscite Numen. ,,
Turba tremit dictis, pallescunt ora, salutem
Aeternam quisquis meditans sua gaudia linquit...
Quid secum fingit? pavidus quid praevidet illis
Vocibus? horrescit quaenam praesagia mortis?
Iam cernit trifidos elisos nubibus ignes,
Aethera concussum nimbis, et gurgite aquarum
Res cunctas rauco permixtas murmure circum...
Saecla tamen fugiunt, tenebras lux excipit alma:
Tristibus e sulcis succrescunt germina vitae;
Villicus incurvo glebas exercet aratro,
Falceque discindens flaventia frugibus arva
Rure suo gaudet, gnatis et coniuge fida.
Quando ruet mundus, tota compage soluta?
Sidera sideribus concurrent quando? voracis
Aestibus et flammae tellus consumpta iacebit?

. . . .

Ultima iamque dies miseris mortalibus instat,
Ingruit heu toti tempestas horrida mundo!
Scriptum est — haud possunt vates nunc dicere falsa —
Alite cum cursu fugiet millesimus annus,
Horaque bis quinae aetatis suprema sonabit,
Machina divulsi desistet motibus orbis...
Tunc matutinas aevi candere sequentis
Roscida non poterit gradiens Aurora per umbras:
Non sol auricomus lucem diffundere ab axe,
Non hominum, longe non vox resonare animantum.
Omnia mors etenim crudeli funere merget.
Vindex ira Dei deformia spectra ferarum,
Grandineos imbres, morbos et tortile fulmen,
Bellaque, perniciem celso demittet Olympo.
Heu, heu, mortales, gemitus advolvite caelo,
Sint procul illecebrae, fraudes, turpisque voluptas:
Spernite divitias, funestaque commoda vitae,
Mollitiem, luxum, ardentes et fronte pyropos.
Qui fuerit simplex, tantum caelestia adibit
Limina, quique dies casula traduxit egenus.
Templa manent, sacras confestim currite ad aedes:
Hic superûm sator, Omnipotens, ieiunia poscit,
Vota, precesque, pios sensus, suspiria, fletus.
Quae mora tanta tenet? cur non instantia fata
Terribilesque minas lacrimis avertere vultis?
Tum vero egelidus mixto sudore per artus
It tremor, et pulsae saliunt sub pectore venae:
Nullus in ore color, rigidi stant vertice crines.
Flebilibus clamant homines, puerique, puellae
Vocibus, inque viis marmor ceu quisque rigescit...
Tempus adest, vatum iam iam praedicta sacrorum
Implentur, celeri et cursu decreta supernis
Pernicies aulis concrescit spicula vibrans.
Quid fit? spernuntur nummi titulique superbi,
Templa petunt omnes, nigris sub vestibus, atque
Acribus exercent stimulis et verbere membra.
Iamque negant somnum multi sibi, stragula, mensas,
Dulce quid immodice captabant faucibus ante,
Et cinere aspergunt fusos sine lege capillos.
Sunt qui magnificas linquant, formidine victi,
Aedes et surdi precibus votisque suorum
Effugiant procul, in rupes nemorumque recessum.
Hunc iuvat aut saetis aut aspro includere villo
Corpus et insomnes solidae per tempora noctis
Invigilare, solo summisse poplite fixo.
Deducunt alii pompam comitante caterva
Funeream populi; passim simulacra feruntur
Per vicos, camposque, vias; altaria thure
Fumant et donis amplis ornantur in horas.
" O Deus Omnipotens, nostris illabere votis:
Siste minis, in nos meditatae parce ruinae.
Improba mens ausa est - miserum! - tua temnere iussa
Et leges violare tuas; peccata, fatemur,
Fecimus, heu fratrum temerata est sanguine dextra!
Tu tamen, aeternus Genitor, nos eripe morti,
Parce tuis famulis, mitisque orantibus adsta. ,,
Talia fata, secat demens sua tergora flagris
Turba; comis vulsis nigros discindit amictus

Infectisque genis tristi pallore vagatur.
Auri sunt autem donent qui pondera templis,
Gemmarum textus, quidquid complectitur arca.
Invidet en locuples misero, laudatur egestas,
Culcita pervili mutatur plumea strato.
Quidne iuvant nummi, quid lata palatia prosunt,
Si mors impendens componet cuncta sepulchro?
Felix paupertas! cui pax delapsa per auras
Sidereo semper perfundit nectare vitam!...
His iter ingressus dives Florentius ille
Sensibus, aulaeis cuius penetralia fulgent,
Coenobium pergit, saxoso vertice structum.
Mox ubi pervenit, conspersus pulvere crines,
— Barba senilis erat, propexa ad pectus, et orbes
Luminis humentes, facies contractaque rugis;
Nodoso incumbit baculo, persquallida vestis
Protegit et saccus curvis dependet ab armis —
Sic tremulis labiis loquitur conversus ad almum
Rectorem, senium vires cui corpore servat:
" O venerande pater, divini iussa magistri
Qui sequeris Christumque foves in pectore Iesum,
Supplex en adsum, clemens succurre labanti.
Multarum rerum dominus, castella per urbes
Possideo quotquot cernis, gemmantia prata
Ruraque, sublimes tectis regalibus aedes
Marmoreis ubi vasta nitent coenacula crustis.
Complures parent famuli, mandata facessunt,
Me gens patricia veneratur origine cretum...
Ast ego divitias, torques gemmasque relinquo,
Ut liqui dulces natos et tecta parentum.
Cuncta tibi dono, pater, haec mea: sume benignus
Sospitet o utinam, magna properante ruina,
Me summus Rector caelique admittat ad aulam! ,,
Dixerat et dextra pulsavit pectus anhelum.
Tunc pater ad superas auras sua brachia tendens,
Huc illuc oculos volvit suspensus et errat:
Iam modo prolixae deflectit vellera barbae,
Iam modo suspirans trahit imo pectore vocem;
Denique complexu cingit colloque lacertos
Dat miseri, nondum effuse qui flere quiescit.
" Sospes eris, fili, patienter et accipe sortem.
Grata Deo superisque nimis quae sponte dedisti.
Ne timeas, inquit, vitam commissa luendo
Caelesti in patria dabitur tibi carpere laetam... ,,
His fidens dictis surgit Florentius inde,
Laetitia exsultat, dextrae patris oscula figit
Inclinansque caput sancto discedit ab ore.
Sic ultro pauper factus ditissimus, ecce
Fusus humi et stipulas inter proiectus agrestes,
— Heu heu! cui stat scabra silex supposta iacenti! —
Decumbit luctuque trahit sua tempora vitae.
Ille plagas vero securus inambulat altas,
Affigitque polo mentem sensumque sequacem,
Atque animae vegetas per amica silentia vires.
Hoc tenet exemplum complures: sordida egestas
Eligitur, longique dies labuntur eremo.
Tunc homicida latens silvis raptorque cruentus
Abstinet insidiis, furtis, linquitque cavernas.
Quos animos atrox feritas duraverat ante,
Relligio flectit, pietas et reddit amicos.
Mutantur mores: regnat clementia tantum.
Sontibus et iugulo dignis ignoscitur ultro,
Non locus est odiis, bellum pax Marte tremendum
Iam premit ac sociat varias concordia gentes.
Sic inter querulas voces moestumque timorem
Ecce dies mundi perituri summa propinquat...

. . . .

Vesper adest, tristis properant iam fata diei.
Ingeminat voces populus, clamatque gemitque.
Miscentur lacrimae, tunduntur membra flagello.
Heu nostri miserere Deus, diverte periclum!
E casulis, campisque viis it clamor ad astra.
Congesti in plateis, homines se voce salutant
Extrema, nutant oculis, frendentque manentque
Ossea spectra velut tabidaeque simillima morti.


. . . .

Nox tandem venit et tenebrae densantur opacae,
Ultima nox — miserum! — qua caelis astra micabunt!
Non somnum suadent tenebrae, non umbra quietem,
Non oculi languent fessi victique sopore.
Dulce reflant aurae, rutilum vehiturque per axem
Delia, fulgentemque implet longinquior orbem.
" Finis adest, longe graditur iam crassa caligo:
Auster agit pluvia foetas tonitruque procellas...
Commorimur! quisquis tacito sic corde volutat... ,,
Interea lunae tremulis iubar ignibus ardet,
Per noctem blandis spirant efflatibus aurae
Astraque caeruleo volvuntur lucida mundo.
Hora fugit, vigiles et nox abitura labores
Iam vocat: en vasto tollens se gurgite Phoebus
Terrarum caelique plagas illuminat omnes...
Num tellus collapsa ruit? num decidit orbis?
Horridaque et monstris alte patuere barathra?
Heu timor! heu falsis per inania somnia capta
Mens hominum misereque superstitiosa figuris!
Ipsa suis haeret tellus radicibus et stat
Mole sua fundata: polus dispandit et ipse
Numina stellarum laetis splendentia flammis
Deliciasque suas praebet Natura creatrix.
Hinc, homines, animi pavidas dimittite curas
Perque dies nullis stimulis mens conscia pungat.

Marcus Galdi.

Passio Christi in scenis acta ad Oberammergau

Trans Monachium, Bavarorum urbem caput, meridiem versus, trium horarum itinere ab urbis moenibus, Oberammergau oppidum prima Alpium iuga, in Amber fluminis valle, circumeunt. Incolae montani plerumque, moribus integerrimi, viribus praevalidi, bis millia numerum nondum attingunt; domus, quas inhabitant, humiles, complanato tecto, ingentibus heic vel illis saxis compresso, laetis, vel sacrarum imaginum, vel agrestium, coloribus renident. Lignea sculptilia oppidanis fere omnibus ars, qui cruces, sacras imagines, Rosarii granulos indesinenter, mira calliditate, effingunt sedulaque patientia scalpunt. Chronicon exstat, tribus fere abhinc saeculis redactum, anno videlicet 1620, quo iam Oberammergau incolae, prouti arte scalpendi ligna peritissimi, magnis laudibus cumulantur. Quae quidem pietatis obiecta, simplici atque ingenua arte efficta, mercatores in Austriam atque in Tirolenses deferunt, et, non sine lucro, venalia faciunt. Contigit inde rusticis diffusa laus; at eorum fama minus late ferme insonuisset, absque sacro *Passionis mysterio (Passionsspiel)* quod ipsis in decennium solemne est, et his diebus agitatur.



Rei antiquitas minus abest quam quis forte crediderit; origines contra notissimae sunt hisque praesertim diebus cuique compertae. Anno 1633 teterrima pestis lues Bavariam depopulabatur. Oberammergau oppidum, montibus circum occlusum, nullum adhuc morbi detrimentum expertum fuerat, neque extraneum ullum suis in finibus morari hac de causa tolerabat. Accidit autem, inopinato, ut die dedicationi oppidani templi sacro *(Kermesse)* operarius quidam e finitimis gentibus, detorta via, sese in portas immiscrit, ut feriis adesset. Vir autem morbi tabe correptus, eam statim civibus communicavit, quorum brevi quatuor et viginti, dira morte confecti, occubuere Tunc votum Deo universa rusticorum plebs vovit, ut flagellum a suis finibus arceret, sese filios nepotesque, in ultimum usque aevum, publicum ludum quotannis habituros, in finitimorum bonum exemplum. Excepit benigne Deus supplicum preces, qui inde per quadraginta annos, ad annum usque 1680, promissa fidelitate exsolverunt.

Attamen, ob ingentem pecuniam quam ad solemnes ferias impendere opus erat, decimo quoque anno eas haberi deinde constitutum est; immo anno 1780 Bavariae, qui dicebatur, Elector oppidanis privilegio adscripsit, ut, reliquis omnibus civibus exclusis, ipsis tantum ius earum solemnitatum esset. Confirmavit haec Iosephus rex, anno 1810, iterumque Ludovicus I et II, qui ei successere, quorum alter regionis solitudinem carissimam habebat, et Linderhof palatium decem millia passuum ab oppido sibi constituerat.

At longe vetustiores libri, qui scenicam actionem ad amussim describunt; quorum alterum manu scriptum in Nationali Monachiensi bibliotheca Hartmann doctor reperiit, hoc titulo *Tragedj auss der heyligen Schrifft, von dem Leyden und Sterben, auch die Aufferstehung unseres Herren Iesu Christi*, quod est *Tragoedia e Sacris Scripturis deprompta circa passionem et mortem et resurrectionem Domini nostri Iesu Christi.* Est alter a quodam Sebastiano Wild sarcinatore conflatus, quem Augsburgenses cives in ludimagistrum deinde, atque in cantorum suae civitatis collegium adsciverunt, ita ut



Dramatis personae ad Oberammergau.
(A. Lang, qui Christi partem agit, in officina sua fictili operi intentus).

plane intelligatur qua de causa eius sermo versibus distinguatur more cantorum descriptis, qui media aetate floruerunt.

Has vero versiones aliam cum alia in Ettalico monasterio Patres a Societate Iesu composuerunt, atque vulgarunt, etsi deinde, quoties iterata actio est, toties multa revisa, multa addita, dempta atque immutata fuerint.

Praecipuam revisionem operis tradunt a Ioanne Aelbl sacerdote peractam, qui primus hominis animam cum Iesu colloquentem invexit. Saeculo autem XVIII Ferdinandus Rosner e Societate Iesu « exhibitionem » addidit, sive viventes, uti aiunt, tabulas ex Antiquo Testamento depromptas, itemque sex geniorum chorum, quem choripheus moderabatur.

Dubia et quaestiones, saeculo XVIII delabente, circa sacras huiusmodi actiones excitata, multa praecidi abradique expostularunt, quousque anno 1811 et 1815 Ottmar Weiss, Ettalii parochus, rem radicitus reformavit, Rocho Sedler oppidi ludimagistro adiuvante, qui musices concentus in volumine adnotavit. Fuit autem princeps Weissii consilium, ut Christi passionem per scenicas actiones exhibens, iuxta Evangelii dicta ad unguem faceret, tabulasque ex Vetere Testamento excerptas singulis praemitteret, quas geniorum chorus gestu et vocibus commentaretur. In sermone autem soluta oratio antiquis versibus suffecta est, atque huiusmodi revisio, etsi Deisenberger parochus nonnulla et ipse innovaverit, integra tamen vel hodie exhibetur.

Sunt autem in textu pulcherrima multa, sunt et mediocria itemque inepta, de quibus libelli innumeri disseruere. At immutationum eius historiam, religionis pietatisque sensus, prouti in montanis illis populis diutissime viguere, perbelle comitantur, qui a decennio omnes incumbunt, maxima fide ac studio, ut sacrae actioni sese, moderantibus parochis, praeparent, sacrorumque librorum spiritu imbuant.

Theatrum immane quatuor millia spectantium multitudini patet. Scena, ad decimi octavi saeculi stilum exstructa, quinque in partes dividitur, quarum media, velario occlusa, cum circumstantibus componi brevi potest; sunt autem ad latera Pilati et Caiphae domus. Proscenium latissimum choro et multitudini sternitur; Alpium denique candidi vertices, nitidumque caelum, parietem ultimam scenae praebent.

Actio a nona usque hora ad decimam septimam producitur, vix mora unius horae ad meridiem intermissa, et quatuor in partes distinguitur, in decem et octo actus divisas, quibus et duplex prologus adiicitur. Prima ex ingressu Domini in Ierusalem usque ad capturam in Gethsemani, secunda usque ad examen coram Anna Pontifice, tertia usque ad Christi mortem res complectitur, quarta a resurrectione ad ascensionem.

Laudaverunt multi quanto studio quantaque diligentia Bavarorum rustici suis personis gerendis intendant, qui iam sese existimare videntur haud quidem fideles tantum votum maiorum explentes, sed veluti electum quemdam populum inter incredula atque impia saeculi scelera ad fidei missionem gerendam vocatum. Inde quicumque tum ex veteris, tum ex novi orbis regionibus ad Oberammergau hoc tempore advenerint, sive fideles sunt, sive increduli, Passionis huiusmodi indelebilem memoriam asservant.



Dramatis personae ad Oberammergau
Petrus Apostolus.

IACOBI BALMESII

CENTENARIA COMMEMORATIO

Vici, clarorum virorum natalis humi, quinto kalendas Septembres anni millesimi octingentesimi decimi, primae limina lucis Iacobus Balmesius iniit. Primo ergo exeunte saeculo a nativitate viri, qui maximi philosophi firmique sacrae Religionis vindicis nomen iure meritoque sibi acquisivit, ipsum, brevi licet spatio, commemorare in hoc bonarum artium commentario opportunum duxi. Quae enim pro tuenda Religione sacra suffultus fide ac recta innixus ratione exquisite ille edidit; quae circa distinctos humanos ordines gradusque ingeniosus scripsit; quae adversus homines illos qui Deum populosque noxiis doctrinis suo praesertim tempore petebant, irretorquenda logica, veritatis gratia manifesto in lumine pandendae typis mandavit, aere perennius monumentum ei exegerunt.

***

Diversae ius opera, quae in varias translata linguas patulum percurrunt orbem, perlegat quisque, et quod vocetur recte *victor mentium, ignis effulgens, Doctor humanus, Sanctus Pater recentiorum temporum....* sibi satis suadere proprio facilique labore poterit. Animorum namque instinctum penetrare dexter vimque mentalem, in philosophicis rebus, moralibus atque civilibus scholarum perennes is colligit plausus, dum ab ipso, sidereo splendore comitante, inducta norma studium ubique mirifice pascit, et sublimiori intelligentiae, quem sibi potenter attrahit, magnae est admirationi atque amori. Hinc philosophia eius *elementaris* et *fundamentalis;* hinc *criterium*, a quodam praeclaro Ecclesiae Praesule « codex recti iudicii » iuste nuncupatum; hinc innumerabilia scripta super rebus ad civilia communiaque pertinentibus, quae e studiosae multitudinis manibus, et Statuum rectorum, vera qui rectaque amant, excident numquam.

***

Novatores, caeca captos superbia, licentia indomita favente, a saeculo abhinc decimo septimo praecipue, sacratos mitesque populorum mores funditus perdere, Communitatis ordines delere cunctos, atque alteram, Superni hostem, gentibus mille suadere dolis normam conatos fuisse cuique optime cognitum est. In hisce rerum adiunctis, vecors haereticorum fides, malignitatis pondere nimis gravis, partum exsecrandum in populos, quos *Latinos* vocant, eiicere ita pro viribus nisa est, ut nonnisi *Agnosticismo*, multiplici contexto errore, eosdem populos universasque gentes nefando impetu sibi vindicatura videretur. In hos Balmesii maxima praesertim eaque victrix contentio.

Namque, aliis praetermissis, quae ad illorum temporum historiam pertinent, solvas precor, praeclare lector, cogitationis habenas, dilates intellectus fimbrias et describas apud te in animo excellentiam, egregiosque effectus aeterni Balmesii libri, cui titulus: *Catholicismus cum Protestantismo comparatus*, et indubitanter aeterna grati animi significatione insignem scriptorem Vicensem recoles, at-



Dramatis personae ad Oberammergau.
Iudas Iscariotes.

que ingenium perenni laude insigne amore dignum libenti animo perpetuo agnosces.

Fulgentissimi enim solis instar, quas tartareus furor mentibus suffundere nitebatur devii erroris tenebras Balmesianus repellit fulgor, ac fatale *Reformatorum* monstrum comminus obterit, insigni atque scientifico splendore in tenebrosa regna profligatum. Ita enim Vicensis corusca stella, face irradians perenni, comminata tot mala longius profundit, ita calore eius sapientium turbae pertrahuntur, ita splendore suo, nullis nubibus cedente, *recti* dotibus propriis ornato, pulchri iuris decus, aequa Fides atque potestas praelucent, ut nonnisi

tetra tenacitas, spreta veritate, procax audeat ac possit.

Unde iure merito Balmesii ingenii acumen miris elatum est laudibus; ecce cur ultro ipsum, lumen eximium assiduo daturum, dicunt grata Fides ac Scientia; ecce cur ipsum iura dantem perenni laude populi ferent.

***

Quae quum ita sint, nemini mirandum non accolas tantum divino quasi eius afflatu duci, sed omnes etiam litteras studiis colentes; ita ut longos communi consensu cumulare festinent honores ad splendidius festum centesimi anni nativitatis primi *apologistae* saeculi decimi noni agendum, et ad *philosophi Vici*, per antonomasiam vocati celebrandam excellentiam. Debitae suffragaturus laudi humanissimi Magistri, cuius memoriam nulla temporum fuga delebit, *Coetus Apologeticus* ex omnibus Universi partibus, ab initio creatus est. Ad cuius quidem conventus, a die septima ad undecimam usque Septembris mensis celebrandos, digniorem splendorem consequendum, plurimorum Episcoporum adhaesiones atque opportunissimae litterae, quae doctrinae amatoribus magno incitamento fuerunt, eximium patrocinium favoremque praestitere; cui propterea illustrissimi viri Urbis et orbis nomen iam laetissimi dederunt.

Dum denique a solis ortus cardine ad ultimum usque terrae limitem, populorum debitas laudes ac meritos honores erga virum exposcimus, qui ipsis inextinguibili lumini est, tum circa Religionem, tum circa Scientiam, tum etiam circa res publicas; vindici Fidei ac morum, sideri veritatis radios semper vibranti, almae pacis satori, firmissimo item ac dulcissimo sacerdoti, aeternae gloriae hymnum ipsi nos praecinimus.

Scrib. Vici Ausetanorum.

I. FONTS.

ACTA PONTIFICIA

SS. D. N. Pii PP. X litterae encyclicae ob sollemnem Caroli Borromei commemorationem, abhinc annos CCC in Sanctorum album relati.

(Cfr. num. sup.)

In hoc tam nefario stultoque bello, cui commovendo dilatando socii et adiutores potentes accedunt interdum vel ipsi, qui Nobiscum facere Nostrasque tueri res deberent prae ceteris; in forma errorum adeo multiplici vitiorumque illecebris tam variis, quibus utrisque haud pauci etiam e nostris blandiuntur, capti specie novitatis ac doctrinae, aut inani spe ducti, Ecclesiam posse cum aevi placitis amice componi, plane intelligitis, Venerabiles Fratres, nobis esse strenue obsistendum, iisdemque nunc armis excipiendum impetum hostium, quibus olim usus est Borromeus.

Primum igitur, quoniam ipsam, veluti arcem, impetunt fidem, vel eam aperte denegando, vel impugnando subdole, vel doctrinae capita pervertendo, haec a Carolo saepe commendata meminerimus: « Prima et maxima Pastorum cura « versari debet in iis quae ad fidem catholicam, quam S. Ro« mana Ecclesia et colit et docet, et sine qua *impossibile* « *est placere Deo,* integre inviolateque servandam perti« nent » (1). Et rursus: « In eo genere... nullum tantum « studium, quantum certe maximum requiritur, adhiberi « possit » (2). - Quapropter « haereticae pravitatis fermento », quod nisi cohibeatur *totam massam corrumpit,* hoc est pravis opinionibus ementita specie irrepentibus, quas in unum collectas *modernismus* profitetur, sanitas est opponenda doctrinae et reputandum cum Carolo: « quam summum in hae« resis crimine profligando studium et cura quam longe « omnium diligentissima episcopi esse debeat » (3).



Dramatis personae ad Oberammergau.
Ioannes Apostolus.

Haud opus est equidem cetera verba referre sancti viri commemorantis Romanorum Pontificum sanctiones, leges, poenas in eos antistites constitutas, quibus purgandae dioecesis ab « haereticae pravitatis fermento » esset cura remissior. Nonnihil tamen iuverit ad ea quae inde concludit diligenter attendere. « Proinde, inquit, in ea perenni solli« citudine perpetuaque vigilia episcopus versari in primis « debet, ut, non modo pestilentissimus ille haeresis morbus « nusquam in gregem sibi commissum irrepat, sed omnis « plane suspicio ab eo quam longissime absit. Si vero for« tasse, quod pro sua pietate et misericordia Christus Do« minus avertat, irrepserit, in eo maxime elaboret omni ope, « ut quam celerrime depellatur: quique ea labe infecti erunt, « vel suspecti, cum illis agatur ad canonum sanctionumque « pontificiarum praescriptum » (4).

(1) Conc. Prov. I, sub initium. — (2) Conc. Prov. V, Pars I. — (3) Ibid. — (4) Conc. Prov. V, Pars I.

Verum nec propulsari possunt errorum contagia nec praecaveri, nisi in recta cleri populique institutione pars curarum ponatur maxima. Nam *fides ex auditu; auditus autem per verbum Christi* (1). Veri autem omnium auribus inculcandi necessitas nunc magis imponitur, quum per omnes reipublicae venas, atque etiam qua minime crederes, serpere cernimus malum virus; adeo ut ad omnes hodie pertineant adductae a Carolo causae hisce verbis: « Haere« ticis finitimi nisi in fidei fundamentis firmi fuerint ac sta« biles, summopere verendum esset, ne forte ab eis in ali« quam impietatis ac nefariae doctrinae fraudem facilius « adducerentur » (2). Nunc enim, expeditioribus itineribus, quemadmodum ceterarum rerum, ita etiam errorum sunt aucta commercia, proiectisque ad licentiam cupiditatibus, in prava societate versamur, ubi *non est veritas... et non est scientia Dei* (3); *in terra quae desolata est... quia nullus est qui recogitet corde* (4). Quamobrem Nos, ut Caroli verba usurpemus: « multam hactenus diligentiam adhibuimus, ut « omnes ac singuli Christi fideles in fidei christianae rudi« mentorum institutione erudirentur » (5); eademque de re, tamquam de negotio gravissimo scripsimus Encyclicas Litteras (6). Etsi vero nolumus et illa Nobis aptare, quibus inexplebili desiderio flagrans Borromeus queritur, « parum « huc usque profecisse tanta in re »; nihilominus eâdem, qua ipse, « negotii periculique magnitudine adducti », addere stimulos velimus omnibus, ut, Caroli similitudinem arripientes, pro suo quisque munere aut viribus, in christianae restaurationis opus conspirent. Quare meminerint patres familias ac domini, quo studio pastor ille sanctissimus eosdem constanter monuerit ut liberis, domesticis, famulis addiscendae christianae doctrinae, non solum copiam facerent, sed etiam onus imponerent. Clericis pariter memoria ne excidat, in fidei rudimentis tradendis a se operam dandam esse curioni; huic vero studendum, ut eiusmodi scholae suppetant plures, christifidelium numero ac necessitati pares et magistrorum probitate commendabiles, quibus adiutores adsciscantur honesti viri aut mulieres, prout Mediolanensis ipse praescribit antistes (7).

Christianae huius institutionis aucta necessitas, quum ex reliquo nostrorum temporum morumque decursu eminet, tum vero potissimum ex publicis discendi ludis, omnis religionis expertibus, ubi sanctissima quaeque rideri voluptatis loco fere ducitur, aeque pronis ad impietatem et magistrorum labiis et auribus auditorum. Scholam dicimus, quam *neutram,* seu *laicam* per summam iniuriam appellant, quum non sit aliud nisi tenebricosae sectae dominatus praepotens. Novum hoc praeposterae libertatis iugum magna quidem voce et bonis lateribus denuntiastis vos, Venerabiles Fratres, praesertim in locis ubi audacius proculcata sunt iura religionis ac familiae et oppressa naturae vox imperantis ut adolescentium candori fideique parcatur. Cui calamitati ab iis illatae, qui, quam ab aliis oboedientiam exigunt, eandem supremo rerum Domino recusant, quantum in Nobis est medendum rati, auctores fuimus ut scholae religionis opportune per urbes instituerentur. Quod opus quamquam hactenus, adnitentibus vobis, satis bene prospereque processit, nihilominus magnopere expetendum est ut in dies latius proferatur, hoc est ut eiusmodi magisteria et pateant ubique complura et praeceptoribus abundent doctrinae laude vitaeque integritate commendatis.

Cum hac primordiorum saluberrima disciplina valde coniunctum est officium sacri oratoris, in quo memoratae virtutes multo magis requiruntur. Itaque Caroli studia et consilia provincialibus in Synodis ac dioecesanis eo potissimum fuere conversa ut concionatores fingerentur, qui *in ministerio verbi* versari sancte atque utiliter possent. Quod idem, ac forte gravius, quae modo sunt tempora postulare a nobis videntur, quum tot hominum nutet fides, nec desint qui, captandae gloriolae cupidine, ingenio aetatis indulgeant, *adulterantes verbum Dei,* vitaeque cibum subducentes fidelibus.

Quamobrem summa vigilantia cavendum nobis est, Venerabiles Fratres, ne per vanos homines ac leves vento pascatur grex; sed ut vitali alimento roboretur per *ministros verbi,* ad quos illa pertinent: *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos: reconciliamini Deo* (1); — *per ministros et legatos non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis, commendantes semetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo* (2), — *operarios inconfusibiles tractantes verbum veritatis* (3). Nec minus usui nobis erunt normae illae sanctissimae maximeque frugiferae, quas mediolanensis antistes, Paullinis verbis expressas, commendare solebat fidelibus: *Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis* (4).

Ita *sermo Dei vivus et efficax et penetrabilior omni gladio* (5), non solum ad fidei conservationem ac tutelam adducet, sed etiam ad virtutum proposita mire animos inflammabit; quia *fides sine operibus mortua est* (6), et *non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur* (7).

Atque hac etiam in re cernere licet, utriusque instaurationis quam sit ratio dissimilis. Nam qui falsam propugnant, ii stultorum imitati inconstantiam, praecipiti cursu solent ad extrema decurrere, sive fidem sic efferentes, ut ab ea recte agendi necessitatem seiungant, sive in sola natura excellentiam omnem virtutis collocantes, remotis fidei ac divinae gratiae praesidiis. Quo fit ut, quae a naturali honestate ducuntur officia nihil sint aliud nisi simulacra virtutis, nec diuturna illa quidem, nec ad salutem satis idonea. Horum igitur actio, non ad restaurationem disciplinae, sed ad fidei morumque eversionem est comparata.

Contra qui ad Caroli exemplum, veritatis amici minimeque fallaces, salutari rerum conversioni student, hi extrema devitant, neque certos excedunt fines, quos ultra nequit instauratio ulla consistere. Etenim Ecclesiae eiusque Capiti Christo firmissime adhaerentes, non modo inde robur vitae interioris hauriunt, sed exterioris etiam actionis metiuntur modum, ut sanandae hominum societatis opus tuto aggrediantur. Est autem proprium divinae huius missionis, in eos perpetuo transmissae qui Christi legatione functuri essent, *docere omnes gentes,* non solum ea quae ad credendum, sed etiam quae ad agendum pertinerent, hoc est, uti Christus edixit: *servare omnia quaecumque mandavi vobis* (8). Ipse enim est *via, veritas et vita* (9), qui venit ut homines *vitam habeant et abundantius habeant* (10). Quia vero officia illa retineri omnia duce tantum natura est difficillimum, quin etiam multo positum superius quam ut humanae vires ipsae per se consequi possint; idcirco Ecclesia magisterio suo adiunctum habet christianae regimen societatis eiusque ad omnem sanctitatem instituendae munus, dum per eos qui pro suo quisque statu et officio sese illi ministros adiutoresve praebent, apta et necessaria salutis instrumenta suppeditat. Quod plane intelligentes verae instaurationis auctores, non ii surculos, praeservandae radicis gratia, coercent, hoc est, non fidem a vitae sanctitate seiungunt, sed utramque alunt foventque halitu caritatis, quae *est vin-*

(1) *Rom.* x, 17. — (2) Conc. Prov. V, Pars I. — (3) Os. iv, 1. — (4) Ierem. xii, 11. — (5) Conc. Prov. V, Pars I. — (6) Encycl. « *Acerbo nimis,* » die xxv m. Aprilis mdcccv. — (7) Conc. Prov. V, Pars I.

(1) II *Cor.* v, 20. — (2) II *Cor.* iv, 2. — (3) II *Tim.* ii, 15. — (4) I *Thess.* ii, 13. — (5) *Hebr.* iv, 12. — (6) *Iacob.* ii, 26. — (7) *Rom.* ii, 13. — (8) Matth. xxviii, 18, 20. — (9) Ioan. xiv, 6. — (10) Ioan. x, 10.

culum perfectionis (1). Iidem, dicto audientes Apostolo, *depositum custodiunt* (2), non ut gentibus notitiam eius occulant lumenque subducant, sed quo deductos ex eo fonte veritatis ac vitae saluberrimos rivos latius recludant. In eâque copia doctrinam ad usum adiungunt, illa utentes ad praeripiendam *circumventionem erroris,* hoc ad praecepta in mores actionemque vitae deducenda. Quamobrem instrumenta omnia ad finem vel apta vel necessaria comparat, quum ad extirpationem peccati, tum *ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi* (3). Huc sane spectant Patrum et Conciliorum statuta, canones, leges; huc adiumenta illa doctrinae, regiminis, beneficentiae omne genus; huc denique disciplina et actio Ecclesiae universa. Hos fidei virtutisque magistros intentis oculis animoque intuetur verus Ecclesiae filius, cui sua ipsius emendatio proposita est atque aliorum. His auctoribus, quos crebro memorat, in instauranda Ecclesiae disciplina nititur Borromeus; ut quum scribit: « Nos veterem sanctorum Patrum « sacrorumque Conciliorum consuetudinem et auctoritatem, « in primis oecumenicae Synodi Tridentinae secuti, de iis « ipsis multa superioribus nostris Conciliis Provincialibus « constituimus ». — Idem ad consilia publicae corruptelae coercendae adductum se profitetur « et sacrorum canonum « iure et sacrosanctis sanctionibus, et Concilii in primis Tri- « dentini decretis » (4).

His non contentus, quo sibi melius caveret ne forte ab ea norma unquam discederet, a se statuta in Synodis provincialibus ita fere concludit: « Omnia et singula quae a « nobis in hac provinciali Synodo decreta actaque sunt, qua « debemus oboedientia et reverentia, auctoritati ac iudicio « Sanctae Romanae Ecclesiae, omnium ecclesiarum matris et « magistrae, semper emendanda et corrigenda subicimus » (5). Quam quidem voluntatem ostendit eo propensiorem, quo in dies magis ad actuosae vitae perfectionem grassabatur; nec solum quamdiu cathedram Petri occupavit patruus, sed etiam sedentibus, qui ei successerunt, Pio V et Gregorio XIII, quibus quemadmodum strenue suffragatus est ad pontificatum, sic in rebus maximis validum se socium adiunxit eorumque exspectationi cumulate respondit.

Potissimum vero ipsorum voluntati est obsequutus instruendis rebus ad propositum sibi finem idoneis, hoc est ad sacrae disciplinae instaurationem. Qua in re prorsus abfuit ab illorum ingenio, qui speciem studii fervidioris imponunt contumaciae suae. Itaque, incipiens *iudicium a domo Dei* (6), primum omnium cleri disciplinae ad certas leges conformandae animum adiecit; cuius rei causa sacri ordinis alumnorum Seminaria excitavit, sacerdotum congregationes, queis nomen *oblatis,* instituit, religiosas familias tum recentiores adscivit, concilia coegit, quaesitis undique praesidiis coeptum opus munivit auxitque. Mox emendandis populi moribus haud remissiorem admovit manum, sibi dictum reputans quod olim prophetae: *Ecce constitui te hodie... ut evellas et destruas, ut disperdas et dissipes, et aedifices et plantes* (7). Quare bonus pastor ecclesias provinciae ipse per se nec sine magno labore lustrans, arrepta similitudine divini Magistri, *pertransiit benefaciendo et sanando* gregis vulnera; quae passim deprehenderet incommoda, sive ex inscitia sive ex neglectu legum profecta, tollere atque eradere summa ope contendit; opinionum pravitati et exundanti coeno libidinum quasi aggerem obiecit a se apertos puerilis institutionis ludos et epheborum convictus; auctas, quas in Urbe primum excitatas noverat, consociationes Mariales; reclusa orbitati adolescentium hospitia; mulierculis periclitantibus, viduis, aliisque, tum viris tum feminis, egenis aut morbo seniove confectis, patefacta perfugia; pauperum tutelam ab impotentia dominorum, ab iniquo foenore, ab exportatione puerorum, aliaque id genus quamplurima. Haec autem sic praestitit, ut ab eorum consuetudine toto caelo abhorreret, qui, in renovanda suo marte christiana republica, omnia cient agitantque vanissimo strepitu, divinae vocis immemores: *non in commotione Dominus* (1).

(1) *Coloss.* III, 14. — (2) I *Tim.* VI, 20. — (3) *Eph.* IV, 12. — (4) Conc. Prov. V, Pars. I. — (5) Conc. Prov. VI sub finem. — (6) I *Petr.* IV, 17. — (7) IER. I, 10.

Hac nempe altera nota, prout vos experiendo didicistis, Venerabiles Fratres, veri nominis instauratores distinguuntur a fictis, quod illi *quae sua sunt quaerunt, non quae Iesu Christi* (2), pronisque auribus excipientes insidiosa dicta ad Magistrum divinum olim conversa: *manifesta teipsum mundo* (3), superbas iterant voces: *Faciamus et ipsi nobis nomen.* Cuius temeritatis causa, quod etiamnunc fieri saepe dolemus, *ceciderunt sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in proelium* (4).

Contra qui societati hominum ad meliora deducendae sincero animo studet, is *non propriam gloriam quaerit, sed gloriam eius qui misit eum* (6); seque ad Christi exemplum conformans, *non contendet neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius; — non erit tristis neque turbulentus* (5), sed *mitis et humilis corde* (7). Hic et probatus Deo erit et salutis fructus consequetur amplissimos.

In eo quoque secernuntur alter ab altero, quod ille, humanis tantum innixus viribus *confidit in homine et ponit carnem brachium suum* (8); hic vero fiduciam omnem in Deo collocat; ab Ipso et a supernis opibus vim omnem et robur expectat, iterans Apostoli verba: *Omnia possum in eo qui me confortat* (9).

Has opes, quarum uberem copiam Christus effudit, vir fidelis in media quaerit Ecclesia ad communem salutem, in primisque precandi studium, sacrificium, sacramenta, quae fiunt *quasi fons aquae salientis in vitam aeternam* (10). Ea omnia inique ferentes qui, transversis itineribus et posthabito Deo, ad instaurationis opus contendunt, nunquam desinunt haustus illos purissimos, sin funditus exsiccare, at certe turbulentos facere, ut christianus grex inde arceatur. Qua in re profecto turpius agunt recentiores ipsorum asseclae, qui speciem quandam religionis nobilioris adhibentes, adminicula illa salutis pro minimo ducunt habentque ludibrio, praesertim sacramenta duo, quibus aut admissa paenitentium expiantur, aut caelesti dape roboratur animus. Quapropter optimus quisque summo studio curabit, ut collata tanti pretii dona maximo in honore habeantur, neve patietur in utrumque divinae caritatis opus hominum studia restingui.

Ita plane se gessit Borromeus, cuius inter cetera hoc scriptum legimus: « Quo maior et uberior est sacramentorum « fructus quam ut eius vis explicari facile possit, eo diligen- « tius et intima animi pietate et externo cultu ac venera- « tione tractanda ac percipienda sunt » (11). Illa quoque memoratu dignissima, quibus curiones aliosque sacros concionatores vehementer hortatur, ut caelestis alimenti crebram gustationem in pristinam consuetudinem revocarent; quod idem Nos egimus decreto, cui initium: *Tridentina Synodus.* « Ad saluberrimum illum, ait sanctus Antistes, sacrae Eucha- « ristiae frequenter sumendae usum, parochi... et conciona- « tores item quam saepissime populum cohortentur, nascentis « Ecclesiae institutis atque exemplis, et gravissimorum Pa- « trum vocibus et uberrima hoc ipso de genere Catechismi « romani doctrina, et sententia denique Tridentinae Synodi, « quae optaret quidem fideles, in singulis Missis, non solum « spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae per- « ceptione communicare » (12). Qua vero mente, quo animo

(1) III *Reg.* XIX, 11. — (2) *Philip.* II, 21. — (3) IOAN. VII, 4. — (4) I MACHAB V, 57, 67. — (5) IOAN. VII, 18. — (6) ISAI. XLII, 2 sq.; MATTH. XII, 19. — (7) MATTH. XI, 29. — (8) IER. XVII, 5. — (9) *Philip.* IV, 13. — (10) IOAN. IV 14. — (11) Conc. Prov. I, Pars II. — (12) Conc. Prov. III, Pars I.

adeundum sit sacrum convivium, docet his verbis: « Populus, « cum ad frequentem SSmi Sacramenti sumendi usum exci- « tetur, tum etiam commonefiat, quam periculosum exitio- « sumque sit ad sacram divini illius cibi mensam indigne « accedere » (1). Quam quidem diligentiam postulare videntur maxime haec tempora nutantis fidei et languescentis caritatis, ne forte ex frequentiore usu debita tanto mysterio reverentia minuatur, sed potius in hoc ipso sit causa cur *probet seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat* (2).

Ex iis fontibus dives gratiae vena manabit, unde succum trahant et alantur humanae quoque ac naturales industriae. Nec enim actio christiani viri quae usui sunt et adiumento vitae despiciet, ab uno eodemque Deo, auctore gratiae ac naturae profecta; sed illud valde cavebit, ne in externis rebus bonisque corporis captandis fruendis totius vitae finis et quasi beatitas collocetur. His rebus igitur qui recte ac temperanter uti velit, eas conferet ad animorum utilitatem, Christi obtemperans dicto: *Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adicientur vobis* (3).

Ordinatus et sapiens hic rerum usus tantum abest ut inferioris ordinis, idest societatis civilis bono adversetur, ut potius huius commoda maxime provehat; nec id inani verborum iactatione, qui mos est factiosorum hominum, sed re ipsa et summa contentione, usque ad bonorum, virium, vitaeque iacturam. Cuius exempla fortitudinis prae ceteris exhibent sacrorum antistites complures, qui, rebus Ecclesiae afflictis, Caroli ardorem aemulati, divini Magistri ratas efficiunt voces: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis* (4). Hic quidem, non gloriae cupidine, aut studio partium, aut privati alicuius commodi causa, ad se devovendos pro communi salute trahuntur, sed caritate illa quae *nunquam excidit.* Hac flamma, quae profanos oculos latet, incensus Borromeus, quum ob praestitam lue correptis operam se in mortis discrimen coniecisset, nihilominus praesentibus occurrisse malis non contentus, de futuris etiam sollicitum se sic ostendit: « Omni rationi plane consentaneum est, ut, quemad- « modum parens optimus, qui filios unice diligit, cum in « praesenti tum in futuro eis prospicit ac parat quae sunt « ad vitae cultum necessaria; ita nos paternae charitatis « officio adducti, omni praecautione fidelibus provinciae « nostrae in hoc Concilio provinciali quinto consulamus pro- « videamusque deinceps quae experiendo cognovimus pesti- « lentiae tempore, salutaria esse adiumenta » (5).

Eadem haec providentis animi studia et consilia, Venerabiles Fratres, per eam quam saepe commendavimus, catholicam actionem, in rem usumque deducuntur. In partem vero ministerii huius amplissimi, quod officia omnia misericordiae, sempiterno donanda regno complectitur (6), selecti etiam e populo advocantur viri. Qui ubi semel id oneris in se receperint, parati et instructi esse debent ad se suaque omnia plane devovenda pro optima causa, ad obsistendum invidiae, obtrectationi et infenso quoque multorum animo, qui malefactis beneficia repensant, ad laborandum *sicut bonus miles Christi* (7), et currendum *per patientiam ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum* (8). Acerbum sane luctae genus, sed ad bonum civitatis apprime conducens, etiamsi plenam victoriam remoretur dies.

In his etiam, quae modo dicta sunt, illustria Caroli exempla intueri licet, atque inde sumere quae pro sua quisque conditione imitetur et quibus animum erigat. Etenim quem et singularis virtus et mira solertia et effusa caritas adeo spectabilem effecerunt, nec ipse tamen alienam sibi sensit hanc legem: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur* (1). Itaque quod asperioris vitae sectaretur genus, quod recta semper et honesta retineret, quod incorruptus legum iustitiaeque vindex exsisteret, hoc ipso primorum in se invidiam collegit; reipublicae gerendae peritorum vafris artibus est obiectus; magistratus habuit infensos; in optimatium, cleri populique suspicionem venit; flagitiosorum denique hominum capitale odium sibi conflavit, ad necem usque petitus. Quibus omnibus, quamvis miti esset suavique indole, invicto animo restitit.

Nec modo nihil cessit in iis quae fidei ac moribus exitio forent, sed ne postulationes quidem excepit adversas disciplinae aut fideli populo graves, etiamsi allatas, ut creditur, a rege potentissimo et ceteroquin catholico. Idemque memor verbi Christi: *Reddite quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo* (2), atque apostolorum vocis: *oboedire oportet Deo magis quam hominibus* (3), non de causa tantum religionis optime meruit, verum etiam de ipsa societate civili, quam insanientis prudentiae poenas luentem, commotisque suapte manu seditionum fluctibus paene submersam abduxit certissimae morti.

Eadem sane laus et gratia debebitur catholicis huius temporis viris eorumque strenuis ducibus episcopis, quibus in utrisque nullae officiorum partes, quae civium sunt, desiderari poterunt unquam, sive agatur de servanda fide ac reverentia *dominis etiam dyscolis* iusta praecipientibus, sive de ipsorum iniquis imperiis detrectandis, aeque remota tum procaci licentia delabentium in seditiones ac turbas, tum servili abiectione excipientium quasi sacras leges impia statuta pessimorum hominum, qui mentito libertatis nomine iura omnia pervertentes, durissimam imponunt servitutem.

Haec nempe in conspectu terrarum orbis et in media luce praesentis humanitatis geruntur penes quandam potissimum gentem, ubi principem sibi sedem constituisse videtur *potestas tenebrarum.* Quo praepotenti sub dominatu iura omnia filiorum Ecclesiae miserrime proculcantur, exstincto penitus in reipublicae rectoribus omni sensu magnanimitatis, urbanitatis ac fidei, quibus virtutibus eorum patres, christiano titulo insignes, tamdiu inclaruerunt. Adeo liquet, concepto semel in Deum et in Ecclesiam odio, retro sublapsa referri omnia, et ad antiquae libertatis ferociam, seu verius ad crudelissimum iugum, per unam Christi Familiam eiusque invectam disciplinam depulsum cervicibus, fieri cursum praecipitem. Aut, quod idem significavit Carolus, adeo est « certum atque exploratum, nulla alia re Deum gra- « vius offendi, nullaque ad vehementiorem iram, quam hae- « resum labe provocari; nihilque rursus ad provinciarum « regnorumque interitum maiores vires habere, quam teter- « rimam illam pestem » (4). Quamquam multo etiam funestior existimanda est hodierna conspiratio ad christianas gentes ab Ecclesiae sinu avellendas. In summa enim dissensione sententiarum ac voluntatum, quae propria nota est aberrantium a vero, in una re inimici consentiunt, hoc est in pertinaci iustitiae ac veritatis oppugnatione; cuius utriusque quia custos est ac vindex Ecclesia, in hanc unam confertis ordinibus impetum faciunt. Cumque se neutris in partibus esse, aut etiam causam pacis fovere dictitent, mellitis quidem verbis, at non dissimulatis consiliis, nihil aliud revera agunt, nisi ut insidias locent, addentes damno ludibrium, fraudem violentiae. Novo igitur certaminis genere per hos dies christianum impetitur nomen; belli moles conflatur longe periculosior ac pugnae antea pugnatae, ex quibus tam amplam collegit gloriam Borromeus.

Inde exempla nobis omnibus ac documenta sumentes, pro rebus maximis, quibus et privata et publica salus continetur, pro fide ac religione, pro sanctitate publici iuris,

(1) Conc. Prov. IV, Pars II. — (2) I *Cor.* XI, 28. — (3) LUC. XII, 31.; MATTH. VI, 33. — (4) IOAN. X, 11. — (5) Conc. Prov. V, Pars II. — (6) MATTH. XXV, 34 sq. — (7) II *Tim.* II, 3. — (8) *Hebr.* XII, 1, 2.

(1) II *Tim.* III, 12. — (2) MATTH. XXII, 21. — (3) *Act.* V, 29. — (4) Conc. Prov. V, Pars. I.

alacri erectoque animo dimicabimus, dolenda quidem necessitate compulsi, sed suavi simul freti fiducia, omnipotentem Deum tam gloriosa in acie militantibus victoriam deproperaturum. Cui fiduciae robur addit Caroliani operis producta ad hanc usque aetatem vis et potentia, sive ad intemperantiam ingeniorum compescendam, sive ad obfirmandum animum in proposito sancto instaurandi omnia in Christo.

Licet nunc, Venerabiles Fratres, iisdem verbis dicendo finem imponere, quibus pluries memoratus Decessor Noster Paulus V Litteras absolvit decernentes Carolo supremos honores: « Aequum est igitur dare nos gloriam et honorem « et benedictionem viventi in saecula saeculorum, qui be- « nedixit conservum nostrum in omni benedictione spiri- « tuali, ut esset sanctus et immaculatus coram ipso, et cum « illum dederit nobis Dominus tamquam fulgentem stellam « in hac nocte peccatorum, tribulationum nostrarum, adea- « mus ad divinam clementiam ore et opere supplicantes, ut « Carolus Ecclesiae quam vehementer dilexit, prosit etiam « meritis et exemplo, adsit patrocinio et in tempore iracun- « diae fiat reconciliatio, per Christum Dominum nostrum » (1).

Accedat his votis cumuletque communem spem Apostolicae benedictionis auspicium, quam vobis, Venerabiles Fratres, et vestro cuiusque clero populoque peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXVI mensis Maii, anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri septimo.

PIVS PP. X

(1) Bulla « *Unigenitus* ».

DIARIUM VATICANUM

(Mense Iulio MCMX).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Peregrinorum manus e Civitatibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Austrorum Hungarorumque atque Chilensis civitatis legati apud Apostolicam Sedem; Camillus Bellaigue, numismaticae disciplinae doctor; Borussiae legatus apud Apostolicam Sedem; Philippus Lancellotti, Princeps Urbanus eiusque familia; Ianuarius Granito Pignatelli di Belmonte, Apostolicus Nuntius apud Austrorum Hungarorumque Imperium; Franciscus Marchetti Selvaggiani, Apostolicae Legationis Bavaricae Auditor.

Pontificiae electiones.

RR. PP. DD. Thomas Lillis, episcopus Leavenworthensis, ad sedem tit. Cibyren.; Ioannes Krapac, episcopus tit. Belogradensis et Semendriensis ad sedem cathedr. ecclesiarum Bosnen. et Syrmien. invicem perpetuo unitarum; Rochus Vucic, episcopus tit. Helenopolitan., ad cathedralem sedem Segniensem cum perpetua administratione ecclesiae Modrusien.; Vincentius Pulisic, episcopus Sebenicen., ad metropolitanam ecclesiam Iadrensem; Iosephus Iacobus Irala, olim episcopus cathedralis ecclesiae de Chachapoyas, in sedem cathedr. tit. Tingitanam transferuntur.

— Augustinus Laera, presbyter Praelaturae nullius Aquaviventis, episcopus Castellaneten.; Adulfus Verrienti, archidioecesis Brundusinae, novissime Barensi in provincia utriusque archipresbyteralis ecclesiae Alti Muri et Aquae Vivae *nullius dioeceseos* Praelatus Ordinarius renunciatus, episcopus tit. Calynden.; Petrus Armengaudius Valenzuela, Magister Generalis Ordinis B. M. V. de Mercede, episcopus cathedr. eccl. S. Caroli Ancudiae in republica Chilena Americae Meridionalis, renunciantur.

— R. P. D. Thomas Lillis, episcopus tit. Cibyren., in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Ioannis Iosephi Hogan, episcopi Kansanopolitani, deputatur.

— R. P. D. Antonio Stillmans, episcopo Gandaven., pallii usus conceditur.

— RR. PP. DD. Alafridus Willier, episcopus Atrebaten., et Ioannes O' Connor, episcopus Novarcen., inter episcopos Pontificio solio adstantes adnumerantur.

— RR. PP. Iosephus M. Civra ex ordine Servorum B. M. V. et Aloisius Copéré, Procurator Generalis Societatis Marianae, inter Consultores Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae; et Iulius Saubat, e Congregatione Presbyterorum Sacri Cordis e Betharam, inter Consultores Sacrae Congregationis Religiosorum adleguntur.

Varia.

— Die XX mens. Iulii, in Xystino sacello, adstante Pontifice, iusta funebria Leoni PP. XIII persolvuntur, septimo recurrente anno ab eius obitu.

ANNALES

Hispanici gubernii cum Apostolica Sede discrimen.

Quum novum administrorum collegium, praeside Canalejas, sub specie universorum libertatis tutandae, summa rerum in Hispania arripuit, certum contra propositum esse in Christianam religionem saevire plerique iam inde suspicabantur. Non tamen fieri posse cogitabant, ut viri illius audacia eo brevi esset deventura, quo vix perfidiosi Gallici collegae paullatim pervenerunt. Atqui violenter rebus in Apostolicam Sedem èt contra foedera agitatis, ultimi iam temporis discrimen adventat, dumque hae paginae lectorum oculis subiiciuntur, verbum ultimum fortasse enunciatum erit, nobilissimaque et pientissima Hispanorum gens legatione sua Romae, ac Pontificio Nuntio Madriti privata erit, atque ad bellum civile item ac religiosum indigne proiecta. Faxit Deus, qui potest, ut atrae nubes evanescant, atque iustitiae pacisque sol caecas factiosorum hominum mentes collustret, lucisque suae beneficos radios iterum per Hispanicas terras diffundat!

***

Cretensis quaestio.

Firma nationum tutelam Cretae insulae gerentium voluntas, optatum exitum obtinuit. Ipsae enim naves suas ad Sudae litus miserunt, ut quum publici

coetus sessiones resumerentur, libertas Turcis legatis fieret, suum ad quod deputati erant officium solvendi, neque tamen Graecorum regi fidelitatis iuramentum praestare cogerentur. Ita reapse factum est, rogationeque ad rem approbata, coetus ipsius sessiones ad quatuor menses dimissae. Nunc igitur sperare licet fore ut huiusce saltem temporis spatium in pace peragatur.

***

In inferiore America.

Dum Saenz Pena, Bonearensi in urbe, sollemniter rerum Argentinae reipublicae potitur, Restrepusque doctor Columbianae civitatis praeses pacifice renunciatur, in Nicaragua novus electus praeses Madrizius magnis occupationibus distinetur. Quum enim in adversae partis fautores Superioris Americae cives, incaute procedit, Civitates Foederatae Americae Septemtrionalis ad cives suos defendendos cum armis intervenire minitantur, neque ceteri Status, quorum patrocinium Madrizius invocaverat, ut eas ab huiusmodi consilio retinerent, ipsius petitionibus obsequi voluerunt. Quid inde futurum ? Eventus indicabunt.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia** de novis redditibus pro classi provisum; computatio expensarum pro Indiis approbata: definitaque difficilis quaestio de regalis iuramenti formula, quae temperatior in Catholicorum cultum facta est.

In **Bavaria** de scholasticis legibus disceptatum, acriter at frustra iis socialistarum factione obstante.

In **Dania** novum administrorum collegium compositum, praeside Bernsten e liberalium parte. Ahlefeld-Laurvig, Comes, exteris negotiis praepositus.

In **Hispania,** recurrente anno a Barcinonensibus tumultibus, de eorum coercitione a tunc temporis gubernio facta excitate atque audacter disputatum. — Ab administrorum praeside rogatio legis senatui proposita, qua prohiberetur novarum religiosarum familiarum constitutio, donec reformationes de relationibus inter civile et ecclesiasticum gubernium expletae fuerint.

In **Hungaria** publici coetus opus ad exitum tranquille peractum novaque delectus militum lex, et commercii foedus cum Romania rata habita.

In **Italia** lege de infima schola ad finem perducta, coetus sessiones ad autumnum dilatae.

PER ORBEM

Die I mens. Iulii MCMX, Leopoli, iuvenes Poloni et Rhuteni studiis vacantes inter se manu confligunt.

— die IV Ioannes Schiapparelli, vir astrorum scientia per orbem universum celebratus, Mediolani pie sancteque obit. Natus erat in oppido Savigliano ad Cuneum die XIV mens. Martii an. MDCCCXXXV.

Rheni in urbe, atque inde in pluribus aliis Americae Superioris civitatibus, quum ex pugnorum singulari certamine Iohnson quidam nigritarum gentis gladiator victor evasisset, odium in nigritas tam saevit, ut ad vim in eos passim deveniatur.

— die V Sinensis legatio ad militares Europaeorum ordines cognoscendos, cui Tsai-Tao princeps praefectus, Romam advenit.

— die VII, Romae, signum insculptum ponitur Henrico Ibsen poetae, in domo ubi dramaticum poema scripsit, cui titulus *Brand.*

— die VIII Aemilius Usiglio, symphoniacus praeclarus, Mediolani moritur.

Rhemis, De Laroche, nobilis foemina, cum aëroplano suo in terram praecipitat vulneraque patitur, quae post paucos dies eam ad mortem adducunt.

— die X Carolo Wachter et Danieli Kinet aviatoribus eadem tristia fata contingunt.

— die XIII novos huiusmodi luctus de Rolls aviatore Bournemout in urbe lugentur.

— die XV Belgarum rex et regina Lutetiam Parisiorum tenent.

— die XVI Romae vita fungitur Vincentius Remer e S. I. philosophiae magister eximius, quam viginti et quinque annos in Gregoriana Universitate docuit.

— die XVII Danorum aviator Svendsen cum aëronavi sua Sund fretum feliciter pertransit.

— die XXI nova ferreis axibus constrata via inter Venetias et Tridentum aperitur.

— die XXII, Barcinone, iuvenis quidam ex anarchistarum factione, Antonium Maura, iam administrorum collegii praesidem, manuballistula petit, quin tamen fausto auspicio facinus, cui intenderat, perpetret.

— die XXIII imber densissimus plures Insubriae civitates ex improviso vastat.

— die XXIV senectute atque laboribus confectus Romae vita fungitur Constantinus Maes, antiquitatis ac de moribus Romanorum indefessus inquisitor.

— die XXIX, Modoetiae, sacellum in loco ubi abhinc annos decem, hac ipsa die, Humbertus, Italorum rex, nefarie interemptus est, sollemni ritu inauguratur.

— d. XXXI celeberrima turris apud Waterloo in ruinam procumbit.

LIBRORUM RECENSIO

Georges Frémont. — *La grande erreur politique des Catholiques français.* (Parisiis, Bloud, 1910).

Auctor iam pluribus notus operibus editis, probatis argumentis id suis civibus probare studet, quod nos ceteri omnes ubique terrarum iam diu perspectum habemus, miseram rerum publicarum conditionem ex eo habere originem, quod catholici hostiliter in *rempublicam democraticam* se gerant. Huiusce autem rei causa est ille primus error multorum, qui opinantur *monarchicam* formam imperii ab Ecclesia quasi inseparabilem, ita ut ambo fere unum et idem sint; rempublicam vero democraticam ex natura sua fidei catholicae adversari et cum illa reconciliari non posse. Quod quam sit absurdum Leo XIII in praeclaris illis Encyclicis litteris: « Immortale Dei » anni 1885 disertissime demonstravit; et quod plurimi Francogalli doctrinas et consilia Summi Pontificis non observant, est alter gravissimus error. Quamquam in hoc auctorem valde laudamus, nihilominus ille in idem vitium cadere videtur, quum in suis civibus severe reprehendat, quod Summus Pontifex nunc temporis regnans Praesidem Reipublicae gallicae Loubet non solemniter susceperit; quasi non optimis rationibus fultus et vestigiis sui praedecessoris incedens Pius X ita egerit. Omnes autem Galliae catholicos perpendere et observare velim illud Sallustii — et haec est summa libri —: « Concordia parvae res crescunt, discordia maximae dilabuntur ».

P. Fridolinus.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis *eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

Skladnia gramatyczna jezyka lacinskiego w stosunku do jezuka Polskiego.... przez Jozefa Wabnera. — Edid. Varsaviae Polonorum E. Wende. (Ven. *kop.* 50).

I. B. Francesia Sac. *De Dominico Savio Salesianorum legiferi alumno commentarius.* — Ex off. *Don Bosco* S. Benigni in Salassis, 1910.

Card. Alfonso Capecelatro. *Commemorazione di Don Bonifacio Maria Krug, Abate di Montecassino.* — Romae edid. Desclée et Soc., 1910. (Ven. lib. 1).

Id. *La famiglia cristiana. La civiltà cristiana.* — Indidem. (Ven. lib. 0,50).

Id. *Poveri e ricchi — Il danaro.* — Indidem. (Ven. lib. 0,50).

Mons. Geremia Bonomelli. *La scuola laica.* — Indidem. (Ven. lib. 0,75).

Id. *La Famiglia.* — Indidem. (Ven. lib. 0,75).

Id. *Il Divorzio.* — Indidem. (Ven. lib. 0,75).

Id. *Il Suicidio.* — Indidem. (Ven. lib. 0,75).

Id. *Proprietà e Socialismo.* — Indidem. (Ven. lib. 0,75).

Id. *Questioni morali del giorno.* — Indidem. (Ven. lib. 2,75).

R. G. Meyer d. C. d. G. *La scienza dei Santi.* Versione italiana del sac. Angelo Sinibaldi, riveduta e approvata dall'autore. — Editio altera. — Indidem. (Ven. lib. 2).

Barone J. Angot des Rotours. *S. Alfonso de' Liguori. (1696-1787)* — Indidem. (Ven. lib. 2).

Ludovico Macinai. *Tra i Misteri. I misteri e l'evoluzione.* — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

Paolo Graziani. *Sisto V e la sua riorganizzazione della S. Sede.* — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

D. G. Pilatillo. Racconto estratto dalla collezione di Letture ricreative di L. Coloma e tradotto col permesso dell'autore. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

AENIGMATA

I.

Sustinet *arcanum; cervicis* sustinet *orbum;*
Sustinet hic quadrupes; sustinet ille bipes.

II.

Olfacio, clamo, moneo, quoscumque fidele,
Captivum tueor, liberiusve sequor.

F. X. B.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet IOANNIS FRANCESIA opus, cui titulus:

TARCISIUS

ACTIO DRAMATICA VERSIBUS SENARIIS CONSCRIPTA.

Aenigmata an. XIII, n. V proposita his respondent:

1) **Latro**; 2) **Palea - r.**

Ea rite soluta miserunt:

Guil. Schenz, *Ratisbona.* — Alb. Kain, *Dublino.* — Lad. Lud. Podobinski, *Cracovia.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — I. M. Meunier, *Corbiniaco.* — I. Ortiz, *Morelia.* — I. Wawer, *ex Argentina republica.* — Alb. Catteau, *Lugduno.* — Am. Robert, *Marieville in Canada.* — I. Martins, *Philadelphia.* — Fr. Baturawicz, *Zytomiria.* — Iac. Menendez, *Madrito.* — Alex. P. Gest, *Trentonio.* — I. Ciolli, *Papia.* — Alex. Fásztusz, *Szatmár.* — Hern. Forgeot, *Nicaeae ad Varum.* — Ioan. Biava, *Bergomo* — R. Richi, *Traianopoli.* — F. Arnori, *Mediolano.* — F. Correa, *Emerita.* — F. X. N., *Drepano.* — Fr. Guerra, *Aletio.* — E. Ricci, *Florentia.* — F. Starace, *Neapoli.* — Clem. Fiard, *Curia Rhaetorum.* — Petrus Tergestinus. — Eug. Dolmar, *Chicagine.*

Sortitus est praemium:

Renatus Richi,

ad quem missum est opus, cui titulus:

S. AMBROSII DE OFFICIIS LIBRI TRES
(Edit. F. TAMIETTIUS).

Sponsor: Ioannes Baptista Ciampi, iurisperitus

Romae — Ex officina *Societatis Romanae Editricis.*

Ann. XIII. Romae, Mense Septembri MCMX Num. IX.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

De Syllabi Pii Papae X

propositione LVI.

Pius Papa X (Encycl. *Pascendi*, 7 Sept. 1907) sapienter circa Modernistas scribit: « Tria sunt potissimum quae suis illi conatibus adversari sentiunt: scholastica philosophandi methodus, Patrum auctoritas et traditio, magisterium ecclesiasticum... Ipsius ecclesiastici magisterii auctoritatem toto studio minuere atque infirmare conantur, tum eius originem, naturam, iura sacrilege pervertendo, tum contra illam adversariorum calumnias libere ingeminando ». Contra ecclesiastici magisterii auctoritatem militat propositio 56ª Syllabi, ab eodem Pontifice (4 Iulii 1907) damnata: « Ecclesia Romana non ex divinae providentiae ordinatione, sed ex mere politicis conditionibus caput omnium Ecclesiarum effecta est ».

Quaestio de origine divina Ecclesiae romanae primatus supra alias ecclesias, a quaestione de S. Petri adventu ac morte in Urbe dependet; ita si S. Petrus Romam petiit ibique diem supremum obiit, nonnisi divino consilio hoc factum fuit, primatusque Romani Pontificis non iam ex politicis conditionibus, sed divina dispositione ortus est. Audiantur Protestantes scriptores (1): « Si Apostolorum Princeps in Urbe aeterna aliquando fuit, tunc certum est, ipsum hoc fecisse, non tanquam simplicem viatorem, sed ex apostolicae potestatis plenitudine, ita ut martyrium eius sub Nerone, nonnisi gloriosa consummatio eorum quae inter Romanos operatus est, sit... Romanus episcopatus, in potestate Petro collata semper fundabitur... Propter hoc, facile intelligitur, quare antiqui protestantes historici, omnibus viribus conati sint, fundamentum supra quod superbum dominationis Ecclesiae romanae aedificium fundatur, removere ».

Ad praedictam igitur propositionem reiiciendam, enumeratis prius erroribus, sufficiens erit ostendere, tum *ex factis*, tum ex *recentiorum historicorum auctoritate*, S. Petrum Romam venisse, ibique diem obiisse supremum.

***

Roma - inquit Renan (1) - quotidie Christianismi caput magis ac magis fiebat, atque loco Ierusalem, veluti centrum religionis humanitatis « *Civitas sacrosancta* » successit... Retinebatur communiter romanam Ecclesiam a Petro fundatam fuisse, Ipsique primatum, quem Apostolus a Christo receperat esse transmissum... Simulque nonnisi dexteritate quadam romana Ecclesia remansit. Petri ac Pauli reconciliatio supremum futurumque romanae Ecclesiae dominium fundavit... Causae vero materiales nonnullae multum contulerunt, ut a ceteris Ecclesiis tale dominium recognosceretur. Videlicet, cum Ecclesia romana divitiis afflueret, cumque bona eiusdem summa cura administrarentur, factum est, ut divitiae huiusmodi, ad aliarum Ecclesiarum auxilium diffusionemque conservarentur. Communis Christianismi thesaurus Romae exstitit, Romanaeque Ecclesiae unica intentio fuit « *regere et gubernare* » atque ad finem hunc omnia media adhibere. In consiliando romana Ecclesia *politica arte* usa est, et *ars politica* non abhorret a fraude. Ecclesiae romanae munus fuit non iam doctrinarum speculatio vel puritas, non dogmata, sed disciplina; Ipsa catholicismum fundavit; atque expressio illa « *Ecclesia catholica* » Romae prima vice audita est.

(1) *Jahrbücher für prot. Theol.* (Leipzig 1876) p. 562. - « Se non è venuto (S. Pietro) in nessun modo, nè è morto nella città eterna... il primato posteriormente innegabile dei Vescovi romani sulla Chiesa sarà un'usurpazione, o, per usare una frase più benigna e più scientifica, una formazione storica ». Ita Modernus quidam.

(1) *Marc Aurèle*, chap. 5.

Quinam sunt characteres - inquit Harnack (1) - quibus Romana Ecclesia praedita est? Latinorum genium romanique imperii universalitas, praeter multa alia, perdurant in ea. Saeculo quinto cum romanum imperium, tum propter intimas causas, tum propter barbarorum invasiones dissolvebatur, Romanus Episcopus, uti praeteriti defensor atque futuri custos apparuit. Homines qui saeculo quinto in romana cathedra regnaverunt, circumstantiis saeculi apprime instructi fuere, eisdemque circumstantiis in propriam utilitatem usi sunt. Romana Ecclesia, loco romani imperii clam successit, romanumque imperium in ea perduravit, Ipsa continuo populos regit, eiusque Pontifices, Traiani ac Marci Aurelii more modoque regnant. Loco Romuli et Remi Petrus et Paulus habentur; loco Consulis ac Proconsulis, episcopus et archiepiscopus est, legionum loco monachi et presbyteri, loco imperatoriae cohortis Societas Iesu habetur. Romana Ecclesia, nonnisi quaedam artis politicae creatio est; cum sit perduratio imperii romani; Pontifex qui simul Rex, et « Pontifex maximus » vocatur, est Caesaris imperatoris successor. Cum Romana Ecclesia genio Latinorum feratur iam a saeculo tertio instauratio quaedam romani imperii fuit.

Non aliter ipsemet Loisy (2) a quo propositio 56ª desumpta est. Certum est - scribit ille - Iesum Christum de Ecclesiae constitutione, quasi de gubernio quodam in terra instituto atque longa saeculorum serie ad permanendum in aeternum destinato, nunquam cogitasse... Si Romana Ecclesia Imperatoris mores adhibuit, si primatui formas legales et quasi constitutionales tribuit, haec omnia a motu quodam universali repetenda sunt, a quo motu Ecclesia ab initio ad formam cuiusdam gubernii accipiendam coacta est. Per textuum criticam neque ad Romani Pontificatus divinam institutionem probandam, neque ad illius exercitii legitimas conditiones ostendendas valemus. Propter temporis circumstantiarumque necessitates, Romana Ecclesia, ad instar imperii, quasi ad instar exercitus qui a capite mandata recepit, eaque absque ulla discussione cogitur exequi, organizationem consequuta est.

* * *

Ex factis, atque ex recentiorum historicorum auctoritate ostendendo S. Petrum Romam venisse, ibique diem obiisse supremum, praedictorum errorum *critica* instituitur.

(1) *Das Wesen d. Christentums 14 Vorlesung.*

(2) Cf. *L'Évangile et l'Église* IV, V. *Autour d' un petit livre* V, IV, V. Cf. etiam *L'Évangile et l'Église* p. 141, 143, 144: *Simples Réflexions* p. 103: « C'est incontestablement à son rang de capitale que Rome dut d'attirer à elle les deux personnages les plus importants de l'Église apostolique » et « que la position centrale de Rome après avoir amené les apôtres dans cette ville, a mis son évêque à même d'exercer une influence que nul autre n'aurait pu avoir dans un autre endroit. Parlant en historien j'ignore les dispositions de la Providence. Mais j'ai eu soin d'observer que, si Pierre et Paul lorsqu'ils moururent... ne se doutaient pas qu'ils eussent légué un maître à César, ni même qu'ils eussent donne un chef à l'Église, ils voyaient dans Rome et l'Église romaine le centre providentiel de l'évangélisation chrétienne. L'historien ne peut rien dire de plus, s'il veut rester dans les limites de la probabilité ».

a) Ex factis. — Post saeculi secundi dimidium habetur I) existentia universalis traditionis penes maioris momenti scriptores, ita ut de S. Petri martyrio in romana Urbe tamquam de re cognita fiat sermo, scriptaque exstent. Ita Dionysius Corinthiorum episcopus, ita S. Irenaeus, Clemens, Origenes, Tertullianus. (1) II) Eusebius (*Hist. Eccl.* l. 2, c. 25) refert nobis Caium romanum hisce verbis de Petri et Pauli sepulchris loquutum fuisse: « Ego vero Apostolorum tropaea eorum possum ostendere. Nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi tropaea eorum qui Ecclesiam illam fundarunt ». III) Saeculo tertio Romani Pontifices, nemine contradicente, asserunt se esse Romae Petri successores iisdemque iuribus pollere. IV) Dum inter ecclesiam romanam et orientalem controversiae innumerae ortae sunt, nulla controversia oritur circa Romanorum Pontificum successionem in cathedram Petri. Modo ius non habemus, tot scriptores de errore vel de falso accusandi. Facta recensita, quamvis, solitarie accepta, possint pro quibusdam vi demonstrativa carere; coniuncta tamen auctoritatibus allatis, probant vere S. Petrum Romam venisse, Romae diem obiisse supremum. Nonne rursus traditio habetur de adventu Marci cum Petro Romae, de Evangelio a Marco Romanorum rogatu conscripto, ac de prima epistola Petri, Romae pariter scripta? Confusio quaedam igitur est, ex maiori extensione accepta a Romanorum Pontificum auctoritate propter politicas conditiones, concludere: ex conditionibus illis politicis primatum ortum fuisse. Primatus ille siquidem ex voluntate Christi est, maior vero eiusdem primatus explicatio atque extensio ex conditionibus externis dependere possunt.

b) Ex recentiorum historicorum auctoritate. — A. Harnack (*Patres Apostolici,* fasc. 1, p. 15): « Lis adhuc sub iudice non esset, nisi critici fabulis illis Pseudo-Clementis vel iudaizantium christianorum plus quam par est auctoritatis tribuerent » (2). Horatius Marucchi (*Introd. storica al Quo Vadis,* p. II): « Factum adventus Petri Romae (abstrahendo a quaestione chronologica) tantae evidentiae historicae est, talibus ac tot insignibus antiquitatis testimoniis corroboratur, ut hodie critici protestantes magis illuminati, illud tamquam certissimum retineant ». Ioannes Guiraud (*Questions d'histoire - La venue de S. Pierre à Rome,* in fine) haec habet: « Si factum aliquod datur, argumentis quae refutari nequeant comprobatum, est factum Apostolatus S. Petri in Urbe Romae. Fundatur in traditione constanti quae de generatione in generationem a saeculo quarto usque ad apostolicam aetatem nos ducit. Iam in secunda generatione christiana penes illustriores communitates

(1) Cf. argumentum Traditionis Eusebii Caes., S. Clementis, S. Ignatii M. 1. Epist. Petri, *Fei-Propaedeutica, Tract. de Ecclesia* a. 4 n. 36.

(2) In quodam recentiori sermone *Protestantismus und Katholicismus in Deutschland* (p. 24) clarius ait: « Flacius und die alten Protestanten leugneten überhaupt die Anwesenheit des Petrus in Rom.... letzt wissen wir, dass iene Anwesenheit eine gute bezeugte Tatsache ist ».

(Romae, Corinthi, Smyrnae, Antiochiae) ab Apostolis fundatas, quaeque speciali modo eorumdem memorias servabant, factum illud universaliter admittitur. Idipsum, diebus nostris habetur, penes melioris notae sapientes, paucis (*retardataires*) protestantibus ac veteribus catholicis dubitantibus. Circa factum hoc traditiones nostrae consolidantur, ac nobis fas est nomine scientiae credere, Romanam Ecclesiam vere matrem et caput omnium Ecclesiarum esse, quia ab Apostolorum principe fundata atque morte illius consecrata fuit ».

Duchesne *(Histoire ancienne de l'Église,* chap. 5) scribit: « Post saeculi secundi dimidium universalis habetur traditio circa S. Petri mansionem in romana Urbe. Sufficiat enumerare Dionysium Corinthium pro Graecia, Irenaeum pro Gallia, Clementem et Origenem pro Alexandria, Tertullianum pro Africa. Circa a. CC, Caius est, qui Apostolorum sepulchrum Romae indicat. Iam a tertio saeculo, dum Pontifices Romani, nomine atque tamquam successores S. Petri loquuntur, nullibi titulus iste impugnatur. Statim ac Christianitas universa memoriam Apostolorum recolit, et eorumdem Apostolorum iura recognoscit, Romana ecclesia tamquam Petri Ecclesia retinetur, quod ibi Petrus mortuus sit, quod ibi sedem suam reliquerit. Quamvis rursus multae inter Orientem et Occidentem ortae sint controversiae, nunquam tamen, factum de sede Petri Romae, in dubium versum fuit ». Hodie, - inquit Paulus Allard *(Le Christianisme et l'empire romain*, 5e ed., p. 17. n. 2) - critici omnes, nomine Babylonis in versiculo illo epistolae primae S. Petri romanam urbem intelligunt, quae ita designabatur in modo secreto loquendi Iudaeorum et Christianorum: non vero civitas Chaldeae, quae primo saeculo, forsitan non exstabat amplius, et in qua Petrus nunquam praedicavit ».

Propter hoc miramur quod Gregorovius ausus sit scribere: « Historia nihil scit de praesentia Petri Romae... Fundatio communitatis Petro tributa, nonnisi quaedam legenda est ».

⁂

Ex hucusque dictis, ius nobis est concludendi Romanum Pontificem iure divino esse Petri successorem in primatu supra Universalem Ecclesiam, necnon repetendi verba Tertulliani (*De Praescrip.*, 36) circa Romanam Ecclesiam: « Ista quam felix Ecclesia! cui totam doctrinam apostoli cum sanguine suo profuderunt; ubi Petrus passioni Dominicae adaequatur ».

Friburgi Helvetiorum.

P. Reginaldus M. Fei O. P.

Omnia alia incerta sunt, caduca, mobilia; virtus est una altissimis defixa radicibus, quae nunquam ulla vi labefactari potest, nunquam dimoveri loco.

Cic., *Phil*,. IV, 6.

DE CONDICIONIBUS
QUIBUS
LATINAE DISCIPLINAE PERCEPTIO CONTINETUR (1)

IV.

Venio nunc ad quartam institutionis latinae percipiendae condicionem, quae ex beneficiis inde speratis oritur; quae quidem condicio est ipsa crux, ut aiunt, totius quaestionis. Quid enim aliud aut nos commendamus aut discipuli quaerunt, nisi utile? Utilitas autem disciplinarum scholasticarum et varias interpretationes accipere solet, et generaliter in duas omnino partes vel classes (sive hae simul existunt sive seorsum) dividi potest. Qua de re universim ac paullo fusius disputare placet.

Ipsa videlicet natura rerum sive communis vitae humanae condicio universis hominibus et necessitatem imposuit officiorum alienorum, et pari ratione imperat ut aliis officia praestare velint. Neque quidem bene moratis tantum religionisve cultoribus haec obligatio relinquitur agnoscenda, verum ex omnium ac singulorum ortu ad supremum usque diem (ne de pietatis erga defunctos officiis verbum faciam) vim suam constanter exercet. Quod si quis quaerat quonam modo et quatenus homo homini prodesse debeat, illud respondere in promptu est, *ita ut victum sibi comparet.* Namque etiamsi non pauca sunt vitae communis officia, quibus pecuniae sordida remuneratio nequaquam exaequetur, tamen est pecunia norma quaedam ac mensura laboris, ideoque, dum de necessitatibus cottidianis agitur, quaecumque officia sive munera praebent unde vivamus, haec rite et sufficienter aliis prodesse existimanda sunt. Sacerdotes et pastores, medici et pharmacopolae, iudices et iurisconsulti, mercatores et mensarii, agricolae et opifices, nautae et milites, custodes et vigiles, scriptores et poetae, cantores et histriones, mimi quoque et ventilatores, immo (ne quem exclusisse videar) ipsi carnifices de suis in societatem humanam meritis bene sentire possunt.

Haec quum ita sint, sequitur ut in institutione puerili id ante omnia provideatur, ut ad aliquam certam artem qua victus comparetur unusquisque erudiatur. Quaelibet disciplina ad hanc rem maxime necessaria videbitur, principatum studiorum merito obtinebit. Non modo voluptates posthabendae sunt, sed studia optima signa huic principali consilio adversatura esse videbuntur.

Tamen ne illud quidem obliviscendum est quod nulla prorsus arte vel occupatione totus homo expletur, eoque verius hoc nostro saeculo dicitur quoniam crescit in dies occupationum numerus atque minuuntur singulorum hominum partes. Quamobrem adversum et contrarium illis disciplinis quae ad vivendi subsidia pertinent, quaeque studia puerilia in unum quasi punctum

(1) Cfr. num. sup.

cogunt, etiam aliud institutionis exsistit genus, quod praecavere studet ne nimis angustus vitae cursus fiat. In utro igitur genere latina studia ponimus? Non est una eademque pro omnibus responsio. Aliis quidem proderunt latina in artibus unde vivitur; aliis umbratilem quandam animi culturam adferent; nonnullis vero utrumque commodorum genus praebebunt. Sed haec quoque satis sunt.

V.

Nunc ad praecepta docendi venio, quae ex his quas demonstravi condicionibus proficisci puto. Quae dum expono, peto ut ignoscatur mihi sicubi vel iterasse iam scripta videbor, vel mutasse. Etenim revera nihil mutavi; verum tamen paullo aliter sententias meas, experientia duce, exponere didici. Pono autem octo praecepta generalia sive axiomata.

Primum praeceptum meum idem permanet quod semper: *copiam rerum appetendam esse.* Sunt equidem qui in latinis studiis nihil aliud videant nisi meram animi exercitationem et quantitati rei qualitatem longe anteponendam esse clament. At neque tota utilitas rei latinae in sola intellectus exercitatione consistit, neque opponenda copia curae est. Immo vero, si intra angustiores fines versabitur industria docentis, carebunt pueri non paucis intellectus vere exercendi instrumentis. Scilicet fieri potest ut ipsa quantitas rei qualitatis rationem habeat. Exempli gratia, si quis in uno libro Caesaris omnem industriam suam collocabit, quî poterit locos cum locis conferre? At, inquit, nonne sapienter praecipit Quintilianus ut *multum, non multa* legamus? Sapienter sane; sed quid tandem est istud « multum legere »? Credo, scriptum aliquod excellentius animo comprehendere. Quis autem comprehendat sine scientia? Qualis autem scientia ista est quae nec perspicere, nec prospicere, nec circumspicere valet? Non est metuendum ne id abundet quod ne sufficiat quidem?

Proximo autumno quum in Universitate Chicaginensi litteris latinis et graecis operam darem, coetui cuidam vespertino adfui, in quo de praeparatoriarum scholarum curriculis latinis agebatur. Nemo non favebat litteris humanioribus; nemo non postulabat meliorem linguae latinae institutionem; nemo non cupiebat ut quocumque modo expediret, ea linguae latinae notitia traderetur, qua postea quivis ad universitatum studia venissent litteras latinas facile et commode legerent. Omnes tamen qui super hac re illic disputarunt, in eo unicam spem ponere videbantur ut, paucioribus vocabulis, dictionibus, regulisque traditis, certior firmiorque cetera scientia fieret. Quod contra, ut permittam mihi tantis viris contradicere, longe alia via ad commune propositum fert; amplianda erat rerum copia. At, inquit, ne hoc quidem efficitur quod tentatur. Recte: aliqua pars e memoria excidat necesse est. Sed quo plus traditur, eo plus remanebit, detrimento facto.

Notabilis liber nuperrime in lucem prodiit cuiusdam praeceptoris latini, qui dum supervacanea depellere conatur atque in necessariis solis elaborare, duo millia vocabulorum latinorum curiosissime selecta proponit, quae quadriennio scholarum superiorum sufficiant. Hoc apparatu vocabulorum, eis scilicet interpretamentis, quae ipse designavit instructorum, illa incommoda unde laborat hodierna institutio latina emendari posse confidit. Sed, meo iudicio, erravit vir doctissimus; satius erat ad totius latinitatis thesauros pueros remitti, sicut mihi puero (si licet narrare) olim contigit in schola superiori.

Ibi quidam ex condiscipulis meis lexicon latinum maioris formae discedens donavit. Ex illo tempore universum sermonem latinum ob oculos habere coepi et in una qualibet voce exploranda alias complures animadvertere et addiscere consuevi. Plus igitur huic uni libro quam omnibus magistris meis, primo duntaxat anno excepto, debere mihi videor.

(Continuabitur).

Chicagine, Nonis Augustis.

THEO. T. CHAVE.

DE RE LITTERARIA APUD SUBALPINOS (1)

De poësi lyrica.

Quum primum Carolus Albertus rex cives ad rempublicam secum capessendam advocavit, et novus ab integro rerum ordo nasci visus est, omnes qui aliquo ingenio pollerent atque litteris, regni felicitatem auspicati, perpetuis fere laudibus principem in caelum ferebant, et populorum uberem prosperitatem praesagiebant. Tunc ex improviso magnus poetarum foetus in laudibus principis serendis visus est ad nos pervenire, qui aeternis in dies profusis cantibus, imperium cum libertate celebrarent, quod regis cura in hoc praesertim versarentur, ut liberalissimis studiis atque optimis doctrinis civitatem excolerent.

Primus nobis obvius est **Dominicus Capellina** domo Vercellis, qui ex provincialium ephebeo exiit, in quo lectissimi adolescentes tuto et sine offensione publice alerentur. Hic, in ipso iuventutis flore, magnam de se, de ingenii celeritate atque studiorum cultu, fiduciam suis attulit. Namque acerrimo a natura donatus ingenio, ex ipsis athenaei claustris, in medios reipublicae litterariae fluctus passus abripi, omnibus admirantibus, ex discipulo magister subito evasit. Non ei tamen mens in bellis pingendis, quibus patres atque aequales intererant, non in tumultuosis rerum eversionibus, vel urbium

(1) Cfr. an. XIII, n. IV.

vel populorum contentionibus, sed in artibus mansuetioribus exponendis, quibus puerorum virtus excoli solet, litterarum studium commendat, quibus omnis res subalpina optime cuique maxime probatur. Adsiduus Subalpinorum morum cultor ex patriis rebus atque ex ingenio suo romuleam plane vim, et splendidam hausit brevitatem, atque in gravioribus argumentis poetarum clarissimorum magnificentiam feliciter compensavit. Suos quoque versiculos, ex patrio fonte depromptos, egregius eius aetatis musices doctor, commodius aptiusque cum artis suae notis mirifice aptabat. Hinc passim scholarum nostrarum alumni, vel animi causa nullaque prorsus difficultate, ad amorem erga litteras, et ad pietatem in patriam fovendam mirum in modum excitabantur.

Suppari aetate, eiusdemque doctrinae discipulus fuit **Ioseph Bertoldi,** qui cum ipso gloriam litterarum promeruit et decus. In primis imo vel unice in omnium laudem ferebatur ob carmen Carolo Alberto dicatum, atque ita Italorum animos pervasit, ut ab Alpibus ad Siciliam, per vicos, per compita et per angiportus nil dulcius exaudiretur, nil aptius nilque commodius ad patriam colendam. Omnes in novum rerum patriarum vatem respiciunt, eumque recentem Italiae Tyrtaeum salutant, qui suis carminibus animos in martia bella exacuit; eiusque verba pueri alacres repetunt, ea iuvenes ingeminant, ea denique vel milites qui hostilibus animis ad hostes progrediuntur. Sed dum magnam iam de se non spem sed fiduciam adfert, novis tot honoribus poene obrutus, ad altiora vocatus, munera vero publica adgressus, omnia aspernatus, ibi totus diu multumque permansit.

Semel atque iterum, quoad vita ei suppeditavit, in publico cuiusdam potissimum viri clarissimi funere, ad musas excolendas feliciter tantummodo rediens, carmen condidit, in quo mens divina veluti vena pollens interdum fulgebat.

Sicque timor sui primum, mors demum omnium spem intercepit.

Paullo ante vixit **Ioseph Regaldi,** domo Novaria. Etiamtum puer iamque iurisprudentiae laurea in Archigymnasio taurinensi donatus, ingenio fervidus atque levi cuiusdam gloriola raptus, per totam Europam carmina ex improviso fundens peragravit. Mox saeculo indulgens in Orientem perrexit, ubi patriam carminibus omni arrepta occasione honestare consuevit. In patriam tandem senescens reversus, carmina, quae maioribus ingenii luminibus splendescerent, in unum volumen coegit atque in vulgus edere placuit. Legentium etiamnunc manibus teritur inter cetera carmen variis modis conscriptum, cui est titulus: *La Dora;* nunc versibus exaratum nunc soluta oratione; in quo enarrat poeta quae apud celebre illud Subalpinorum flumen, saeculis evolventibus, ab Augusta Domo modo feliciter, modo adverso marte acta fuerunt.

Hic unus inter poetas, qui ex tempore versus componere consueverunt, adhuc animorum cum voluptate legitur, eiusque memoria apud posteros prorogatur. Namque eius carmina altioris poëseos luminibus nitent, et legentium mentem exhilarant. Ingeniosissimo enim viro, qui multas Europae regiones atque Asiae sapientiae causa visitavit, vix licebit locos ex intima quaestionum naturalium subtilitate petitos, poëticis amoenitatibus exornavit. Ex quo etiam latissime patet quanto christiana sapientia ad poësim excolendam magis conferat, quam illa philosophorum placita, quae potius quam mortalium mentem ad caelum erigant, humi defigere consueverunt.

Constantinus Nigra. — De hoc clarissimo viro scripturus optimum factu reputo haec Horatii verba in medium esse ferenda, eique aptissime componenda:

Multos saepe viros nullis maioribus ortos,
Et vixisse probos amplis et honoribus auctos.

Ipse enim humili loco natus, apud Salassos, in villula, cui est nomen *Castelnuovo*, ad altissima regni munera pervenit. Florenti adhuc aetate, liberaliter Augustae Taurinorum institutus, quum egregiam iurisprudentiae operam daret, exardescente bello adversus Austriacos, studiis interceptis, ad arma multorum aequalium exempla secutus, convolavit. Ubi strenue militavit et vulnere adverso pectore honestatus, rediit. Identidem vero, vel inter iurisprudentiae disciplinam, ad carmina suopte ingenio ferebatur, atque ad ea potissimum celebranda, quae probatissimo cuique viro praeclara viderentur. Eius carmina de exercitu Subalpino apud Novariam, carmina popularia, quae passim vel inter iocos tunicata plebs fundere consuevit, maxime laudantur iucundo sententiarum candore atque inaffectata illa stili simplicitate, qua fit, ut ex eius ingenio nullo prorsus labore fluxisse videantur. In celebrandis domesticis factis tam propriis coloribus usus est, ut a nullo homine sumi potuerint.

Utinam vero ultimam operibus manum imposuisset! Sed multis rebus publicis abstractus, rarius omnino, et horis modo subsecivis, quibus a rebus gravioribus otium erat in amoeniores artes incubuit.

Eius tamen nomen e communi oblivionis naufragio enatabit, et rebus publicis, quibus interfuerit, illustre, inter poëtas componendum esse iudicabo. Ipse enim carmina haud spernenda, sive de penu suo depromta, sive de Graeco fonte, nunc Italico sermone nunc etiam Latino in vulgus edidit. Insurgit enim aliquando et plenus est iucunditatis et gratiae, et variis figuris et verbis felicissime audax.

Quoad vixit, orator regni apud complures exteras gentes, plurimos doctos et principes viros amicitia devinctos tenuit, inter quos recensetur Napoleon III, Gallorum imperator. Devexa aetate, omnibus carus placidissime obiit.

SUBALPINUS.

IAM REDUNDAT HORREUM!

Filii Sion, exsultate, et laetamini in Domino Deo vestro, quia... descendere faciet ad vos imbrem matutinum et serotinum... et implebuntur areae frumento.
(JOËL, II, 23-24).

Arva (sidus vult), colone, scinde presso vomere,
Pingue sulcis crede semen, fisus occa iugera:
Qui serenti semen affert, ipse fruges Providus
Imbribus laetas adauget, hisque ditat pauperem.
Stridet arbustis cicada, gryllus una constrepit;
Decidere culmo aristae... dona spectat horreum!

Tecta circum vix hirundo vere trinsat florido,
Ut loquelis sic perita turba runcis squalidam
Sarrit aeram, ne laboret messis... ut virgo Ceres
Turgidis undet papillis ad Favonii oscula.
Stridet arbustis cicada, gryllus una constrepit;
Decidere culmo aristae... vere pubet horreum!

Arva sole sub rubenti flava sterne falcibus
Eia! messor; quae parentis e sinu adsunt munera,
Nunc fluentes gratiosa fronte pendant guttulae:
Excita falcem retusam, sterne messes impiger.
Stridet arbustis cicada, gryllus una constrepit;
Decidere culmo aristae... iam paratur horreum!

Aureos, quos plaustra vectant post bubulci aculeum,
Area aequata cylindro sparge, tritor, mergites;
Cantilena equos beante verberis vox urgeat;
Grana solvant laeta glumae diro apertae tribulo.
Stridet arbustis cicada, gryllus una constrepit;
Decidere culmo aristae... iam vigescit horreum!

Ventus afflat en! secundus: nunc acus tollat leve,
Quod tibi fruges det amplas, pala mensis Aeoli:
Uberes quot fundit Eos, ac Orion lacrymas,
Guttulas quot frons, tot alma mater offert munera.
Stridet arbustis cicada, gryllus una constrepit;
Decidere culmo aristae... iam repletur horreum!

Frugibus plenos revinci reste, deduc sacculos:
Aream, quam pes terenti messe struxit ungula,
Flore splendidae puellae, iunctae ephebis ehodum!
Gaudii gemmisque amoris saltitando insigniant.
Strepit arbustis cicada, gryllus una constrepit;
Decidere culmo aristae... iam redundat horreum!

Iam redundat... laude multa fer, colone, Providum;
Efferat gryllus, cicada; messis, horreum efferat!

Romae, mense Augusto.

THOMAS VIGNAS S. P.

COLLOQUIA LATINA

De sacra Synaxi.

CURIO. — Auspicato quidem mihi obvenis, Atili mi carissime; fidensque ad me accedas, sollicitudinemque ex animo expellas omnem, eo quod in periculo, quod heri de christianae disciplinae institutionibus fecisti, primas habueris; unde scias te post hebdomadam sacra de altari primum libaturum.

ATILIUS. — O me beatum! quaenam me manet sors! quid enim maius usquam sperare possim? Properet quidem candidus ille dies, quo caelestium dapibus refici merear, et sic, adolescens adhuc, cum Christo coniungar, ut eius caro mea sit caro; sanguineque eius genae rubescant meae! Iamiam videor manibus eius capiti meo impositis oblectari, meque totum eiusdem amplexibus devincier, ut olim evenisse legimus Galilaeis puellis, qui a parentibus oblati ad Christum singuli accedebant.

C. — Atili mi, sensus quidem, quos in animo concipis, bene de te portendunt, locutionesque tuae oppido me solantur; sed caveas, ne divinis libaminibus receptis, a talibus sensim incoeptis desciscas, ut plurimum de adolescentulis fit, qui altiorum disciplinarum mox arrepto curriculo, recedunt....

A. — O mi pater, ne talia de me suspiceris; quonam modo ego Iesu mihi tam dulciter et mature occurrenti terga vertere possim! Nonne tu

aliquando dicebas tempus amantium tempus esse Dei? Attamen si mihi daretur etiam, ut Christi suave os tueri possim, manusque eius attrectare, vel paulisper tantum indumenta eius osculari mihi concessum, ut Palaestinis pueris, quibus invideo nimis!

C. — Mysterium, adolescens mi, quod usque nunc, tanto studio te docere curavimus, prodigium quidem amoris, et sapientiae est: « *Christus in Eucharistia latens* », unde nihil habes, ut iuvenibus illis invideas - « *Christus sub signo abditus, et vere praesens - Caritas atque Fides mirabili quodam nexu insimul coniunctae* », unde homo hac vita degens adhuc totque infirmitatibus obnoxius, fide non exuta divino frui consortio, divinisque complexibus propemodum implicari valeat. Quid potius cupere valeas?

A. — Quae tuis commentationibus tanto amore docuisti, mihi nova luce nunc clarescere videntur, imo in tanta mysterii caligine eiusmodi obiectum propius attingere et contemplari. Quanam ratione, cedo, potero per annos altius usque, usque assurgere tantis obvolutus impedimentis?

C. — Fidem atque humilitatem nunquam a latere tuo dissociari permittas; nec semel per diem meditari negligas ad quodnam fastigium Eucharistiae sacramenti causa, christianus quilibet ascendere pergat. En puellum, ut proxime te, sub vitae initium ad angelicas admittier dapes; illumque, quem homines parvi pendunt, nobiliori in sede, in templo nitere, unde caelestis convivii suavitas eius pectus mulcere, quin et laetitiam insuetam in eius propinquos effundi... Quid dicam de piis fidelium cohortibus, qui summo mane, facibus in templo collucentibus per sacramentum Christo uniri consuescunt, ut lacrymis quas hesterno die aerumnis confecti, forsan profuderunt, aliquantisper detersis, caelestis suavitatis sensibus se recreari sentiunt?

A. — Sinas, quaeso, ut et mihi de sacramento hoc aliquid edicere, pro parte quidem mea, liceat. Puellus tantillus eram; in matris gremio sistentem memini me, non semel concentuum sacrorum suavitate delectari; collucentiumque luminum varietatem in templo mirari, et statis temporibus sacro silentio recreari. Conceptus cordi erant sed locutiones deerant; infans propemodum adhuc eram...

C. — Habes ut et unde maiora perspicias. Non longis sermonibus te detineam; accipe quae paucis tibi promam. Clamores populares in praesens excitantur, vulgusque passim in civitatum primores insurgit, quod ipse parvi pendatur, egenique in fastidio habeantur. At, cedo, sacras ingrediaris aedes; statimque spectabis cum nobili viro opibusque affluenti humili loco natum, pannisque propemodum sordidis tectum, ad caeleste accedere convivium pari ritu, nec iure dissimili. Adest prodigium et alterum. Omnes morimur et sicut aqua dilabimur, aiebat foemina illa. Unumquemque quippe nostrûm manet ultima dies! Aegroti oculos caligo quaedam occupat, adstantesque moestitia invadit. Quisnam morientem solari, eumque in spem erigere valeat? Ne desperes; en infirmi domus paupere supellectili non raro instructa, illico sacris lucescere facibus, non secus ac templum; Christi corpus solemni ritu per sacerdotem deferri, ut iamiam funebri lecto decumbens eo reficiatur, et ceu viatica daps illi praebeatur. Omnes genua flectere mystico velamine tecto Domino ingredienti; et sub ipsum funus, sive languidum, sive eiusdem propinquos caelestium gaudiorum praesagium quoddam afficere, ac solari! Sed sermocinationibus nostris finem imponamus. Quae diximus hucusque memoria serves, studeasque, ut cogitationibus hisce inhaerens sacram ad synaxim properare contendas illorum verborum veritatem ratus: Beati qui in ipso iuventutis flore ad nuptiarum agni vocati a sacris divinae Domus liminibus in posterum nunquam recesserunt!

Albii Intemelii.

CALLISTUS AMALBERTI A. U.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Mustelam habere.

Adagium a Diogeniano refertur, in eosque quadrat, quibus omnia sunt inauspicata, tamquam fatis ac diis iratis, ut aiunt. Olim enim creditum est hoc animal infaustum iis qui haberent, domique alerent; ut non admodum dissideat ab illis: « Equum habet Seianum », et « Aureum habet Tolosanum ». Unde nunc etiam apud quasdam gentes infelix omen habetur, si, quum paratur venatio, mustelam quis nominet, cuius etiam occursus passim inauspicatus habetur.

S. PETRI PRIMATUS ET PRAEROGATIVAE

EX ARCHAEOLOGIAE TESTIMONIIS (1)

Inter rationes, quas Luteriani et Calviniani adduxerunt ad suam a Romana Ecclesia secessionem quodammodo cohonestandam, haec fuit potissima, ut scilicet ad primaevam Fidei esset redeundum simplicitatem, a qua Romana Ecclesia prorsus descivisset. Interim vero Pontificis Maximi conciliorumque auctoritas ipsaque Ecclesiae probata traditio illis nulla: dogmata quae sibi placent, mutata persaepe eorum natura, ea retinent; cetera veluti abusus reiiciunt. Sacrorum exinde librorum testimonia, privatum iuxta uniuscuiusque iudicium docent accipienda, ac proinde quidquid sibi favere posse intelligunt, huic parcendum existimant; quae autem nullo possunt modo ad privatum sensum retorqueri, haec, tamquam interpolata, eliminanda esse pronuntiant.

Itaque, contra illos, nedum Petri potestas summa, ne auctoritas quidem Scripturarum sacrarum efficaciter plerumque afferri potest; utrumque enim respuunt criterium, ad historiam provocantes eamque iactantes se probatam habere dumtaxat.

Dicamus audacter: huic ad historiam provocationi, nos, catholici, parum inventi fuimus parati. Doctissimi cardinalis Baronii Annales aliorumque virorum eruditorum, maximeque Balmes philosophi, scripta complures certe dissiparunt errores; attamen adhuc propugnaculum quoddam viris Religioni nostrae infensis manserat, in quo fere invicti viderentur. Sic saeculo XVII, Iacobus Spon, vir antiquitatis suo quidem tempore peritissimus, catholicos archaeologos ut historice, per monumenta, nonnulla dogmata, verbi gratia purgatorii existentiam, seu precum pro mortuis efficaciam, antiquitus a Christianis fuisse admissa probarent provocabat; neque ullus fuit, qui tunc ac deinceps per longum tempus responderet; ita Christiana monumenta, licet ab immortali Bosio paullo ante illustrata, parum tamen perpensa atque examinata fuerant.

E contra, hodie, quot traditionis testimonia circa potissima catholicorum dogmata licet e monumentis colligere! Iacobi Spon provocationi quinquaginta circiter abhinc annis a doctissimo viro Edmundo Leblant, inter alios, apprime responsum fuit, nec quidquam illius difficultatis superest hodie nisi provocatoris audacia. Multo etiam ulterius in huiuscemodi probationis genere procedi posse, satis est nostris temporibus demonstratum; ipseque ego, De Rossi, Wilpert aliorumque archaeologorum huius aetatis vestigiis insistens, plura nec levia contra novatorum placita evincere potui. Prolixius vero est huc omnia adducere, quae e monumentis ad nostram Fidem confirmandam erui fas sit; obiter enim summatimque nimis quaedam proponi deberent, quae tamen haud breviter essent natura sua tractanda. Unum proinde eligam quod, ut par erit, evolvam, ac fortasse ita fuse, ut nunquam hucusque fuerit ab aliis dissertum: de *Primatu Beati Petri* dico.

Quanta haeretici contra S. Petri primatum, ut illum everterent, moliti sint, incredibile pene videtur; eorum tamen disiiciendis cavillationibus sermonisque circuitionibus haud immorabor. Unum animadvertam, eorum detortam capitis XVI Matthaei interpretationem (1), iuxta quam nihil Petro a Christo Domino commissum fuit, quod simul ceteris apostolis aeque non fuerit tributum. Etenim, nihili quod Christus nomen Petri *(Cephas)* Simoni indiderit ipsi faciunt; nihili quod eidem fratres in fide confirmandi munus commiserit, nihili denique quod pascendi non solum agnos, sed et oves curam Petro, eique soli, Christus crediderit. Immo et Patrum plurima explicataque testimonia de Petri primatu aut spernunt, aut ad alienum retorquere sensum conantur.

Videamus igitur num revera Petrum ceteris parem apostolis monumenta archaeologica exhibeant. Haud profecto ad nostram Fidem confirmandam eiusmodi argumentum referre necesse est: clariora enim Scripturae verba sunt quam ut istud quidquam amplius demonstret. At adversariis non ita; quippe qui, si Scripturae verbis ac Patrum testimoniis parum auctoritatis tribuerint, nihilominus haud ita facile monumentorum eloquentiam vitare aut minuere poterunt.

I.

Petrus saepius quam alius quisquam, praeter Christum, in sculptilibus cernitur.

Humanae proprium est naturae, ut illud magis commemoretur quod, aut propter praestantiam, aut propter bonitatem ceteris rebus excellat, magisque cordi sit. Porro, si Christi Salvatoris personam excipias, nemo tam saepe in sculptilibus coemeterialibus cernitur quam beati Petri persona.

Illi qui eiusmodi monumenta probe norunt, facile id mihi concedent; verum, ut omnibus probetur, numeros adducam, qui hodie in omnibus quaestionibus maximi fiunt. Ut autem recte eiusmodi intelligatur computatio, quaedam sunt animadvertenda.

A computatione nostra excludantur primum ea omnia biblica argumenta, quae prophetam vel patriarcham exhibent veluti defuncti imaginem; Ionam videlicet, Danielem inter leones, paralyticum aliaque huiuscemodi; secundo vero omnes personae, quae nullo modo possint certo ac perspicue dignosci, uti sunt quidam

(1) Quod cl. auctor dissertationem, quam ad Vicensem conventum proxime habendum ad centenaria Iacobi Balmesii commemorationem celebrandam misit, nobis vulgandam ultro tradiderit, *Vox Urbis* grates habet ac refert.

(1) « Respondens autem, dixit ei: Beatus es Simon Bar-Iona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est. Et ego dico tibi: Quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis (vv. 17-19) ».

prophetarum vel apostolorum iuxta Christum imagines, inter quas vel Petri haud raro adumbratio esse potest. Praeterea, ut facile suis unusquisque oculis rem inspicere ac recognoscere possit, ad fidelem monumentorum synopsim est recurrendum. *Artis Christianae historiae,* a Garrucci doctissimo scriptae, quintum igitur volumen eligatur, quod maximam huius monumentorum generis partem omniumque Christianarum regionum complectitur, atque iuxta illud computatio fiat.

Personae autem considerandae, praeter Christum, apostoli Petrus et Paulus mihi videntur, qui a ceteris apostolis facile distinguuntur, sive quia Christo propiores sunt, sive quia etiam soli sine apostolorum collegio effinguntur. Porro, in praefato Garrucci volumine, omissis obscurioribus repraesentationibus, Christi imagines *quadringentae et quadraginta* sunt (1); Petri imagines *ducentae duodecim,* Paulique vero *quadraginta septem.*

Antiquissima Apostolorum Petri et Pauli Imago in disco aeneo insculpta et in coemeterio Domitillae reperta.

Ut autem proportionis huius, respectu ceterarum personarum, conceptus habeatur, notare sufficit, Moysis imagines *triginta septem,* Ezechielis *quinque,* Danielis *undecim* (2), Eliae *sex* in praefato volumine reperiri; denique collegium apostolorum ne trigesies quidem cerni. Neque dicendum est id Romae solummodo contigisse; nam Garrucci volumen, circa sarcophagorum anaglypta, omnia complectitur monumenta, quae suo tempore cognita erant. Christiana igitur plebs, praeter Christum, beati Petri magis quam aliorum, et ipsius Pauli, memoriam coluit, eiusque apostoli imagine potissime sculptorum ingenia sunt afflata.

II.

Quaedam Petri ac Pauli communia.

Ut ipsa rei natura ferebat, communis Petri cum Paulo apostolatus in Romana Ecclesia instituenda gubernandaque fecit ut in quibusdam privilegiis consocii duo isti apostoli prorsus essent, idque praesertim in passionibus quibus Magistro quodammodo compararentur. Hinc est quod Paulus a militibus deprehensus aliquando inveniatur, sive symmetrice cum Petro item a militibus deprehenso dispositus, sive non. Immo semel eius deprehensio atque martyrium cum captura Christi symmetrice opponitur; quod profecto quanta eius fama fuerit luculenter probat.

Aliud est insuper hoc in genere notandum, Paulum, haud secus atque Petrum, saepe ad latus Salvatoris conspici, atque ab eo legationem accipientem Evangelii inter gentes propagandi.

Denique duo apostoli, veluti intercessores pro defunctis, sive in catacumbarum picturis, sive in sculptilibus, ubi animae imagini, orantis instar personae effictae, adsunt, delineati reperiuntur, praesertim vero in media anaglyptorum parte. Horum quidem nullus fuit in supra dicta computatione respectus sed ob lineamenta utriusque apostoli propria, haud est ambigendum quin ita fuerint saepissime ambo Romanorum apostoli repraesentati ; saepius vero Petrus.

(Ad proximum numerum).

XYSTUS SCAGLIA O. C. R.

(1) Excipiuntur imagines boni Pastoris, quae innumerae prorsus exstant.
(2) Agitur de Danielis effigie cibum mortiferum draconi porrigentis.

ACTA PONTIFICIA

De iureiurando conceptis verbis dando ab iis qui Doctores in Scriptura Sacra renunciandi sunt. — « Motu proprio » SSmi. dat. d. XXIX mens. Iunii MCMX candidati ad lauream, antequam Doctoris titulo in Sacra Scriptura donentur, certam iuramenti formulam recitare atque emittere iubentur, qua spondeant se « principia et decreta per Sedem Apostolicam et pontificiam Biblicam Commissionem edita vel edenda uti supremam studiorum normam et regulam fideliter, integre sincereque servaturum et inviolabiliter custoditurum, nec unquam sive in docendo sive quomodolibet verbis scriptisque eadem esse impugnaturum ».

— « Motu proprio » SSmi. dat. d. III Maii MCMX,

edit. d. XV men. Iulii e. a., Vicarius Castrensis constituitur in Reipublicae Cilenae exercitu.

— Per *Apostolicas litteras* dat. d. XXIV mens. Martii MCMX, edit. d. I mens. Iulii e. a., confirmantur nominatim veteres indulgentiae Piae Catholicarum Mulierum Fuldensi Unioni a Missionibus nuncupatae, novaeque adiiciuntur cum facultate cognomines Associationes ubique aggregandi in perpetuum.

— Per *Apostolicas* pariter *litteras* dat. d. IX mens. Iunii MCMX, edit. d. XV mens. Iulii MCMX, laudatur Societas pro diffusione Catholicae Fidei Chicagine in Civitatibus Foederatis Americae Septemtrionalis instituta.

— Item per *Apostolicas Litteras* dat. d. X mens. Maii MCMX, edit. d. XXXI mens. Iulii MCMX, Vicariatus Apostolicus Ce-Kiam Occidentalis erigitur, hisce finibus conclusus: ad septem triones Vicariatus Kian-Nan et lacus T'hai-hou; ad occidentem Vicariatus Kiam Nan et Vicariatus Kiam Si orientalis; ad meridiem Vicariatus Ce-Kiam orientalis et Vicariatus Fokien; denique ad orientem Vicariatus Ce-Kiam orientalis et mare Sinicum orientale, vel potius sinus Ham-tchou. Eadem Missio ita terminata apostolicis curis concreditur Sacerdotum e Congregatione S. Vincentii a Paulo.

— Etiam per *Apostolicas Litteras* d. IX mens. Iunii MCMX ad R. P. D. Patritium Fergo Mac Evary, archiepiscopum Torontinum, missas, laudatur Associatio pro diffusione Ecclesiae Catholicae Toronti in dominio Canadensi constituta, indulgentiisque ditatur.

— Denique per *Apostolicas Litteras* in « Acta Apostolicae Sedis » d. XV mens. Augusti MCMX relatas:

a) Plenariae et partiales Indulgentiae conceduntur Fidelibus, qui Missae quotidianae Lugduni pro pauperibus defunctis cura Piae Unionis Crucifixi a venia celebrandae, vel in spiritu se sistant.

b) Plenariae et partiales Indulgentiae conceduntur Fidelibus Reipublicae Mexicanae centenario adeptae libertatis anniversario hoc anno recurrente.

c) Ecclesia Metropolitana Leopoliensis Latinorum titulo Basilicae Minoris decoratur.

d) Sacerdotibus inscriptis in recenter adiecta quarta sectione Pii Consortii sub titulo Deiparae Virginis Perdolentis, dioecesis Mediolanensis, privilegium Missarum conceditur.

e) Ecclesia Cathedralis Plocensis ad dignitatem Basilicae Minoris evehitur.

f) Piacularis perpetua Missa in universis Galliae ecclesiis uno e Novembris mensis dominicis diebus celebranda instituitur, addita plenaria indulgentia.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Consistoriali.

De competentia concedendi facultatem acquirendi bona Ordinibus aut Congregationibus religiosis usurpata.

Sacra Congregatio Concilii, quum ipsi oblatae essent preces a Vicario Capitulari cuiusdam dioecesis circa emptionem aedificii Ordinis Regularis, cui a gubernio civili iamdudum ablatum fuerat, Sacrae Congregationi Consistoriali proposuit dubium « utrum, post Constitutionem *Sapienti Consilio*, spectet ad S. C. Concilii, vel potius ad S. C. de disciplina Religiosorum, facultas permittendi Christifidelibus, ut bona acquirant Ordinibus aut Congregationibus religiosis usurpata ». Re autem mature perpensa et praehabito consultorum voto, Emi. Patres respondendum censuerunt: « Spectare ad Sacram Congregationem Concilii ». (Ex decr. d. XIV mens. Martii MCMX).

De Societate Missionariorum Africae, vulgo « Pères Blancs ».

Societas haec etiam post Constit. *Sapienti Consilio* subiecta manet S. Congregationi de Propaganda Fide. (Ex decr. d. XV mens. Martii MCMX).

Nova Apostolicae Cancellariae regula pro subscriptione Constitutionum Apostolicarum.

Constitutionibus huiusmodi in posterum una subscribent Cardinalis S. R. E. Cancellarius, et Cardinalis qui officio praeest, ad cuius competentiam res pertinet in eadem Constitutione pertractata. Duplex earumdem Constitutionum exemplar, alterum a Summo Pontifice, alterum a memoratis Patribus Cardinalibus subscriptum, in Apostolicae Cancellariae tabulario custodietur et servabitur. (Ex decr. d. XV mens. Apr. MCMX).

Regulae circa secretum servandum in designandis ad Sedes Episcopales apud Foederatas Civitates Americae Septemtrionalis, ubi leges de re vigent.

1. Convenientibus dioecesanis consultoribus et parochis qui ius habent suffragium ferendi pro prima candidatorum propositione, vulgo *terna*, ab initio sessionis omnes et singuli coram Praesule praesidente iusiurandum dabunt de secreto servando circa nomina quae in discussionem veniunt, et circa ea quae ex maiore suffragiorum numero probata manent, ut Episcoporum iudicio subiiciantur.

2. Si quis cousultor, quod Deus avertat, iuramento desit, praeter alias poenas quibus obnoxius evadere potest, statim a consultoris officio removendus erit: si parochus, poena erit perpetua privatio iuris ad suffragium ferendum.

3. Episcopi ad idem secretum *sub gravi* obligantur: et ab initio sessionis in qua de candidatorum scrutinio agitur, Praeses de hac obligatione eos opportune admonebit.

4. Ad idem secretum *sub gravi* tenentur Apostolicae Delegationis administri, iuxta iuramentum quod ab iisdem praestari solet; et ii quoque ad quos forte Apo-

stolicus Delegatus se diriget ut opportunas notitias de candidatis habeat; qua de re sive verbis, sive litteris aliquem interpellet, ipse tenetur de gravi hac obligatione interpellatum docere.

5. Exemplar huius decreti in singulis curiis episcopalibus servetur, ut omni tempore singulis ad quos spectat norma et regula sit. (Ex decr. d. XXX mens. Martii MCMX).

Novae erectae dioeceses.

Decreto S. C. Consistorialis, SS. D. N. Pius PP. X erexit:

Die XI *mens. Novembris* MCMIX. — Sedem episcopalem Natalensem (*Natal*) provinciae ecclesiasticae S. Salvatoris de Bahia in Statu reipublicae Brasilianae.

D. XV *mens. Decembris* MCMIX. — Sedem episcopalem Aracayuensem *(Aracayù)* pariter provinciae ecclesiasticae S. Salvatoris de Bahia in statu reipublicae Brasilianae.

D. XXX *mens. Decembris* MCMIX. — Sedes episcopales Crookstoniensem *(Crookston)* et Bismarckiensem *(Bismarck)* provinciae ecclesiasticae S. Pauli de Minnesota in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis.

D. XXI *mens. Ianuarii* MCMX. — Sedes episcopales Corrientensem *(Corrientes)* et de Catamarca provinciae ecclesiasticae Bonaërensis in republica Argentina.

D. IV *mens. Martii* MCMX. — Sedem episcopalem Reginatensem, provinciae ecclesiasticae S. Bonifacii in regione Canadensi; et Vicariatum Apostolicum *de Keevatin* in eadem provincia ecclesiastica S. Bonifacii.

D. X *mens. Martii* MCMX. — In metropolitanam evexit sedem episcopalem Cuiabensem *(Cuyabà)* eique suffraganeas constituit duas novas sedes episcopales S. Aloisii de Cáceres et Corumbensem *(Corumbà)* in statu *Matto Grosso* reipublicae Brasilianae.

D. X *mens. Aprilis* MCMX. — Erexit in Insulis Philippinis quatuor novas sedes episcopales: Lipensem *(Lipa)*, Calbayoganam *(Calbayog)*, Tuguegaraoanam *(Tuguegaras)*, Zamboangensen *(Zamboanga)* et novam praefecturam apostolicam Palawanam, easque suffraganeas constituit metropolitanae ecclesiae Manilanae.

D. XV *mens. Aprilis* MCMX. — In Civitatibus Foederatis Americae Septemtr. erexit Sedem episcopalem Toletanam, provinciae ecclesiasticae Cincinnatensis.

D. XXIII *mens. Maii* MCMX. — Novas Praefecturas Apostolicas *Solimoês Superioris* et *de Teffé,* quas dismembravit ab amplissima Amazonum dioecesi, in republica Brasiliana.

D. VIII *mens. Iunii* MCMX. — Novam Abbatiam nullius S. Mariae Auxiliatricis Belmontensis in vicariatu Apostolico Carolinae Septemtrionalis in Foederatis Americae Statibus.

D. VII *mens. Iulii* MCMX. — Sedem episcopalem Caliensem, provinciae ecclesiasticae Popayanensis in republica Columbiana.

De competentia circa taxas Curiarum Episcopalium.

Proposito dubio: « Utrum post Const. *Sapienti Consilio* adhuc spectet ad S. C. Concilii adprobare taxas Curiarum Episcopalium, nec non dirimere quaestiones omnes, quae ad eas referuntur; an vero haec facultas reservanda sit S. C. Consistoriali », per decr. d. XXI mens. Apr. MCMX responsum est: « Affirmative ad primam partem; negative ad secundam ».

Circa privilegium deferendi pileolum violacei coloris Episcopis concessum.

Episcopi absque speciali indulto uti possunt privilegio deferendi pileolum violacei coloris a die in qua a Summo Pontifice electi suut, quamvis consecrationem episcopalem nondum susceperint; idque dum sacris operantur, non tamen a Praefatione usque ad susceptum Corpus et Sanguinem Christi Domini, ac dum divinis officiis sacrisque ritibus intersunt. (Ex decr. d. II mens. Maii MCMX).

Ex Congregatione Rituum.

Dubia soluta circa nonnullas in Ordine Praedicatorum consuetudines.

An fratres Ordinis Praedicatorum teneantur genuflectere coram Episcopo dioecesano, dum in eorum Ecclesiis assistit ad Sacras functiones? — *Resp.* Quum in ritu Ordinis Praedicatorum ministri et clerus inferior non genuflectant ad Crucem, sed caput profunde inclinent, neque ad Episcopum dioecesanum in casu genuflectere debent.

II. An decretum S. R. C. n. 3874 *Meliten.* 30 Novembris 1895, vi cuius iidem Fratres Ordinis Praedicatorum possunt in processionibus Crucifixi imaginem ad se conversam tenere, habeat locum etiam in processionibus in quibus intervenit Episcopus Dioecesanus? — *Resp.* Affirmative.

III. An liceat Praelatis Regularibus privilegium habentibus uti palmatoria, quando celebrant coram Episcopo dioecesano? — *Resp.* Affirmative, dummodo tamen Episcopus non assistat throno.

IV. An qui tenentur ad processiones Litaniarum, S. Marci videlicet et Rogationum, possint, processione peracta, relinquere Ecclesiam: vel debeant exspectare donec celebrans preces post Litanias dicendas concludat? — *Resp.* Negative ad primam partem; affirmative ad secundam, et consuetudinem contrariam esse eliminandam. — (Ex decr. d. IX mens. Aprilis MCMX).

Ex Congregatione de Sacramentis.

Dubia soluta circa Decretum de Sponsalibus et Matrimonio.

I. Quid intelligendum sit nomine « regionis », seu in qua distantia debeant versari contrahentes a loco in quo est sacerdos competens ad assistendum matrimonio, ut hoc possit valide et licite iniri coram solis testibus ad normam art. VIII decr. « *Ne temere* ». — *Resp.* Matrimonium potest valide et licite contrahi coram solis testibus sine praesentia Sacerdotis competentis ad assistendum semper ac, elapso iam mense, Sacerdos competens absque gravi incommodo haberi vel adiri nequeat.

II. Accidit non raro ut ob sacerdotum inopiam plures paroeciae ab uno tantum parocho regantur, qui easdem omnes singulis mensibus invisere nequit. Sunt pariter quaedam amplae paroeciae, vicos etiam cum sacello publico valde dissitos continentes, qui infra mensem,

tum ob viarum asperitatem, tum ob fluminum impetum lustrari a parocho nequeunt omnino, nec parochus a fidelibus adiri potest. Quaeritur: *a)* Possintne fideles paroeciarum in primo casu, elapso mense quin parochus advenerit, valide ac licite matrimonium contrahere coram duobus testibus tantum, iuxta art. VIII; *b)* Quilibet vicus in secundo caso possitne tamquam « regio » haberi, ita ut ibi degentes facultate praefati art. VIII uti valeant. — *Resp.* Provisum in primo.

III. Utrum valide matrimonium coram solis testibus ineat qui in « regionem », de qua art. VIII *in fraudem legis* se conferat. — *Resp.* Affirmative.

IV. An possint adhiberi ut testes mali christiani atque adeo pagani in ordine ad observandas praescriptiones art. II, III, VII et VIII — *Resp.* Quoad qualitates testium a decreto « *Ne temere* » nihil esse immutatum.

V. Quoad menstruam commorationem et vagos quaeritur: *a)* Utrum commoratio menstrua, de qua in art. V, § 2, sit accipienda *sensu relativo,* i. e., quoad eos qui alibi habent domicilium aut quasi-domicilium, an *sensu absoluto,* seu quoad illos qui nullibi praedictum domicilium aut quasi domicilium habent; *b)* Utrum parochus vel Ordinarius proprius, de quo eodem art. V, § 3, sit parochus vel Ordinarius commorationis menstruae sensu absoluto acceptae; *c)* Utrum nomine vagorum, de quibus art. V, § 4, ii omnes veniant qui destituuntur domicilio et quasi-domicilio, an ii tantum qui, domicilio et quasi-domicilio destituti, praeterea nullibi habent parochum vel Ordinarium commoratione saltem menstrua acquisitum. — *Resp.* ad *a* et *b.* Provisum per responsum ad V datum a S. C. Concilii die XXVIII mens. Martii MCMVIII. (1) Ad *c)*: Nomine vagorum, de quibus art. V, § 4, veniunt omnes et soli qui nullibi habent parochum vel Ordinarium proprium ratione domicilii vel menstruae commorationis.

VI. Accidit ut parochorum coadiutores ab Episcopis nominentur, et quidem ex iure particulari facultate assistendi coniugiis non sint instructi; tamen usuvenit ut, ab incepto officii exercitio, parochis non contradicentibus, sed irrequisita eorum licentia matrimoniis adsistant, in libris etiam matrimoniorum adhibentes solam sui ipsorum subscriptionem; imo praesertim in maioribus paroeciis semper vel fere semper matrimoniis adsistant. Quaeritur in casu: *a)* An matrimonia coram coadiutoribus hucusque inita, tacentibus parochis, sint valida; *b)* Quatenus affirmative, an licite coadiutores se gerant in assistentia connubiis praestanda ab incepto officii exercitio, absque expressa parochorum delegatione; *c)* Utrum tolerari possit mos ut coadiutores omnibus vel fere omnibus matrimoniis in paroecia adsistant, an potius parochi urgeri debeant ad hanc adsistentiam ut plurimum et ordinarie per seipsos explendam, nisi legitima et gravi causa, onerata ipsorum conscientia, impediti fuerint, quo in casu deputationem coadiutoribus conferant et ita solitis verbis connubia in libris matrimoniorum describantur. — *Resp.* ad *a:* Acquiescant, facto verbo cum SSmo; ad *b:* Serventur de iure servanda; ad *c:* Quoad assistentiam matrimoniis a parochis personaliter praestandam Archiepiscopus pro suo iure urgeat si quae sunt de ea re leges Concilii Provincialis. Quoad descriptionem matrimonii celebrati servetur art. IX Decreti « *Ne temere* » et praescriptum Ritualis Romani.

VII. Utrum per art. I decreti maneat abrogatum ius speciale ante illud decretum in Hispania vigens, et ad Americam Latinam extensum, vi cuius ad valorem sponsalium requirebatur scriptura publica a notario subscripta. — *Resp.* Affirmative.

VIII. Utrum Ecclesiae regulares exemptae ad tenorem decreti existimari possint et valeant tamquam territorium parochi seu Ordinarii, in quorum territoriali districtu sunt sitae, ad effectum adsistentiae matrimonii. — *Resp.* Affirmative.

IX. An et quomodo annuendum sit petitionibus quorundam Ordinariorum, nimirum: 1° Episcopi Rosensis postulantis dispensationem ab obligatione imposita per art. IX, § 2 adnotandi in libro baptizatorum coniuges tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse; 2° Vicarii Apostolici Kiam-Si Orientalis postulantis dispensationem non solum ab obbligatione adnotandi matrimonium contractum in libro baptizatorum, sed etiam in libro matrimoniorum; 3° quorundam Ordinariorum Sinensium qui quaerunt: Utrum responsum S. C. C. diei 27 Iulii 1908, ad VII, restringatur ad solos duos casus tunc in quaesito proposito; et, quatenus affirmative, postulant ut responsum extendatur ad alios casus verae necessitatis; 4° Episcopi Mangalorensis qui postulat ut sibi facultas detur permittendi ut matrimonium celebratum in libro matrimoniorum describi possit a Sacerdote qui ex delegatione parochi matrimonio adsistit, quando parochus sit absens. — *Resp. ad 1um*: Non expedire et ad mentem. Mens est, ut Ordinarius aliique ipsius cooperatores, quantum in Domino possunt, satagant illam perniciosam superstitionem ab animis fidelium avertere, qua ab usurpandis sanctorum nominibus in baptismo susceptis deterrentur. Doceant ipsos frequenter, idcirco nomina eis imponi Sanctorum, ut eorum exemplis ad pie vivendum excitentur et patrociniis protegantur. Parochis vero aliisque animarum curae praepositis sacerdotibus commendent, ut quamdiu illa perniciosa superstitio eradicari non possit, omni, qua valeant, diligentia libros parochiales conscribant, etiam adhibita opera aliorum, quorum industria ea in re iuvari posse credant. Quodsi in casu particulari verum nomen coniugati scire non poterunt, stante morali impossibilitate legem observandi, ea non obligantur. — *Resp. ad 2um*: Non expedire quoad utrumque et ad mentem. Mens est, Ordinarios curare debere, ut a Missionariis regesta celebratorum matrimoniorum diligenter conficiantur et conserventur, eisque pro suo prudenti arbitrio praescribere cautiones ad vitanda incommoda exposita, adhibitis etiam, si opus fuerit, signis conventionalibus. — *Ad 3um*: Quoad primum, negative; quoad secundum, provisum in primo. — *Ad 4um*: Pro gratia prudenti arbitrio et conscientiae Episcopi. — (Ex decr. d. XIII mens. Martii MCMX).

Homo non sibi se soli natum meminerit, sed patriae, sed suis.

CIC., *De fin.*, II, 14.

(1) Cfr. *Vox Urbis* an. XI, n. V, pag. 57.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Augusto MCMX).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites, aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Manus peregrinorum a Septemtrionali America ab illmo. et revmo. dno. Augustino Van der Vyver, episcopo Richmondien., coram adducta; Lagoaca, Comes, Lusitanorum negotiorum gestor apud Apostolicam Sedem; legatio Americanae Societatis, cui « Equites a Columbo » nomen.

Pontificiae electiones.

Illmus. et revmus. dnus. Stephanus Reville, episcopus Sandhursten., inter episcopos pontificio solio adstantes refertur.

— R. p. d. Aloisius Boschi, episcopus Ripanus, Delegatus Apostolicus mittitur dioecesis Montis Alti, durante infirmitate illius episcopi et ad nutum S. Sedis.

— R. p. d. Paulus Aemilius Bergamaschi, episcopus cathedr. eccl. Troianae, in archiepiscopum tit. eccl. Areopolitanae promovetur.

— R. d. Iosephus Chartrand, rector cathedr. ecclesiae Indianopolitanae ibique vicarius generalis episcopi, episcopus tit. eccl. Flaviadensis creatur, cum deputatione Coadiutoris cum futura successione r. p. d. Francisci Silas Chatard, episcopi Indianopolitani.

Varia.

Die IX mens. Augusti MCMX in Xystino Sacello, adstante Pio X P. M., sollemnia peraguntur, octavo ineunte anno ab ipsius Pontificis coronatione.

ANNALES

Novum inter Balkanicos populos regnum constitutum.

Die XXVIII elapsi mensis Augusti, deposita omni cuiusque generis concertatione, Balkanici populi novum intra suos fines regnum, maxima cum laetitia, salutarunt. Et iure quidem; si enim magnis conatibus magna praemia proponuntur, diadema quo Nicolai, Nigri Montis Principis, caput redimitum est, honestissimum virtutis pretium proculdubio habendum est. Nicolaus enim, Danilo regi patruo suo, nefarie interempto die XIII mens. Augusti MDCCCLX, suffectus, per annos quinquaginta talem initio militem pro patria in libertatem vindicanda, ac deinde, communem gentis suae desiderium consequutus, tam sagacem politicum se praebuit, ut antiquam Tcherna-Gorae gloriam renovaverit, novorum temporum eam cum humanitate apte coniunxerit, sibique et novo nunc regno aestimationem ac fidem ceterarum Europae gentium conciliaverit. Nil mirum igitur, quod ne vox una quidem festi diei sollemnibus discors intercesserit, omniumque plausus facile fuerit ingeminatus. Quod felix, bonum faustumque siet!

*
* *

Austrorum Hungarorumque gaudium.

In proximo quoque Austrorum Hungarorumque imperio gaudii dies transacti sunt ob adeptos feliciter a Francisco Iosepho Caesare aetatis annos octoginta. Quamquam, ipsius augusti senis desiderio, non publice festum celebratum fuit, sed intimius hinc, inde in pauperum solamen, ad quos pecunia omnis delata est pro publicis sollemnibus congesta. Id tamen non prohibuit, quominus omnes populorum rectores Teutonum populorum laetitiae participes fieri voluerint, in primisque Gulielmus, Germanorum Imperator, qui Francisco Iosepho libere propinans, eum potentem Europaeae pacis factorem salutavit.

*
* *

Cretensis quaestio.

Appropinquantibus Graecorum comitiis, ad coetum « constituentem » eligendum, ne quies inopportunis motibus turbaretur, Rhallis, Theotokis atque Venizelos, qui inter maximos civiles Graecorum viros adnumerantur, convenerant, ut quivis Cretensis candidatus excluderetur. Habitis tamen comitiis, Athenis atque in omni Attica populi scito popularis factionis viri necopinato electi sunt; ante omnes ipse Venizelos, qui Cretensi, quem aiunt, actuoso comitatui praeest, et ad gubernium, uti par erit, vocatus, non facile praeteritis civilibus actibus suis contradicere poterit, qui proxime praeteritorum eventuum non ultimam partem constituerunt. Novae igitur rerum complexiones ad horizontem elucent.

*
* *

Ex Iaponia.

Quod iamdiu prospiciebatur, effectum tandem est: Iaponia Coreanam peninsulam suo imperio placide atque secure addixit, abdicanti regi nomine ac dotis donatione relictis.

*
* *

In inferiore America.

Dum Cilensis civitas Petrum Montt praesidem suum, virum prudentem et civilis artis peritum, vita functum deflet, et Argentinensis Saenz Pena, Reipublicae oras attingenti, plaudit, ex Nicaragua nunciatur Madrizius, vix ad summum imperium delatus, a rebellibus civibus acriter fuisse impetitus atque in fugam versus. Et *sic itur ad astra!*

PER ORBEM

Die I mens. Augusti, Noti, in oppido Siciliae insulae, moritur Iosephus Cassone, Siculorum poeta popularis.

— d. III Tolonae, navis ex eorum genere quibus a torpedine nomen, machina incenditur, unde classiarii plures atrocia vulnera reportant.

— d. IV Stockel in urbe, Nicolaus Kinet, qui de aviatione magnos triumphos retulerat, cum velivolo suo in terram praecipitat, misereque confringitur.

Mutinae vita fungitur Franciscus Ghiaroni, philanthropus insignis.

— d. VI Stocolmae annuo de pace internationali conventui finis imponitur.

— d. XI centenaria dies a quo Camillus Benso, Comes a Cavour, maximus Italorum politicus, natus est, per Italiam omnem sollemni ritu commemoratur.

— d. XIII ex Iaponia nunciantur inundationes magna damna civibus procurasse: oppida eversa, Tokioque in urbe triginta domorum millia aquis submersa.

— d. XIV Bruxellis in omnium artium internationali exhibitione incendium, qua de causa obortum ignoratur, brevi tempore late diffunditur, tentoriaque a Belgica, Anglia et Gallia statuta fere omnino in cinerem vertuntur.

— d. XVI Romae, Adulfus Cozza, Comes, pictor atque artis criticus valde probabilis, improviso fato occumbit.

Bremae, quam urbem valetudinis suae restituendae causa petiverat, Petrus Montt, Cilenae Reipublicae praeses, morte aufertur.

— d. XVII Americanus aviator Moisant Ambiano profectus, Britannicum mare transit atque ad Doverium appellit.

In Apulia *colera* morbus diffunditur.

— d. XIX polaris expeditio, cui Mikelsen praeest, Aalesund tenet.

— d. XX. Stabiae, nova Italorum loricata navis, cui a Dante Aligherio nomen, sollemniter ac feliciter in mare immititur.

Prima Italicae aviationis victima, Hugolinus Vivaldi Pasqua tribunus militum lugetur, cum aëronavi sua ad Romam collapsus.

— d. XXVIII, Cettinje in urbe Nigri Montis capite, Nicolaus princeps, adstantibus Italorum et Bulgariae regibus, pluriumque Europaearum nationum legatis, rex dicitur atque coronatur.

Sancti Terentii in oppido Liguriae novem et septuaginta annos natus obit Paulus Mantegazza, physiologus notissimus.

— d. XXX novis terrae motibus Calabrae Siculaeque circa Messanam terrae agitantur.

LIBRORUM RECENSIO

MONS. G. BONOMELLI, Vescovo di Cremona. — *Questioni morali del giorno.* (Romae, Desclée 1910).

Hoc titulo doctissimus Antistes Cremonensis epistolas suas Pastorales annorum nuper praeteritorum denuo edidit, quibus argumenta gravissima dilucide et diserte tractantur. Longe distans ab omni malefico modernismo, auctor ante omnia illud axioma quorundam recentiorum confutat, quod tenet, non solum omnia quae sunt in mundo materialia et spiritualia perpetuo esse in fluxu et necessarie cuidam subdi evolutioni, sed etiam animos hominum ipsamque humanam societatem huic fluxui et evolutioni quasi fataliter subiacere. Qua futili sententia materialistica et fatalistica reiecta, maximae et gravissimae res et conditiones generis humani expenduntur et iudicantur summa quidem moderatione erga errantes bona fide, sed severissima iustitia contra errores.

Quattuor voluminibus illae quaestiones, quae maxime hodiedum animos hominum occupant et commovent, dilucido sermone et solidis argumentis orthodoxae fidei consentaneis disseruntur. Hoc primo, quod nobis sub manibus est, volumine Pastor Cremonensis gravibus rationibus demonstrat, *scholam* quam vulgo vocant *laicam* seu *neutram* practice existere non posse, sed revera esse fidei et Ecclesiae hostilem. Dein victoriose ostendit, quam perniciosa sit amentia, quae quibusdam in locis et ordinibus grassatur, nefarium dico scelus *suicidii*. Postremo vera principia *familiae christianae* proponit, eiusque destructionem i. e. *divortium* tanquam detestandam et pessimam pestem societatis humanae severissime condemnat.

Sunt quidem principia philosophica et moralia iam antiquis nota et probata, quae hic proponuntur; sed nova quadam veste induta, circa dictionem nostris omnino temporibus atque hominibus non tam doctis quam non omnino incultis et viris mediocriter instructis mire accomodata. Nam praeter iustam principiorum rationem et sententiarum luciditatem etiam nitor stili ornatusque orationis et argumentationis cum utilitate etiam iucunditatem legentibus parat, ut non dubitemus, quin hoc opus optimi cuiusque laus et approbatio sequatur et etiam uberrimus inde non desit fructus.

P. FRIDOLINUS.

PROF. AUGUSTO GARNERI — *Corso elementare di disegno geometrico.* - 3 vol. - (Augustae Taurinorum et Romae ediderunt Paravia et Socii, 1910).

Cursus hic delineationis geometricae, vel geometriae descriptivae, methodica via et ratione ab elementis facilioribus ad difficiliora procedit; lucidus ordo et optima exempla totum opus maxime ad docendum idoneum reddunt, et praeclara praecepta optimis imaginibus illustrantur. Quodsi quid adhuc desiderare licet, delineationem proiectivam aliquanto fusius tractatam optem; contra, auctor delineationem technicam tractans omne tulit punctum. Ceterum quam egregium sit huiusmodi opusculum, hoc optime testatur, quod volumen primum iam duas supra viginti editiones habuerit, vol. II. et III. iam sexies fuerint publicata.

P. VICTOR.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis *eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

P. Alessio Maria Lépicier O. S. M. *L'Immacolata Madre di Dio corredentrice del genere umano.* — Editio altera ab auctore aucta. — Romae edid. Desclée et Socii, 1910. (Ven. lib. 1,50).

L. C. L. Fillion. *S. Pietro.* — Indidem. (Ven. lib. 2).

Mons. Geremia Bonomelli. *La questione sociale è questione morale.* — Indidem. (Ven. lib. 0,75).

Id. *Gli scioperi — Una parola amica a tutti gli operai* con un'appendice sull'*Agro Romano.* — Indidem. (Ven. lib. 0,75).

Id. *Capitale e lavoro.* — Indidem. (Ven. lib. 0,75).

Almanacco delle Famiglie Cattoliche per l'anno 1911. — Indidem. (Ven. lib. 0,50).

IOCI.

Poeta rudis idemque vana sui fiducia elatus, animum adiecerat ad fabulas scribendas, quae sicubi darentur, licet omnibus fere irrisui essent, ipsi tamen eiusmodi videbantur, quarum non poenituisset Alfierium. Non noscens igitur quantum distent aera lupinis, pergebat de se lusus praebere. Ad tantam autem stultitiam cumulus accessit his verbis, in coetu hominum doctissimorum ab illo, iniecto de arte scenica sermone, prolatis: « Orestem fabulam quum doceret Euripides, primos tres versus revocavisse dicitur Socrates; meos, viri amplissimi, et eos quidem multos, tota cavea vel sibilis revocat. At quaeret quispiam: — Cur sibilis? — quo facilius, si quem actorum pigeat morem petentibus gerere, is ad id illata vi compellatur ». Postquam poeta dicendi finem fecit, vetulus festivissimus sic loquutus est: — « Longe alia mihi mens fuit compluribus abhinc annis, quum iisdem voluntatis significationibus actores cuiusdam fabulae meae a cavea iussi sunt unum aut alterum locum iterare; tunc enim ego, qui persuasum haberem tantum abesse, ut opus meum spectatoribus probaretur, ut etiam vellent productioribus sibilis scriptori ad satietatem illudere; paene corrui, nullaque interiecta mora, abii, excessi, evasi, erupi, nec unquam theatrum revisi. Ceterum, — ad poëtam gloriosum conversus, — uter nostrum rectius de sibilis sentiat, horum, qui adstant, sit iudicium ». Vetulus a cunctis, in risum effusis, optimus sibilorum interpres habetur.

Titus Curzius.

***

In anum vinosam.

Quaedam anus exitium vini cum aliquando doleret,
Divino fecit talia vota Iovi:
« Si Phlegethontiacae ardorem vitavero febris,
In centum soles ros mihi potus erit ».
Postquam autem evasit morbi superabile fatum,
Luce eadem tales est fabricata dolos.
Arripuit cribrum pertusum et vidit aperte
Tot soles quot erat pollicitata Iovi.

(N. N.).

Lurco senex.

Olim quaerebam noto a lurcone quot annos
Natus erat, quoniam certum erat esse senem.
Respondens: — « Annum solum sum natus; at annus
Hic iam multoties est iteratus » — ait.

(Leod. Querculus).

***

In malum poetam.

Dum canit Eurydicen, silvaeque et saxa sequuntur,
Et tenet immanes Thracius ipse feras.
At tu cum horrisonis silvas concentibus imples,
Attonitae fugiunt in sua lustra ferae.

(Bellarius).

EPISTOLARUM COMMERCIUM

Cl. v. Iosepho W....., *Varsaviae Polonorum.* — Costagginius facultatem quam ab eo petiisti, libentissime tibi tribuit.

Cl. v. Theo. T. Ch..., *Chicagine.* — Excerpta, quae tibi in votis erant, exsequi nequivimus; quum enim litterae tuae de re ad nos pervenerunt, primi articuli typi iam dissoluti fuerant.

A Secretis.

AENIGMATA

I.

Sume duas voces: timidam notat *una* vagamque
Bestiolam, murmur quam fugat exiguum.
Altera vox ordo est, mortali non violandus,
Qui multat sontes, innocuosque tegit.
Primae retrorsum versae, subiunge *secundam:*
Quo conclave tuum condecoretur habes.

II.

Feminei princeps sexus ego glorior esse.
Nomen verte meum... Iam valedico tibi.

F. P.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

POETARUM LATINORUM EGLOGAE
(Edid. Brandt Lipsiae ex off. Teubneriana).

Aenigmata an. XIII, n. VI proposita his respondent:
1) **Gallina**; 2) **Populus.**

Ea rite soluta miserunt:

Guil. Schenz, *Ratisbona.* — R. Richi, *Traianopoli.* — Alb. Kain, *Dublino.* — I. Ortiz, *Morelia.* — Iac. Menendez, *Madrito.* — F. Arnori, *Mediolano.* — Carm. Ilinezky, *Cracovia.* — Fr. Guerra, *Aletio.* — F. X. N., *Drepano.* — A. Bounin, *Aureliano.* — Petrus Tergestinus. — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — F. Correa, *Emerita.* — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio.* — H. Forgeot, *Nicaeae ad Varum.*

Sortitus est praemium:

Hernestus Forgeot,

ad quem missum est opus, cui titulus:

THOMAE VALLAURI
DE RE EPIGRAPHICA
ACROASIS

Sponsor: Ioannes Baptista Ciampi, iurisperitus

Romae — Ex officina *Societatis Romanae Editricis.*

ARRAE GORGONIAE (7

(Cfr. num. VII).

— Quos vidisti, quot vidisti hostes — rogavit Caecilius extemplo — quum heic prima nocte iter faceres?

— Nullum vidi, imperator; at sagittas in me coniectas, ut dixi, multas sensi, quarum ex altera equum necatum rettuli.

— Ecquomodo iam — ad quemdam conversus, qui ad laevam equitabat, subdit Caecilius — ecquomodo tu, Cossa, tuique equites nullum, praeeuntes, vidistis?

— Nullum vidimus, nihil audivimus, neque sagittae stridor ullibi deprehensus est. Ceterum ipsi Germani, qui praeiverant omnibus, si aliter res esset, nunciantes rediissent: atqui nemo rediit.....

— Nemo; ita est; nemo rediit!... — fremens legatus ac veluti vix iram contineret, gladii capulum pugno percutiens, — Nemo! At, mehercle, peiore auspicio nunquam iniissemus iter, quam gorgoniis illis donis a te nuncio delatis.

— Et insanientes potius Apollinis fato — ita Cossa ille praefectus alae subridens — qui tam mali ominis conscii, nec Martem nec Mercurium expiavimus.

Tum legatus: — Victima si Mars eget, caput hoc meum libens ei sacro, dummodo legionibus parcat. Quas enim Varo, quas Caesari copias reddam?

— Lugubria desine auspicari, — haec alius ex comitatu, iuvenis admodum tribunus. — Suspice potius: acta iam nox est, atque demirare, quam lucidi primi aurorae rubores caelum incendant ».

— Acta iam nox? — ita Cossa vicissim — ecquo modo igitur quum nec duabus adhuc horis me equitasse dixerim?

Sed lux splendebat reapse: post iuga, post montem rubescens lata caeli zona, illustrabat aerem; pallescebant stellae non tam vivo eius lumine, quam et subfusca etiam nube, cuius caligine obvolutus lucis ortus videbatur. Insolitum tamen erat lucem non ex ea caeli parte diffundi, unde, si acti illuc usque itineris bene Atilius recordabatur, solem oriri oportebat. Haec dum haerenti animo ille cogitat, dumque comitatus ducis pariter incertus demiratur, fusca illa nubes paullatim succrescit, nigricat magis magisque, atra denique fit, ventoque crescente inflata caeli magnam plagam opperit. Addebatur his et augebatur pariter strepitus quidam longinquus sane, sed ingens, sed vastus, veluti immensi cuiusdam rogi, qui paullatim comburentibus lignis undique crepitaret. Hoc sensim aucto atque magis magisque insonante, attoniti alius alium legatus, tribuni, magistri alarum conspexerunt invicem, eamdemque omnibus esse suspicionem compererunt.

Nulla mora: calcaribus admotis in cursum equos incitant; Atilius turmam tribunorum per media velitum agmina sequitur. Velites eodem visu et ipsi commoti, atque de insolita re attoniti saxosam vallem post praecurrentes calcant citissimo pede, dum omnes ventus afflat densus magis, caliginem olens et incendium.

Equites tandem primi per devium iter dextrorsum conversi in vallis fauces simul proruperunt, atque repente hirtis crinibus, erectis auribus ipsi equi frementes constitere.

Immanis rogus locum implebat omnem tam latus, vastus et horridus, ad quem nec Vulcanus ipse accedere auderet. Silva omnis, qua planities late densa erat, igneus veluti locus facta; arborum trunci candentes quasi carbones immenso in clibano videbantur, ex adustis ramis ex multitudine frondium strepentes, crepitantes, prosilientes simul in cinerem favillae sine numero per altissimas flammas eructabantur; flammae autem, quas neque Troianum incendium aequasset, linguis infinitis vibrabant, easque supra circumque atra atque teterrima fumi nubes obvolvebat undique.

Dum duces et primi milites obstupescentes horridum prodigium contemplantur, concurrebant interea seseque ad ostium vallis nova semper agmina stipabant, vastumque incendium mille iam vultus rubore novo pingebat pavoris plenos atque irae. At nulla audacia nullaque amentia quemquam iuvaret; transire enim per inmanem rogum vivus poterat nemo.

— Proditor adest!... Barbarorum insidiae sunt!... Nulla salus!...

Haec clamabant certatim milites, qui, nocturna quiete expergefacti, asperrimoque itinere fatigati, huc tandem pervenerant, ut sese in ignem darent. Incendii enim nullus adspiciebatur terminus; nam, post primos truncos in limine silvae iam absumptos atque prostratos, alios aliosque, veluti densissimas faces, per rubram latamque fornacem vix oculus intueri poterat, qui tantum splendorem sustineret.

Caecilius tandem inter ruborem magnum, insignis purpurea crista, rubraque magis chlamyde, equum ad suos vertit, hisque brevi adloquutus est:

— Varus legatus Caesaris, milites, misso prima nocte nuncio, imperavit ut ad se quam citissime regrederemur. Barbari, calliditate aut proditione, conscii itineris fuerunt. Nulla modo salus, nisi viam retrorsum petere, atque in apertum instructo agmine exire.

Ululatus ingens clamantium, obsecrantium, legato respondit: attollentes hastas, scutaque vibrantes, Germanis equitibus, adversae fortunae, ipsisque ducibus milites imprecabantur.

Fatale tamen tempus urgebat: laxatis igitur turbatisque ordinibus, coecus veluti fluctus, omnes retrorsum cucurrere. Discurrebant mediam per turbam centuriones prohibentes tumultum, ac satagentes ut, quantum liceret, ordines servarentur. Hoc modo exercitus omnis per contrarium iter progrediebatur, ac nisi concitati gressus equitum peditumque late sonarent per aspera montium, diuturnum properantium agmen umbrarum aut spectrorum fuga visum esset.

(Ad proximum numerum).

I. A. Costaggini.

Ann. XIII. ROMAE, Mense Octobri MCMX Num. X.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

AN THEOLOGIA SIT VERA SCIENTIA

Modernistae omnes (1) uno agmine facto, characterem quemvis « scientificum » Theologiae catholicae denegant, imo, prouti Pius X (Encycl. *Pascendi*) ait, « Theologiam scholasticam derident passim atque contemnunt». Modernistarum mens, ab ipso Loisy (2) non absque duritia quadam, hisce verbis redditur: Medii aevi tempore nonnisi una et unica scientia exstitit, Theologia, quamvis verae scientiae characteribus non ornaretur. Cognitiones omnes aliae ad religionis scientiam referebantur; in qua quidem scientia, Aristotelis philosophia primatum obtinuit, atque loco experientiae necnon criticae, solum ratiocinium adhibitum fuit. Theologia nomine *Reginae scientiarum* donata fuit, non secus ac Papa nomine *Regis Regum* praeditus erat. Temporum progressu experimentalis methodus praevaluit, atque methodus critica tantam evolutionem accepit, ut philosophiam ipsam, historiam, necnon religionis historiam, uno verbo omnia, pervaserit. Non secus atque Ecclesia, Theologia progressui huic scientifico continuo sese opposuit. Theologia « revelationis scientia » fuit, non vero scientia revelata, neque *scientia scientiarum* est; immo, iuxta Modernistarum sententiam, nec scientiae naturam sibi vindicandi ius illi est, cum ad scientiae ordinem obiectum eiusdem non pertineat, neque scientifica sit methodus, quam ipsa adhibet.

Determinato prius scientiae conceptu, *veram Theologiam verae scientiae* naturam sibi vindicare ostendemus.

***

Pro nonnullis scriptoribus, scientiae conceptus in sola experientia et in sola critica consistit. Nulla datur scientia, nisi methodus experimentalis et methodus critica adhibeantur. Alii scientiae conceptum, vel in solis factis concretis atque individualibus nondum ad statum generalem reductis, vel in factis atque legibus reponunt. Scientia - ait Negri (1) - nonnisi *circa facta* est, secus *ideae* a priori, necnon *Metaphysica* habentur, quae omnia umbrae sunt. Scire *subiective* sumptum - scribit Kuhn (2) - est veritatem cognoscere, sive cognitio haec fiat immediate per intuitionem intellectus, sive mediate per demonstrationem; *obiective* vero est, quoddam veritatum systema, et absque systematibus nulla vera scientia datur.

Ut ab omni simus errore tuti, in conceptu scientiae a S. Thoma tradito sistimus. Iuxta Angelicum, scientia *certitudinem* iudicii, *demonstrationem* ex qua iudicium provenit, *principia* nota ex quibus procedit, includit et definiri potest: « Cognitio certa et evidens a mente habita ope ratiocinii demonstrativi »; ille scientia pollet, qui de re aliqua, quoad omnia, ac cum certitudine, rationem reddere potest. Hinc scientiae conceptus excludit *a)* cognitiones spontaneas, quae superficiem non intima rerum respiciunt; *b)* cognitiones vulgares, quae superficiales sunt, neque factorum explicationes tradunt; *c)* cognitiones incertas, cum scientia certitudinem postulet; *d)* cognitionem *per fidem,* quia fides est de non visis; scientia de rebus visis.

Iuxta Angelicum scientia includit *certitudinem* iudicii. « Quia ergo nomen scientiae importat quamdam certitudinem iudicii... si quidem certitudo iudicii fit per altissimam causam, habet speciale nomen, quod est sapientia; dicitur enim sapiens in unoquoque genere qui novit altissimam causam illius generis, per quam potest de omnibus iudicare; simpliciter autem sapiens dicitur qui novit altissimam causam simpliciter, scilicet Deum.

(1) Cf. WEISS *Die Religiöse Gefahr* IV, 29; V, 4; VI, 26; VII, 68. — (2) *Autour d'un petit livre, Lettre à un jeune savant,* III.

(1) *Giuliano l'Apostata. - Prefazione.* — (2) Loc. c. (Cfr. *Vox Urbis* Mense Iulio MCMX, p. 98) §. 6.

Et ideo cognitio divinarum rerum vocatur sapientia; cognitio vero rerum humanarum vocatur scientia, quasi communi nomine importante certitudinem iudicii appropriato ad iudicium, quod fit per causas secundas » (2-2ae. q. 9, a. 2). Scientia includit *demonstrationem.* « Nam homo consequitur certum iudicium de veritate per discursum rationis; et ideo scientia humana ex ratione demonstrativa acquiritur... Scire est finis syllogismi demonstrativi, sive effectus eius: cum scire nihil aliud esse videatur, quam intelligere veritatem alicuius conclusionis per demonstrationem » (2-2ae p. q. 9. 1. ad 1; *In Arist. I Poster. Anal.* lect. 4). Scientia includit *principia.* « Quaedam (scientiae) sunt quae procedunt ex principiis notis lumine naturali intellectus, sicut arithemetica, geometria et huiusmodi; quaedam vero sunt quae procedunt ex principiis notificatis per geometriam, et musica ex principiis per arithemeticam notis » (1. p. 1. 2).

***

Veram Theologiam verae scientiae naturam sibi vindicare, tribus ex capitibus apparet. Animadvertenda est prius illa expressio: *vera Theologia;* idest Theologia in qua amico foedere, methodus tum scholastica, tum positiva uniuntur. *Methodus scholastica*, quia hac remota, prouti optime Bellamy (1) animadvertit, sola *methodus positiva* nonnisi *textuum* atque *factorum* repertorium quoddam esset, vel aridus quidam documentorum catalogus. *Methodus positiva*, quia scholastica sola insufficiens est, imo - fatente Melchiore Cano (2) - misera est scholae doctrina « quae detracta Scripturae sacrae auctoritate syllogismis contortis de rebus divinis philosophatur »; commentaria rursus in Theologiam edita, in quibus « sacrorum Bibliorum testimonia rarissima sunt, conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis sanctis oleant » iuxta eumdem Canum « vix digna lucubratione anicularum » sunt. Praeterea « *vera Theologia* » est quae *a)* historicae scientiae acquisitionibus utitur; *b)* textus a scientia exegetica genuinos atque authenticos declaratos necnon P.P. testimonia a scientiae Patristicae cultoribus recognita adhibet; *c)* sanam criticam nullimode spernit ac deridet. Animadverte etiam expressionem « verae scientiae »; non intelligitur nempe scientia, quae in solis affirmationibus superficie tenus prolatis consistit, vel cuius tota vis in deridendis spernendisque iis quae ab antiquitate nobis relicta fuere est, vel quae solis hypothesibus nititur; sed ea scientia quae de affirmatis vel negatis rationem reddit, quae nova et antiqua in veritatis bonum coniungit, quaeque argumenta vere probantia adducit. Probatur igitur:

I. — Quoties habentur *a)* vera demonstratio; *b)* libertas investigationis; *c)* libertas examinis, vera quoque scientia habetur. In vera autem Theologia huiusmodi tria inveniuntur; ideoque vera Theologia scientia est.

Invenitur *1° vera demonstratio.* Siquidem ex Fidei articulis procedit Theologus ad ostendendum vel quod *verum est* id quod asseritur, vel *quomodo* id quod asseritur sit verum. Theologus, rursus, documenta et ratiocinium, methodum speculativam methodumque positivam simul adhibet, quae ad demonstrationem aptissima sunt. Theologia - ait ad rem S. Thomas (1) - « disputat cum negante sua principia, argumentando quidem, si adversarius aliquid concedat eorum quae per divinam revelationem habentur; sicut per auctoritates sacrae doctrinae disputamus contra haereticos, et per unum articulum contra negantes alium. Si vero adversarius nihil credat eorum quae divinitus revelantur, non remanet amplius via ad probandum per rationem articulos fidei, sed ad solvendum rationes, si quas inducit contra fidem ».

Invenitur *2° libertas investigationis.* Dum enim theologus investigat, in potestate eius est methodum speculativam vel positivam adhibere; vel uti mediis a scientia historiae, aut exegeseos, aut sanae criticae traditis; discutere atque examini subiicere argumentane cnon documenta in favorem catholicarum veritatum militantia.

Invenitur *3° libertas examinis.* Nihil siquidem impedit quin theologus media ad veritates catholicas stabiliendas sibi oblata libere examinet, meliora eligat, novaque adinveniat diligentius inquirendo. Nihil eum impedit, quin documenta sibi oblata subtiliori studio subiiciat, eorumdemque valorem per sanam criticam statuat. Quid igitur deest pro libertate examinis in Theologia asserenda? Neque fas est opponere, Theologiam methodo auctoritatis uti, ideoque verae scientiae nomine privari. Nonne et ipsae scientiae historicae auctoritate testimoniorum utuntur? Nonne scientiae aliae uti physica, chimica, astronomia auctoritatem hominum in illis peritorum adhibent, eaque persaepe utuntur? Recte Angelicus (2): « Sicut aliae scientiae non argumentantur ad sua principia probanda, sed ex principiis argumentantur ad ostendendum alia in ipsis scientiis, ita haec doctrina non argumentatur ad sua principia probanda, quae sunt articuli fidei; sed ex eis procedit ad aliquid ostendendum; sicut Apostolus, I *ad Cor.* xv, ex resurrectione Christi argumentatur ad resurrectionem communem probandam... Argumentari ex auctoritate est maxime proprium huius doctrinae, eo quod principia huius doctrinae per revelationem habentur. Et sic oportet quod credatur auctoritati eorum quibus revelatio facta est. Nec hoc derogat dignitati huius doctrinae; nam licet *locus ab auctoritate,* quae fundatur super revelatione humana sit *infirmissimus*, *locus* tamen ab *auctoritate* quae fundatur super revelatione divina, est *efficacissimus* ».

II. — Scientiae conceptus ex tribus resultat: *a)* ex certitudine; *b)* ex demonstratione; *c)* ex principiis quibusdam. In Theologia autem, certitudo, demonstratio necnon principia quaedam habentur, ideoque Theologia vera scientia est. Habetur:

(1) *La Théologie catholique au* XIXe *siècle*, VIII, I. — (2) *De Locis Theol.*, l. 8. c. 1.

(1) *Th.* p. s, q. 1, a. 1. — (2) 1. p. 1. 8 *in corp.* et ad 3.

a) Certitudo « quia aliae scientiae certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanae, quae potest errare; haec autem (Theologia) certitudinem habet ex lumine divinae scientiae, quae decipi non potest » (1).

b) Demonstratio, quia Theologia « ex articulis Fidei... ad alia argumentatur... disputat cum negante sua principia, argumentando quidem, si adversarius aliquid concedat eorum, quae per divinam revelationem habentur; sicut per auctoritates sacrae doctrinae disputamus contra haereticos, et per unum articulum contra negantes alium. Si vero adversarius nihil credat eorum quae divinitus revelantur, non remanet amplius via ad probandum per rationem articulos fidei, sed ad solvendum rationes, si quas contra fidem inducit » (2).

c) Principia, quia « haec doctrina non argumentatur ad sua principia probanda, quae sunt *articuli Fidei;* sed ex eis procedit ad aliquid ostendendum (3).

III. — Tractatio quae 1°, catholicas veritates secundum Fidei regulas, videlicet iuxta Ecclesiae magisterium, sacram Scripturam, Traditionem, necnon S. S. Patrum mentem exponit; quae 2°, contrarios errores recenset, examini subiicit, iudiciumque circa eosdem pronuntiat; quae 3°, veritates omnes catholicas ad systemata quaedam suprema reducit, verae scientiae charactere praedita est. Modo Theologia ipsa est « Tractatio » quaedam, qua catholicae veritates iuxta Fidei regulas, secundum nempe magisterium Ecclesiae, sacram Scripturam, Traditionem, necnon S. S. Patrum mentem exponuntur; in qua rursus errores eisdem veritatibus contrarii recensentur, examini subiiciuntur atque circa eosdem iudicium profertur; in qua denique catholicae veritates ad suprema quaedam systemata reducuntur. Nonnisi igitur iniuria character vere scientificus Theologiae denegatur.

***

Merito igitur S. Thomas (4) affirmat s. Theologiam esse scientiam aliis digniorem *a)* secundum *certitudinem*, quia « aliae scientiae certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanae, quae potest errare; haec autem certitudinem habet ex lumine divinae scientiae, quae decipi non potest ». *b)* Secundum *dignitatem* materiae, « quia ista scientia est principaliter de his, quae sua altitudine rationem transcendunt. Aliae vero scientiae considerant ea tantum quae rationi subduntur ». *c)* Secundum *finis rationem*, quia « finis huius doctrinae, in quantum est practica, est beatitudo aeterna, ad quam sicut ad ultimum finem ordinantur omnes alii fines scientiarum practicarum ». Merito etiam Pius Papa X (Encycl. *Pascendi*) asseruit, Modernistas s. Theologiam contemnere atque deridere « ex ignorantia », quia nempe altitudinem eius ignorant.

Friburgi Helvetiorum.

P. Reginaldus Fei O. P.

(1) S. Th. 1. p. 1. 5. — (2) S. Th. 1. p. 1. 8. — (3) S. Th. ib. — (4) 1 p. q. 1, a, 5,

PHILOSOPHICAE DISPUTATIONES

MODERNISTAM INTER ET THOMISTAM

Quid sit iudicium liberum investigatur.

Thomista. — Quod tibi recentius promisi de iudicio libero fusius explanando, (1) id, amice dilectissime, tibi affero.

Dicenda vero maximi prorsus momenti sunt, unde haec attentioni tuae omnimodae commendo.

Modernista. — Attentis ergo auribus adsto, qui te audiam libentissime.

T. — Iudicium rationis « practicum » quandoque dicitur liberum, ut distinctum contra naturale iudicium. Qui tamen dicendi modus probe intelligendus et explanandus est, si innumeros errores devitare voluerimus.

Id imprimis notandum est, solam voluntatem esse potentiam formaliter et proprie liberam, ita passim fatentibus omnibus; intellectum vero per se esse potentiam necessariam, utpote ab obiecto proprio dependentem.

Duplici tamen sensu dicitur iudicium liberum et quidem analogiae. Primo, quia a voluntate quoad actum seu exercitium pendet, cum voluntas actum suspendere et avertere libere possit: non tamen hoc sensu hîc intelligitur iudicium liberum. Secundo autem iudicium dicitur liberum causaliter, quia nempe ut causa libertatis in voluntate, quod est rationis proprium, unde, iuxta effatum Aristotelicum, liberum arbitrium sit facultas rationis et voluntatis; rationis, inquam, causaliter; voluntatis formaliter. Quo sensu hîc inquiritur quale sit istud iudicium liberum, ex quo voluntas in liberum actum exit.

Id imprimis, ex perpetua Aquinatis doctrina et ex natura rei, statuendum in genere videtur illud intellectus iudicium practicum dici liberum, cuius homo est dominus, seu quod in potestate iudicantis remanet, et ad quod iudicans non naturali instinctu movetur, sed seipsum movet, attingens et sciens formaliter sui iudicii et actum et causam, atque intrinsece potens aliud iudicare, imo et oppositum decernere.

Quam descriptionem omnibus philosophis Christianis arridere velim, atque ex terminis ipsis patere.

M. — Patet utique, siquidem verba tua rem exhibent perspicuitate sua, quin involvunt.

T. — Ut igitur totam quaestionem quasi prae oculis simul ponam, en varia capita argumentationis postmodum, etsi brevius, evolvenda.

Et primo quidem ex parte intellectus requiritur ut ipse sit intrinsece indifferens ad opposita iudicia, sicut et voluntas ad oppositas electiones.

Ex parte obiecti requiritur secundo ut ipsum, quantum sit ex ratione boni, sit contingenter amabile.

Et tamen tertio non requiritur ut intellectus propo-

(1) Cfr. *Vox Urbis* h. a. num. VIII, pag. 116.

nat voluntati obiectum ut indifferenter amabile prae alio opposito.

Imo quarto ut voluntas ad unum prae alio sese determinet, requiritur ut intellectus obiectum prae alio opposito determinate amabile proponat.

Singulas asserti partes resumamus explanantes et comprobantes.

Requiritur imprimis ad iudicium practicum idemque liberum ut supponatur intrinseca indifferentia in intellectu ad opposita iudicia de obiecti amabilitate, sicut et in voluntate intrinseca indifferentia ad amandum et non amandum obiectum.

Quod enuntiatum ex ipsis terminis patet, siquidem quaelibet potentia quae non pollet praedicta indifferentia, determinatur ad unum: ubi autem determinatur ad unum, incapax est libertatis ad plura.

Necessario igitur iudicium causaliter liberum debet proponere sub indifferentia obiectum ipsi voluntati indifferenti ad opposita, quantum sit de ratione boni contingenter de se amabile vel secus non amabile.

Ex parte obiecti requiritur ut obiectum, quantum sit de ratione boni absolute sit contigenter amabile et non amabile, ad libitum voluntatis. Id indubitatum apparet eo quod libere amari nequit illud quod non nisi necessario amatur, et saltem ex imperfectione amantis non potest non amari.

Id tertio asserebatur, non requiri in iudicio practico eodemque libero ut intellectus non proponat unum obiectum prae alio amabile. Etsi enim intellectus melius utiliusque voluntati proponat, nullatenus assensus cogitur, neque ubi voluntas unum et quidem melius eligit, sequitur iutellectum non perspicere aliud reapse, si libuerit, eligi posse.

Imo naturae consonum est, et quidem liberae, quod ex usu iudicii sui et libertatis eligat id quo ipsa excellentius ditatur et perficitur, et contra naturam simul erit quod bonum minus minusque utile sponte eligat. Iudicium practicum per se et ex natura, ubi prudens fuerit, semper est de meliori bono.

Ubi autem duo vel plura bona pariter amabilia fingautur proponi voluntati, intellectus semper in uno eorum aliquod singulare inveniet, ait Angelicus, quo unum uni praeferatur; quod fiet sane ipsius hominis consilio.

Imo, ut quarto asserebamus, id fieri debet: nisi enim intellectus determinate indicaverit eligendum unum prae alio, nulla sequetur electio.

Ex dictis itaque colligendum est iudicium unde oritur voluntas libera, supponere indifferentiam et indifferentiam obiecti, ita ut excludatur necessitas violentiae et naturalis instinctus; non autem ut unum obiectum prae alio amabile, non appareat; imo, tollenda est indifferentia amabilitatis, ut appareat determinate unum magis amabile quam aliud, dum secus nulla erit electio et actio.

M. — Egregie dicta! Attamen a te id rursus discere velim, utrum ex praedicta doctrina non tollatur ipsa libertas in iis qui libertatem negantes, fatalismo indulgentes, non possunt utramque indifferentiam sibi exhibere, scilicet voluntatis ad amandum, et amabilitatis in re amata.

T. — Statim repono, nullimode requiri ut explicite utramque indifferentiam quis sibi proponat, sed sufficere si implicite, ubi homo se violentiam non pati ex parte sui et ex parte obiecti conscius sit: unde Calvinus, etsi libertatem negaverit et requisita ad libertatem, attamen recte propter facinora puniendus fuisset: error enim, imprimis voluntarius non tollit naturam in homine sanae mentis et sicut fatalista, non obstantibus doctrinis suis, consilia quaerit et init de inchoandis et prosequendis, non obstantibus iisdem, puniendus erit, ubi facinorosus evadat. Ad libertatem quippe non requiritur cognitio inconsiderata vel falsa.

M. — Ex quibus dictis mihi videtur iudicium practicum quo voluntas ad actum percellitur, vario multiplicique titulo dici liberum.

T. — Recte dicis, carissime, atque hanc multiplicitatem enucleare mihi in promptu est. Imprimis enim liberum est tripliciter libertate voluntatis; quum primo voluntas libere intellectum ad actum moveat; secundo, moveat quoad specificationem proponendo obiectum, proponendo adhaesionis media et rationes ex bona sui dispositione; tertio, moveat ad assensum in rebus fidei et opinionis, extra rei evidentiam.

Sed prae primis iudicium practicum est liberum libertate intellectiva, quae non est nisi indifferentia rationis ad opposita iudicia. Quum enim intellectus, apprehenso obiecto, non est a natura determinatus ut determinate iudicet istud esse amabile vel secus; atque imprimis respiciat bonum ut bonum universaliter, et habitudinem eius ad bona particularia, in quibus iunguntur bonum et malum, unde intellectus in ipsis considerare potest vel amabilitatem boni, vel non amabilitatem mali; haud secus in iudicio practico intellectus non est determinatus ut hoc alio vel alio modo iudicet, ductus solum indole et natura obiecti.

Et praeterea rationem finis, eiusque ad media proportionem attingit, atque in illo fine, seu bono universali invenit rationem amandi singula bona particularia, ex istorum cum illo necessitudine, ex circumstantiarum adiunctis, et sic deinceps.

Hinc iudicium practicum libertatis intellectivae proprietates participat.

Est enim liberum, seu in potestate nostra positum; est supra se reflexivum et sui iudex; et denique attingit propter quid scit, sciens et quod amat et propter quid amat.

Iudicium igitur et libertate voluntatis, et libertate intellectiva simul liberum est, proindeque et libera electio iudicium secuta.

M. — Multa, et quidem egregia, protulisti de iudicio practico circa bona particularia.

Me igitur non habeas importunissimum, ubi nonnihil a te exquiram de bono in communi, deque iudicii practici ad ipsum habitu.

T. — Imo de quaesito tuo dicenda dicam, et quidem summa alacritate, dum iam dictis quasi complementum addenda erunt.

Omnes passim confitentur amorem boni in universali libertate obiectiva, seu improprie dicta, liberum esse, eo nempe sensu quod huius amoris exercitium homo potest vel inire vel impedire, sicut cuiuscumque facultatis etiam naturalis impedire potest et applicare, v. gr. pedem ne ambulet, oculum ne videat, vel secus.

At vero in bonum universim dictum et quidem praesens, amor liber non est, sed ex natura in ipsum fertur voluntas. Inde ut quod non indiget discursu aliquo aut consilio, ut in ipsum feratur, sed instinctu proprio exit.

Id rursus quod omne consilium praecedit non potest procedere ab consilio, neque proinde a iudicio libero: atqui amor finis seu boni in communi praecedit omne consilium, ergo non a consilio, sed a natura est.

Cuius asserti ratio haec est, quod voluntas non solum potentia, sed et natura est, unde voluntati ut potentiae respondet bonum ex natura.

Inde autem pronum est colligere voluntatem ut potentiam agere ex iudicio et libere, ut naturam vero, necessario et immobiliter.

Iterum collige voluntatem non seipsam movere circa amorem boni in communi, seu finis, siquidem istud est per se amabile; sese autem movere simul et a Deo moveri per amorem naturalem boni in amorem boni particularis, seu medii ad bonum in communi.

Id demum exinde collige, voluntatem ut naturam esse fundamentum immobile eorum, quae voluntas eligit et agit ut potentia.

M. — Vix tamen intelligere quis poterit qua ratione actus esse possit simul et naturalis et liber, quod ex praemissis sequi videtur: siquidem idem actus est naturalis, ut amor boni in communi, seu beatitudinis, et liber simul dicendus erit, prout est hic vel ille actus, seu amor huius illiusve boni particularis.

T. — Res ipsa tamen sic se habet, ita ut in nobis nullus detur actus qui sub diverso sane respectu, et necessarius sit et liber. Cuius asserti ratio haec est, quod nullus detur beatitudinis in commumi amor, qui non sit in individuo, proindeque simul et liber, sicut nullus occurrit amor boni in individuo, qui non sit ab amore boni in communi. Et hoc hisce terminis alicubi reddidit Aquinas: « Quamvis nullus possit vitare qui beatitudinem aliquo modo appetat, potest tamen vitare quod non appetat eam hoc modo quo est appetenda, et sic potest mereri vel demereri » (1).

Exinde etiam deduces, voluntatem semper agere ubi praesens per cogitationem obiectum aderit; non tamen ex necessitate, quia de obiecto non cogitare velle potest. Ratio est quia voluntas ex natura ad bonum in communi tendit, et ad quaecumque particularia bona, ubi nonnihil de bono in communi apparet, affective saltem, etsi non effective, id est cum effectu electionis secuto.

I. I. B.

(1) *Sent.* IV, d. 49. q. 1. a. 3. 2m.

DE CONDICIONIBUS
QUIBUS CONTINETUR LINGUAE LATINAE PERCEPTIO

(Concluditur)

In qualibet institutione studiorum latinorum tria habentur: praeceptor, discipuli, et ratio docendi. Ex his tribus rebus solam rationem docendi emendatione indigere puto. Quippe dissentio vehementer ab iis hominibus, qui praeceptores latinos inscitiae inertiaeve arguere volunt: cuius furoris signifer apud nos fuit nescio quis Hungarus, ephemeridis cuiusdam Philadelphinae dudum exstinctae olim administrator. Iste quum taetrum monstrum loquelae pro latino sermone in vulgus commendaret et perpaucos nancisceretur quibus consilia sua probaret, in universum gregem magistrorum Americanorum invehi solebat, tamquam omni prorsus doctrina careremus latina, atque data opera nollemus meliora instituere, scilicet ne ignorantiam nostram tironibus proderemus. Sed huiusmodi crimina convicia que a plerisque nostrum longissime abesse debent. Emendatio institutionis latinae neque doctrinae augmentum requirit, nec studii; verum novam melioremque rei latinae administrandae rationem, qua docentis notitia cum discentium animis facilius commodiusque se coniungat. Tanta est enim earum copia rerum, quae in bona institutione linguae latinae opus sunt, ut non modo invitos, sed ne cupidos quidem magister sine ipsorum cooperatione scientia sufficienti instruere possit. Imperare pensa, audire reddita, obscuriora explanare, curare iterando ne quid de memoria excidat, haec omnia ut necessaria esse confitebitur meus praeceptor, ita pro exigua solum parte officii sui habebit: multo maiorem opem a se exspectari volet.

***

Secundum igitur docendi praeceptum pono a primo facile proficiscens, ut nempe ad discipulorum pensa meditationesque domesticas accedat in ipsis scholis cottidianis *praeceptoris expedientis atque ampliantis industria.* Etenim plurimas partes linguae latinae easque pernecessarias assignare tironibus pro penso domi faciendo omittet magister, sed ad suos in scholis labores pertinere existimabit. Domi quidem apud se suum quisque tiro opus memoriae ac meditationis commodissime peraget; illic flexus, illic vocabula a vulgaris sermonis forma remotiora, illic praecepta et exempla structurae syntacticae ediscenda sunt: in scholis autem addiscant

pueri, duce magistro, quaecumque praeterea vel auditu vel aspectu percipi possunt. Ut exemplum ponam, in plerisque linguis recentioribus tam Teutonicis quam Romanicis ingens est numerus verborum de latinis ascitorum, quae, sive formam respicias, sive sensum, aut nihil aut certe non multum ab antiquitate differunt. Haec magister proferet et iterata usurpatione inculcabit, donec omnia omnibus pernoscantur. Item haud dissimili ratione eas voces formulasque quibus grammatica exponi solet sibi reservabit, ut, « post verba sentiendi et declarandi primaria enuntiatio sive adfirmantis sive negantis per accusativum cum infinitivo exprimitur »; vel, « casus Subiecti verbi (s. Nominativus) et casus Obiecti verbi (s. Accusativus) diversa forma sunt, exceptis neutris ». Huiusmodi carmina si ipsa per se non adeo clara sunt, ut primo adspectu intellectum reddant, tamen repetitione satis frequenti innotescent et, semel cognita, copiam verborum pueris exaugebunt.

***

Tertio praecipio ut pro singulis vocabulis *locutiones breviores* tradantur, quales sunt, *unicus filius, Deus omnipotens, aequus dominus* (tribus significationibus). Cui praecepto si accesserit quartum ut *de etymologia* aliquid cottidie adiciatur, tum ex illa ampliatione quam supra commendavi uberrimos fructos sperare licebit. Ne extra locutiones modo datas progrediamur, hinc erunt tironibus, monstrante magistro, *filia, dea, domina, deitas* (in ecclesiastica latinitate), *omnipotentia* (ibidem), *praepotens* (quod melius dicitur), *aequitas, iniquitas, iniquus, dominicus, dominica, dominium, dominatio. Dominandi* quidem verbum magistro occurret, sed ad deponentia verba reservabitur; neque enim omnia uno tempore agenda sunt.

***

Tum - quod duo praecepta complectitur - suadeo ut *ad lectionem scripti alicuius facilioris* quam primum adducantur tirones, et seorsum ab hac re, ut *in regulis grammaticis per ordinem condiscendis* contineantur. Lectiones autem velut oblectandi gratia concedi videantur et excipiant semper rei grammaticae institutionem ad alia scripta difficiliora tendentem. Ne quid legatur quod difficultates grammaticas exhibeat: alioquin et gravabitur animus ibi, ubi potius delectandus erat, et a legum grammaticarum debita expositione (quae rationem ordinemque postulat) misere arcebitur. Sed de hac re satis.

***

Venio nunc ad latine conscribendi exercitia, quae pars disciplinae latinae quam otiosa et molesta discentibus esse soleat non ignoramus; est tamen diligenter adhibenda, si verum usum sermonis latini nostris comparare studemus. Atque quidem usurpantur apud nos libri quidam utilissimi ad classicos auctores quasi comitandos conscripti, quorum generalis ratio est, ut ex certis locis iam ante perlectis cognitisque anglicae proponantur oratiunculae exquisitissimis verbis conceptae at structura syntactica ab eo loco qui ob oculos sit longe alia. Voces igitur pueri ab ipso auctore latino petunt, orationem vero suam ad quamcumque tum temporis grammatices legem edocentur, conformant.

Sed tamen huiusmodi exercitationes plus laboris et molestiae pueris quam amplae et solidae scientiae adferunt. Quopropter alia ratio quaerenda est quae et minus molesta sit et (si fieri possit) alliciat pueros ad plura ultro suscipienda. Nulla autem efficacior erit, quam si modico nec ingrato labore magnas laudes tirones a magistro sese referre intellexerint. Quare pro septimo praecepto suadeo ut *liberior exercitatio latine conscribendi* instituatur. Ex. gr., iubeantur pueri vocabula et locutiones vel iam datas, vel e derivationibus facile divinandas, adhibitis quas norint legibus linguae latinae, in quam plurimas sententias vertere hasque coram condiscipulis, iudicante praeceptore, reddere. Ut locutiones supra memoratas repetam, ad hunc fortasse modum orationem latinam component: « Dominus noster, Iesus Christus, Filius Dei omnipotentis unicus, aequos et iniquos in (iudicium) vocaturus (cf. vocaturis) est. Hic nobis benevolentiam Divinam (anglice *divine benevolence*) per sacramenta declaravit ». Sin autem excluditur theologica disputatio, aliae res tractari possunt, etsi haud scio an ullum aliud argumentum aeque clarum incipientibus inveniatur.

Postremo auctor sum ut tum singulae voces tum dictiones longiores quam accuratissimas accipiant *patrii sermonis interpretationes*. Scilicet, proposita aliqua vocula vel oratiuncula, tentent pueri cognoscere in quot et quales anglice loquendi figuras ipsa abire possit. V. g., nomini *magnus* quidam nuperrime plus quam triginta invenit interpretamenta anglica.

***

Sed haec hactenus; iam tempus est toti nostrae disputationi modum imponere. Neque tamen universa subtiliter persequi institui. Etenim dum brevitati consulo et exiguitati spatii indulgentia Editoris abuti atque in grande opus disputationes extendere plane nolui. Equidem in votis est fore ut liber quem in manibus habeo tandem aliquando in lucem prodeat, fratrum et sociorum censuram ingenue invitaturus. Interim firmiter credo adeo carere invidia commilitones huiusce militiae, adeo amantes esse Rei Publicae Latinae ut quisquis de studiis optimis bene meritus fuerit, is sese pro communi omnium defensore ac benefactore haberi confidere possit.

Chicagine, mense Septembri MCMX.

THEODORUS T. CHAVE.

Multa experiundo fiunt, quae segnibus ardua videntur.
TACIT., *Ann.*, XV, 59.

TRITICUM ET UVA

(IMITATIO CARMINIS VICTORIS DELAPORTE, S. I.) (1)

Fervebat aestas: triticum
cives metebant Nazarae,
et inferebant horreis
sudore partas mergites.

Heu! nulla Iosepho seges
flavet metenda, virgini
nec ulla Sponsae: Coniugum
tectis Egestas insidet.

" I, Nate, ,, Mater admonet
Iesum trilustrem; " collige
quos forte messorum manu
fugisse culmos videris ,,.

Mandata divus perficit
Ephebus, arva qui cito
detonsa lustrans, perditas
solers aristas quaeritat.

Quaerit relictas, ut bonus
nos ille Pastor devios
sectatur agnos, inferûm
ne praeda simus hostium.

Amplum, suborto vespere,
Iesus maniplum legerat;
quem, fune vinctum iunceo,
paterna fert ad limina.

Parat Maria coenulam
ornatque lino candido
mensam; vocatus stridulam
Sponsus dolabram deserit.

Coenant; et actis gratiis,
Spicas Puellus deligit
septem, nitore flammeo
doctas vel aurum vincere.

Circum fenestram repserat
fecunda vitis; pendulam
hinc carpit uvam, quam iubet
repente maturescere.

Spicas et uvam mensulae
imponit, inque nobilem
hanc vertit aram; grandia
tum pandit haec mysteria:

" Suam sub hisce symbolis
Deus recondet gloriam,
dabitque se mortalibus
Escam, dabitque Poculum.

Dignatus hoc Convivio
ultra sitire nesciet
vel esurire, Caelitum
ut quem dapes refecerint ,,.

. . . .

Ad haec, beati Coniuges
arsere sacris ignibus,
Deumque laudant, splendide
in nos suimet prodigum.

FRANC. X. REUSS.

(1) Insignis hic poeta, Gallicarum decus litterarum, nuper vivis ereptus est.

EX ITALIS URBIBUS

De Paulo Albera sacerdote, Rectore Salesianorum Maximo nuper electo

Decimo septimo kalendas Sept. hoc anno labente, magnus Salesianorum conventus habitus est Augustae Taurinorum, in illa urbis parte, quae ad orientem spectat et *Vallis Salicis* vulgo appellatur. Illic enim iamdiu, magna piorum Taurinensium approbatione, conditae sunt exuviae Ioannis Bosco, Salesianorum legiferi, et nuperrime Michaëlis Rua, qui eius vestigiis mordicus insistens, adeo Parentis virtutes in se animumque retulit, ut merito alter Pater dici soleret.

Agebatur enim de re maximi momenti; quisnam ita ex omnibus excelleret, ut dignus reputaretur, qui in eius locum eligeretur. Maxima equidem animorum tranquillitate omnique longe prorsus repulsa honoris atque cupiditatis ambitione, id unum cuncti studebant, ut omnium dignissimum deligerent.

Nec lis diu agitata est, et sors divinitus cecidit in Paulum Albera, domo None, in agro Taurinensi. Hic pollens ingenio atque studiis multis ac magnis animi mentisque meritis laudatur. Namque sexaginta et amplius annos natus, inter eos adnumeratur, quos ipse Ioannes Bosco, primo Sodalitatis suae initio, ad virtutem coluit atque ad virtutem peramanter informavit. In eius spem crevit adolescens tum ingenii mansuetudine cultuque, tum pietate, quae eum maxime decet, qui ad religionem tendat atque ad sacerdotium.

Itaque, post optima in studiis indicia, sacerdotio initiatus, nihil antiquius habuit quam eumdem sibi tramitem vitae sumeret a Parente ipsi signatum, eumque toto pectore sequeretur atque diligeret. Verum, quot aerumnas sustulit, quot vel amicorum iniurias est fortiter passus! Eodem tempore studiorum suorum specimen praeter ordinem dedit, atque Superioris voluntatem unice secutus, ut rite

publice pueros doceret, qui scholas gymnasii frequentant, regio diplomate in magno Taurinensium Studio praeditus est. Sed ad maiora vocatus, postquam iuvenis admodum prima in docendo stipendia meruit, ad sanctum Petrum Arenarium in Liguria Collegium pueris alendis docendisque aperuit, ibique cum magna omnium piorum laetitia, Rector quoque templi S. Caietano sacri adstitit. Quum vero omnes in eius virtutum contemplatione laetarentur et maiora sibi bona eius ductu consilioque in dies auspicantes magnas Deo gratiàs agerent, in Galliam missus, novas aedes Massiliae primum condidit, in quibus pueri pauperiores in artes incumberent, iis omnibus adiunctis, quae ex temporum ratione imprimis exigerentur. Mirum quot utilitatum flumina in puerorum salutem aperuit! Massiliensem domum superavit domus altera, quam postea suorum omniumque plausu Lutetiis Parisiorum instituit. Quo facto in Gallia sacerdos hic cum ipso Patre facile componitur, idemque gallice *Le petit d. Bosco* passim advocabatur.

Nuperrime vero post Parentis funus ad domum Taurinensem, omnium Salesianorum caput, advocatus, rebus sacris praefuit apud sodales suos, sub praescripto Michaëlis Rua, qui mox omnibus flebilis decessit. Hoc vero munus ea prudentia, doctrina, dulcedine gessit, ut ad supremum Salesianorum regimen omnibus fere suffragiis electus sit.

Quod felix, faustum, fortunatumque, Deo adiuvante, adveniat!

Nos qui iamdiu, imo vel a teneris, egregiam viri indolem novimus, eumque sumus in omni vitae curriculo, ob suavem mentis animique fortitudinem, admiratione persecuti, suorum omnium vota eum esse perfecturum speramus, quin imo supergressurum.

Tot virtutibus ingenii praeditus est eaque prudentia!

Unum deest, sanitas. Utinam vero corporis valetudo par sit in eo mentis sanitati et gravissima quaeque ei muneris pondera addita sufferre possit! Tunc magnum erit universae Salesianorum familiae incrementum, religioni ipsi ornamentum et decus, multis denique gentibus beneficium.

Augustae Taurinorum. SUBALPINUS.

Non possidentem multa vocaveris
Recte beatum: rectius occupat
Nomen beati, qui deorum
Muneribus sapienter uti

Duramque callet pauperiem pati,
Eiusque leto flagitium timet.
Non ille pro caris amicis
Aut patria timidus perire.

HOR., *Od.* IV, 9.

ACTA PONTIFICIA

MOTU PROPRIO

quo quaedam statuuntur leges ad modernismi periculum propulsandum.

Sacrorum antistitum neminem latere arbitramur, vaferrimum hominum genus, modernistas, persona quam induerant illis detracta per encyclicas Litteras *Pascendi dominici gregis* (1), consilia pacis in Ecclesia turbandae non abiecisse. Haud enim intermiserunt novos aucupari et in clandestinum foedus ascire socios cum iisque in christianae reipublicae venas opinionum suarum virus inserere, editis libris commentariisque suppresso aut mentito scriptorum nomine. Haec audaciae maturitas, per quam tantus Nobis inustus est dolor, si perlectis iterum memoratis Litteris Nostris, consideretur attentius, facile apparebit, eius moris homines haud alios esse quam quos ibi descripsimus, adversarios eo magis timendos, quo propiores; ministerio suo abutentes ut venenatam hamis escam imponant ad intercipiendos incautos, doctrinae speciem circumferentes, in qua errorum omnium summa continetur.

Hac lue diffluente per agri Domini partem, unde laetiores essent exspectandi fructus, quum omnium Antistitum est in catholicae fidei defensione laborare, summâque diligentia cavere, ne integritas divini depositi quidquam detrimenti capiat, tum ad Nos maxime pertinet Christi Servatoris imperata facere, qui Petro, cuius principatum, licet indigni, obtinemus, dixit: *Confirma fratres tuos.* Hac nempe de causa, hoc est, ut in praesenti dimicatione subeunda confirmentur bonorum animi, opportunum duximus memorati Nostri documenti sententias et praescripta referre hisce verbis expressa:

« Vos oramus et obsecramus, ne in re tam gravi vigi« lantiam, diligentiam, fortitudinem vestram desiderari vel « minimum patiamini. Quod vero a vobis petimus et expe« ctamus, idipsum et petimus aeque et expectamus a ce« teris animarum pastoribus, ab educatoribus et magistris « sacrae iuventutis, imprimis autem a summis religiosarum « familiarum magistris.

« I. Ad studia quod attinet, volumus probeque manda« mus ut philosophia scholastica studiorum sacrorum funda« mentum ponatur. — Utique, *si quid a doctoribus schola« sticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum conside« rate traditum; si quid cum exploratis posterioris aevi « doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non « probabile; id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad « imitandum proponi* (2). Quod rei caput est, philosophiam « scholasticam quum sequendam praescribimus, eam praeci« pue intelligimus quae a sancto Thoma Aquinate est tra« dita: de qua quidquid a Decessore Nostro sancitum est, « id omne vigere volumus, et qua sit opus instauramus et « confirmamus, stricteque ab universis servari iubemus. « Episcoporum erit, sicubi in Seminariis neglecta haec fue« rint, ea ut in posterum custodiantur urgere atque exigere. « Eadem religiosorum Ordinum moderatoribus praecipimus. « Magistros autem monemus ut rite hoc teneant, Aquina« tem vel parum deserere, praesertim in re metaphysica, « non sine magno detrimento esse. *Parvus error in prin« cipio,* sic verbis ipsius Aquinatis licet uti, *est magnus in « fine* (3).

« Hoc ita posito philosophiae fundamento, theologicum « aedificium extruatur diligentissime. — Theologiae stu« dium, Venerabiles Fratres, quanta potestis ope provehite,

(1) Dat. d. VIII Septembr. MCMVII. — (2) LEO XIII, Encycl. « *Aeterni Patris* ». — (3) *De Ente et Essentia*, proëm.

« ut clerici e Seminariis egredientes praeclara illius existi-« matione magnoque amore imbuantur, illudque semper pro « deliciis habeat. Nam *in magna et multiplici disciplinarum « copia quae menti veritatis cupidae obiicitur, neminem latet « sacram Theologiam ita principem sibi locum vindicare, ut « vetus sapientum effatum sit, ceteris scientiis et artibus of-« ficium incumbere, ut ei inserviant ac velut ancillarum « more famulentur* (1). — Addimus heic, eos etiam Nobis « laude dignos videri, qui, incolumi reverentia erga Tra-« ditionem et Patres et ecclesiasticum magisterium, sapienti « iudicio catholicisque usi normis (quod non aeque omni-« bus accidit) theologiam positivam, mutuato ab historia « lumine, collustrare studeat. Maior profecto quam antehac « positivae theologiae ratio est habenda: id tamen sic fiat, « ut nihil scholastica detrimenti capiat, iique reprehendan-« tur utpote qui modernistarum rem gerunt, quicumque « positivam sic extollunt ut scholasticam theologiam despi-« cere videantur.

« De profanis vero disciplinis satis sit revocare quae « Decessor Noster sapientissime dixit: *In rerum etiam na-« turalium consideratione strenue adlaboretis: quo in genere « nostrorum temporum ingeniose inventa et utiliter ausa, sicut « iure admirantur aequales, sic posteri perpetua commenda-« tione et laude celebrabunt* (2). Id tamen nullo sacrorum « studiorum damno; quod idem Decessor Noster gravissi-« mis hisce verbis monuit: *Quorum causam errorum, si « quis diligentius investigaverit, in eo potissimum sitam esse « intelliget, quod nostris hisce temporibus, quanto rerum « naturalium studia vehementius fervent, tanto magis seve-« riores altioresque disciplinae defloruerint: quaedam enim « fere in oblivione hominum conticescunt; quaedam remisse « leviterque tractantur, et quod indignius est, splendore pri-« stinae dignitatis deleto, pravitate sententiarum et imma-« nibus opinionum portentis inficiuntur* (3). Ad hanc igitur « legem naturalium disciplinarum studia in sacris Semina-« riis temperari volumus.

« II. His omnibus praeceptionibus tum Nostris tum De-« cessoris Nostri oculos adiici oportet, quum de Seminario-« rum vel Universitatum catholicarum moderatoribus et « magistris eligendis agendum erit. Quicumque modo quo-« piam modernismo imbuti fuerint, ii, nullo habito rei cu-« iusvis respectu, tum a regundi tum a docendi munere « arceantur; eo si iam funguntur, removeantur: item qui « modernismo clam aperteve favent, aut modernistas lau-« dando eorumque culpam excusando, aut Scholasticam et « Patres et Magisterium ecclesiasticum carpendo, aut ec-« clesiasticae potestati, in quocumque ea demum sit, obe-« dientiam, detrectando: item qui in historica re, vel ar-« cheologica, vel biblica nova student: item qui sacras ne-« gligunt disciplinas, aut profanas anteponere videntur. — « Hoc in negotio, Venerabiles Fratres, praesertim in magi-« strorum delectu, nimia nunquam erit animadversio et « constantia; ad doctorum enim exemplum plerumque com-« ponuntur discipuli. Quare, officii conscientia freti, pru-« denter hac in re et fortiter agitote.

« Pari vigilantia et severitate ii sunt cognoscendi ac « deligendi, qui sacris initiari postulent. Procul, procul esto « a sacro ordine novitatum amor: superbos et contumaces « animos odit Deus! — Theologiae laurea nullus in poste-« rum donetur, qui statum curriculum in scholastica philo-« sophia antea non elaboraverit. Quod si donetur, inaniter « donatus esto. — Quae de celebrandis Universitatibus Sa-« crum Consilium Episcoporum et Religiosorum negotiis « praepositum clericis Italiae tum saecularibus tum regula-« ribus praecepit anno MDCCCXCVI; ea ad nationes omnes « posthac pertinere decernimus. — Clerici et sacerdotes qui « catholicae cuipiam Universitati vel Instituto item catho-« lico nomen dederint, disciplinas, de quibus magisteria in « his fuerint, in civili Universitate ne ediscant. Sicubi id « permissum, in posterum ut ne fiat edicimus. — Episcopi, « qui huiusmodi Universitatibus vel Institutis moderandis « praesunt, curent diligentissime ut quae hactenus impera-« vimus, ea constanter serventur.

« III. Episcoporum pariter officium est modernistarum « scripta quaeve modernismum olent provehuntque, si in « lucem edita, ne legantur cavere; si nondum edita, ne « edantur prohibere. — Item libri omnes, ephemerides, com-« mentaria quaevis huius generis neve adolescentibus in « Seminariis neve auditoribus in Universitatibus permittan-« tur: non enim minus haec nocitura, quam quae contra « mores conscripta; immo etiam magis, quod christianae « vitae initia vitiant. — Nec secus iudicandum est de quo-« rumdam catholicorum scriptionibus, hominum ceteroqui « non malae mentis, sed qui theologicae disciplinae expertes « ac recentiori philosophia imbuti, hanc cum fide compo-« nere nituntur et ad fidei, ut inquiunt, utilitates transferre. « Hae, quia nullo metu versantur ob auctorum nomen bo-« namque existimationem, plus periculi afferunt ut sensim « ad modernismum quis vergat.

« Generatim vero, Venerabiles Fratres, ut in re tam « gravi praecipiamus, quicumque in vestra uniuscuiusque « dioecesi prostant libri ad legendum perniciosi, ii ut exu-« lent fortiter contendite, solemni etiam interdictione usi. « Etsi enim Apostolica Sedes ad huiusmodi scripta e medio « tollenda omnem operam impendat; adeo tamen iam nu-« mero crevere, ut vix notandis omnibus pares sint vires. « Ex quo fit, ut serior quandoque paretur medicina, quum « per longiores moras malum invaluit. Volumus igitur ut « sacrorum Antistites, omni metu abiecto, prudentia carnis « deposita, malorum clamoribus posthabitis, suaviter quidem « sed constanter suas quisque partes suscipiant; memores « quae Leo XIII in Constitutione apostolica *Officiorum ac « munerum* (1) praescribebat: *Ordinarii, etiam tamquam « Delegati Sedis Apostolicae, libros aliaque scripta noxia in « sua dioecesi edita vel diffusa proscribere et e manibus fide-« lium auferre studeant.* Ius quidem his verbis tribuitur sed « etiam officium mandatur. Nec quispiam hoc munus officii « implevisse autumet, si unum alterumve librum ad Nos « detulerit, dum alii bene multi dividi passim ac pervul-« gari sinuntur. — Nihil autem vos teneat, Venerabiles « Fratres, quod forte libri alicuius auctor ea sit alibi fa-« cultate donatus, quam vulgo *Imprimatur* appellant: tum « quia simulata esse possit, tum quia vel negligentius data « vel benignitate nimia nimiave fiducia de auctore concepta, « quod forte postremum in Religiosorum ordinibus aliquando « evenit. Accedit quod, sicut non idem omnibus convenit « cibus, ita libri qui altero in loco sint innocentes, nocen-« tes in altero ob rerum complexus esse queant. Si igitur « Episcopus, audita prudentum sententia, horum etiam li-« brorum aliquem in sua dioecesi notandum censuerit, po-« testatem ultro facimus immo et officium mandamus. Res « utique decenter fiat, prohibitionem, si sufficiat, ad clerum « unum coërcendo; integro tamen bibliopolarum catholico-« rum officio libros ab Episcopo notatos minime venales « habendi. — Et quoniam de his sermo incidit, vigilent « Episcopi ne, lucri cupiditate, malam librarii mercentur « mercem: certe in aliquorum indicibus modernistarum libri « abunde nec parva cum laude proponuntur. Hos, si obe-« dientiam detrectent, Episcopi, monitione praemissa, biblio-« polarum catholicorum titulo privare ne dubitent; item

(1) Leo XIII, Litt. ap. x Dec. MDCCCLXXXIX. — (2) Alloc., « *Pergratus Nobis* » ad scientiar. cultores, VII Martii MDCCCLXXX. — (3) Alloc., ut supra.

(1) XXV Ian. MDCCCXCVII.

« potioreque iure si episcopales audiant: qui vero ponti- « ficio titulo ornantur, eos ad Sedem Apostolicam deferant. « — Universis demum in memoriam revocamus, quae me- « morata apostolica Constitutio *Officiorum* habet, articulo « XXVI: *Omnes, qui facultatem apostolicam consecuti sunt « legendi et retinendi libros prohibitos, neqnennt ideo legere « et retinere libros quoslibet aut ephemerides ab Ordinariis « locorum proscriptas, nisi eis in apostolico indulto expressa « facta fuerit potestas legendi ac retinendi libros a quibus- « cumque damnatos.*

« IV. Nec tamen pravorum librorum satis est lectionem « impedire ac venditionem; editionem etiam prohiberi opor- « tet. Ideo edendi facultatem Episcopi severitate summa « impertiant. — Quoniam vero magno numero ea sunt ex « Constitutione *Officiorum*, quae Ordinarii permissionem ut « edantur postulent, nec ipse per se Episcopus praecogno- « scere universa potest; in quibusdam dioecesibus ad co- « gnitionem faciendam censores ex officio sufficienti numero « destinantur. Huiusmodi censorum institutum laudamus « quam maxime: illudque ut ad omnes dioeceses propagetur « non hortamur modo sed omnino praescribimus. In uni- « versis igitur curiis episcopalibus censores ex officio ad- « sint, qui edenda cognoscant: hi autem e gemino clero « eligantur, aetate, eruditione, prudentia commendati, qui- « que in doctrinis probandis improbandisque medio tutoque « itinere eant. Ad illos scriptorum cognitio deferatur, quae « ex articulis XLI et XLII memoratae Constitutionis praevio « subsunt examini. Censor sententiam scripto dabit. Ea si « faverit, Episcopus potestatem edendi faciet per verbum « *Imprimatur,* cui tamen proponetur formula *Nihil obstat,* « adscripto censoris nomine. — In Curia romana, non secus « ac in ceteris omnibus, censores ex officio instituantur. « Eos, audito prius Cardinali in Urbe Pontificis Vicario, tum « vero annuente ac probante ipso Pontifice Maximo, Magi- « ster sacri Palatii apostolici designabit. Huius erit ad « scripta singula cognoscenda censorem destinare. Editionis « facultas ab eodem Magistro dabitur necnon a Cardinali « Vicario Pontificis vel Antistite eius vices gerente, prae- « missa, prout supra diximus, approbationis formula adiec- « toque nomine censoris. — Extraordinariis tantum in « adiunctis ac per quam raro, prudenti Episcopi arbitrio, « censoris mentio intermitti poterit. — Auctoribus censoris « nomen patebit nunquam, antequam hic faventem senten- « tiam ediderit; ne quid molestiae censori exhibeatur vel « dum scripta cognoscit, vel si editionem non probarit. — « Censores e religiosorum familiis nunquam eligantur, nisi « prius moderatoris provinciae secreto sententia audiatur: « is autem de eligendi moribus, scientia et doctrinae inte- « gritate pro officii conscientia testabitur. — Religiosorum « moderatores de gravissimo officio monemus nunquam si- « nendi aliquid a suis subditis typis edi, nisi prius ipso- « rum et Ordinarii facultas intercesserit. — Postremum edi- « cimus et declaramus, censoris titulum, quo quis ornatur, « nihil valere prorsus nec unquam posse afferri ad privatas « eiusdem opiniones firmandas.

« His universe dictis, nominatim servari diligentius prae- « cipimus, quae articulo XLII Constitutionis *Officiorum* in « haec verba edicuntur: *Viri e clero saeculari prohibentur « quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel « folia periodica moderanda suscipiant.* Qua si qui venia « perniciose utantur, eâ, moniti primum, priventur. — Ad « sacerdotes quod attinet, qui *correspondentium* vel *collabo- « ratorum* nomine vulgo veniunt, quoniam frequentius eve- « nit eos in ephemeridibus vel commentariis scripta edere « modernismi labe infecta; videant Episcopi ne quid hi, « contra quam siverint, moliantur, datamque potestatem, si « oportet, retractent. Idipsum ut religiosorum moderatores « praestent gravissime admonemus: qui si negligentius agant, « Ordinarii auctoritate Pontificis Maximi provideant. — « Ephemerides et commentaria, quae a catholicis scribuntur, « quoad fieri possit, censorem designatum habeant. Huius « officium erit folia singula vel libellos, postquam sint edita, « integre attenteque perlegere: si quid dictum periculose « fuerit, id in sequenti folio vel libello corrigendum iniun- « gat. Eadem porro Episcopis facultas esto, etsi censor forte « faverit.

« V. Congressus publicosque coetus iam supra memora- « vimus, utpote in quibus suas modernistae opiniones tueri « palam ac propagare student. — Sacerdotum conventus Epi- « scopi in posterum haberi ne siverint, nisi rarissime. Quod « si siverint, ea tantum lege sinent, ut nulla fiat rerum « tractatio quae ad Episcopos Sedemve Apostolicam perti- « nent; ut nihil proponatur vel postuletur, quod sacrae po- « testatis occupationem inferat; ut quidquid modernismum « sapit, quidquid presbyterianismum vel laicismum, de eo « penitus sermo conticescat. — Coetibus eiusmodi, quos sin- « gulatim, scripto, aptaque tempestate permitti oportet, nul- « lus ex alia dioecesi sacerdos intersit, nisi litteris sui Epi- « scopi commendatus. — Omnibus autem sacerdotibus animo « ne excidant, quae Leo XIII gravissime commendavit: « *Sancta sit apud sacerdotes Antistitum suorum auctoritas: « pro certo habeant sacerdotale munus nisi sub magisterio « Episcoporum exerceatur, neque sanctum, nec satis utile, « neque honestum futurum* (1).

« VI. Sed enim, Venerabiles Fratres, quid iuverit iussa « a Nobis praeceptionesque dari, si non haec rite constan- « terque serventur? Id ut feliciter pro votis cedat, visum « est ad universas dioeceses proferre, quod Umbrorum Epi- « scopi (2), ante annos plures, pro suis prudentissime decre- « verunt. *Ad errores,* sic illi, *iam diffusos expellendos atque « ad impediendum quominus ulterius divulgentur, aut adhuc « exstent impietatis magistri per quos perniciosi perpetuentur « effectus, qui ex illa divulgatione manarunt; sacer Conven- « tus, sancti Caroli Borromaei vestigiis inhaerens, institui « in unaquaque dioecesi decernit probatorum utriusque cleri « consilium, cuius sit pervigilare an et quibus artibus novi « errores serpant aut disseminentur atque Episcopum de hisce « docere, ut collatis consiliis remedia capiat, quibus id mali « ipso suo initio exstingui possit, ne ad animarum perni- « ciem magis magisque diffundatur, vel, quod peius est, in « dies confirmetur et crescat.* — Tale igitur consilium, quod « *a vigilantia* dici placet, in singulis dioecesibus institui « quamprimum decernimus. Viri, qui in illud adsciscantur « eo fere modo cooptabuntur, quo supra de censoribus sta- « tuimus. Altero quoque mense statoque die cum Episcopo « convenient: quae tractarint, decreverint, ea arcani lege « custodiunto. Officii munere haec sibi demandata habeant. « Modernismi indicia ac vestigia tam in libris quam in ma- « gisteriis pervestigent vigilanter; pro cleri iuventaeque in- « columitate, prudenter sed prompte et efficaciter praescri- « bant. — Vocum novitatem caveant, meminerintque Leo- « nis XIII monita: *Probari non posse in catholicorum scriptis « eam dicendi rationem quae, pravae novitati studens, pie- « tatem fidelium ridere videatur, loquaturque novum christia- « nae vitae ordinem, novas Ecclesiae praeceptiones, nova mo- « derni animi desideria, novam socialem cleri vocationem, « novam christianam humanitatem, aliaque id genus multa* (3). « Haec in libris praelectionibusque ne patiantur. — Libros « ne negligant, in quibus piae cuiusque loci traditiones aut « sacrae Reliquiae tractantur. Neu sinant eiusmodi quae- « stiones agitari in ephemeridibus vel in commentariis fo-

(1) Litt. Encycl. « *Nobilissima* », VIII Febr. MDCCCLXXXIV. — (2) Act. Consess. Epp. Umbriae, Novembri MDCCCXLIX, tit. II, art. 6. — (3) Instruct. S. C. NN. EE. EE. XXVII Ian. MCMII.

« vendae pietati destinatis, nec verbis ludibrium aut de-« spectum sapientibus, nec stabilibus sententiis, praesertim, « ut fere accidit, si quae affirmantur probabilitatis fines non « excedunt vel praeiudicatis nituntur opinionibus. — De « sacris Reliquiis haec teneantur. Si Episcopi, qui uni in « hac re possunt, certo norint Reliquiae cuiuspiam aucto-« ritates, ob civiles forte perturbationes vel alio quovis casu, « intericrint; ne publice ea proponantur nisi rite ab Episcopo « recognita. Praescriptionis argumentum vel fundatae prae-« sumptionis tunc tantum valebit, si cultus antiquitate com-« mendetur; nimirum pro decreto, anno MDCCCXCVI a sacro « Consilio indulgentiis sacrisque Reliquiis cognoscendis edito, « quo edicitur: *Reliquias antiquas conservandas esse in ea « veneratione in qua hactenus fuerunt, nisi in casu parti-« culari certa adsint argumenta eas falsas vel supposititias « esse.* — Quum autem de piis traditionibus iudicium fuerit, « illud meminisse oportet: Ecclesiam tanta in hac re uti « prudentia, ut traditiones eiusmodi ne scripto narrari per-« mittat nisi cautione multa adhibita praemissaque decla-« ratione ab Urbano VIII sancita; quod etsi rite fiat, non « tamen facti veritatem adserit, sed, nisi humana ad cre-« dendum argumenta desint, credi modo non prohibet. Sic « plane sacrum Consilium legitimis ritibus tuendis, abhinc « annis triginta, edicebat: *Eiusmodi apparitiones seu reve-« lationes neque approbatas neque damnatas ab Apostolica « Sede fuisse, sed tantum permissas tamquam pie credendas « fide solum humana, iuxta traditionem quam ferunt, ido-« neis etiam testimoniis ac monumentis confirmatam* (1). Hoc « qui teneat, metu omni vacabit. Nam Apparitionis cuiusvis « religio, prout factum ipsum spectat et *relativa* dicitur, « conditionem semper habet implicitam de veritate facti: « prout vero *absoluta* est, semper in veritate nititur, fertur « enim in personas ipsas Sanctorum qui honorantur. Simi-« liter de Reliquiis affirmandum. — Illud demum Consilio « vigilantiae demandamus, ut ad socialia instituta itemque « ad scripta quaevis de re sociali assidue ac diligenter adii-« ciant oculos, ne quid in illis modernismi lateat, sed Ro-« manorum Pontificum praeceptionibus respondeant.

« VII. Haec quae praecepimus ne forte oblivioni dentur, « volumus et mandamus ut singularum dioecesum Episcopi, « anno exacto ab editione praesentium litterarum, postea « vero tertio quoque anno, diligenti ac iurata enarratione « referant ad Sedem Apostolicam de his quae hac Nostra « Epistola decernuntur, itemque de doctrinis quae in clero « vigent, praesertim autem in Seminariis ceterisque catho-« licis Institutis, iis non exceptis quae Ordinarii auctoritati « non subsunt. Idipsum Moderatoribus generalibus ordinum « religiosorum pro suis alumnis iniungimus ».

His, quae plane confirmamus omnia sub poena temeratae conscientiae adversus eos, qui dicto audientes esse renuerint, peculiaria quaedam adiicimus, quae ad sacrorum alumnos in Seminariis degentes et ad instituti religiosi tirones referuntur. — In Seminariis quidem oportet partes omnes institutionis eo tandem aliquando conspirent ut dignus tali nomine formetur sacerdos. Nec enim existimare licet, eiusmodi contubernia studiis dumtaxat aut pietati patere. Utrâque re institutio tota coalescit, suntque ipsa tamquam palaestrae ad sacram Christi militiam diuturna praeparatione fingendam. Ex iis igitur ut acies optime instructa prodeat, omnino sunt duae res necessariae, doctrina ad cultum mentis, virtus ad perfectionem animi. Altera postulat ut alumna sacrorum iuventus iis artibus apprime erudiatur quae cum studiis rerum divinarum arctiorem habent cognationem; altera singularem exigit virtutis constantiaeque praestantiam. Videant ergo moderatores disciplinae ac pietatis, quam de se quisque spem iniiciant alumni, introspiciantque singulorum quae sit indoles; utrum suo ingenio plus aequo indulgeant, aut spiritus profanos videantur sumere; sintne ad parendum dociles, in pietatem proni, de se non alte sentientes, disciplinae retinentes; rectone sibi fine proposito, an humanis ducti rationibus ad sacerdotii dignitatem contendant; utrum denique convenienti vitae sanctimonia doctrinaque polleant; aut certe, si quid horum desit, sincero promptoque animo conentur acquirere. Nec nimium difficultatis habet investigatio; siquidem virtutum, quas diximus, defectum cito produnt et religionis officia ficto animo persoluta, et servata metus causâ, non conscientiae voce, disciplina. Quam qui servili timore retineat, aut animi levitate contemptuve frangat, is a spe sacerdotii sancte fungendi abest quam longissime. Haud enim facile creditur, domesticae disciplinae contemptorem a publicis Ecclesiae legibus minime discessurum. Hoc animo comparatum si quem deprehenderit sacri ephebei moderator, et si semel iterumque praemonitum, experimento facto per annum, intellexerit a consuetudine sua non recedere, eum sic expellat, ut neque a se neque ab ullo episcopo sit in posterum recipiendus.

Duo igitur haec ad promovendos clericos omnino requirantur; innocentia vitae cum doctrinae sanitate coniuncta. Neve illud praetereat, praecepta ac monita, quibus episcopi sacris ordinibus initiandos compellant, non minus ad hos quam ad candidatos esse conversa, prout ubi dicitur: « Pro-« videndum, ut caelestis sapientia, probi mores et diuturna « iustitiae observatio ad id electos commendet.... Sint probi « et maturi in scientia simul et opere... eluceat in eis to-« tius forma iustitiae ».

Ac de vitae quidem probitate satis dictum esset, si haec a doctrina et opinionibus, quas quisque sibi tuendas assumpserit, posset facili negotio seiungi. Sed, ut est in proverbiorum libro: *Doctrina sua noscetur vir* (1); utque docet Apostolus: *Qui... non permanet in doctrina Christi, Deum non habet* (2). Quantum operae vero dandum sit addiscendis rebus multis equidem et variis, vel ipsa huius aetatis conditio docet, nihil gloriosius efferentis quam lucem progredientis humanitatis. Quotquot igitur sunt ex ordine cleri si convenienter temporibus velint in suis versari muneribus; si cum fructu *exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere* (3); si opes ingenii in Ecclesiae utilitatem transferre, oportet cognitionem rerum assequantur, eamque minime vulgarem, et ad excellentiam doctrinae propius accedant. Luctandum est enim cum hostibus non imperitis, qui ad elegantiam studiorum scientiam saepe dolis consutam adiungunt, quorum speciosae vibrantesque sententiae magno verborum cursu sonituque feruntur, ut in iis videatur quasi quid peregrinum instrepere. Quapropter expedienda mature sunt arma, hoc est, opima doctrinae seges comparanda omnibus, quicumque sanctissimis perarduisque muneribus in umbratili vita se accingunt.

Verum, quia vita hominis iis est circumscripta limitibus ut ex uberrimo cognoscendarum rerum fonte vix detur aliquid summis labiis attingere, discendi quoque temperandus est ardor et retinenda Pauli sententia: *non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (4). Quare, quum clericis multa iam satis eaque gravia sint imposita studia, sive quae pertinent ad sacras litteras, ad Fidei capita, ad mores, ad scientiam pietatis et officiorum, quam *asceticam* vocant, sive quae ad historiam Ecclesiae, ad ius canonicum, ad sacram eloquentiam referuntur; ne iuvenes aliis quaestionibus consectandis tempus terant et a studio praecipuo distrahantur, omnino vetamus diaria quaevis aut

(1) Decr. II Maii MDCCCLXXVII.

(1) *Prov.* XII, 8. — (2) II Ioan. 9. — (3) *Tit.* I, 9. — (4) *Rom.* XII, 3.

commentaria, quantumvis optima, ab iisdem legi, onerata moderatorum conscientia, qui ne id accidat religiose non caverint.

Ut autem suspicio segregetur omnis clanculum se inferentis modernismi, non solum omnino servari volumus quae sub numero secundo superius praescripta sunt, sed praeterea praecipimus ut singuli doctores, ante auspicandas ineunte anno praelectiones, Antistiti suo textum exhibeant, quem sibi quisque in docendo proposuerit, vel tractandas quaestiones, sive *theses;* deinde ut per annum ipsum exploretur sua cuiusque magisterii ratio; quae si videatur a sana doctrina discedere, causa erit quamobrem doctor illico amoveatur. Denique, ut, praeter fidei professionem, iusiurandum det Antistiti suo, secundum adiectam infra formulam, et subscripto nomine.

Iusiurandum hoc, praemissa Fidei professione per formulam a sa. me. Decessore Nostro Pio IV praescriptam, cum adiectis definitionibus Concilii Vaticani, suo antistiti item dabunt:

I. Clerici maioribus ordinibus initiandi; quorum singulis antea tradatur exemplar tum professionis fidei, tum formulae edendi iurisiurandi ut eas accurate praenoscant, adiecta violati iurisiurandi, ut infra, sanctione.

II. Sacerdotes confessionibus excipiendis destinati et sacri concionatores, antequam facultatate donentur ea munia exercendi.

III. Parochi, Canonici, Beneficiarii ante ineundam beneficii possessionem.

IV. Officiales in curiis episcopalibus et ecclesiasticis tribunalibus, haud exceptis Vicario generali et iudicibus.

V. Adlecti concionibus habendis per quadragesimae tempus.

VI. Officiales omnes in Romanis Congregationibus vel tribunalibus coram Cardinali Praefecto vel Secretario eiusdem sive Congregationis sive tribunalis.

VII. Religiosarum familiarum Congregationumque Moderatores et Doctores antequam ineant officium.

Professionis fidei, quam diximus, editique iurisiurandi documenta, peculiaribus in tabulis penes Curias episcopales adserventur, itemque penes Romanarum Congregationum sua quaeque officia. Si quis autem, quod Deus avertat, iusiurandum violare ausus fuerit, ad Sancti Officii tribunal illico deferatur.

(*Ad proximum numerum*).

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Consistoriali.

De secreto servando in designandis ad Sedes Episcopales.

Rogantibus nonnullis Antistitibus, ut decretum S. C. Consistorialis diei 30 Martii 1910, de secreto servando in iis designandis, qui ad sedes episcopales proponuntur in Foederatis Statibus Americae Septemtrionalis (1), extenderetur ad suas quoque dioeceses et provincias ubi eadem vel similis forma designationis obtinet, SSmus. D. N. Pius PP. X, de consulto S. C. Consistorialis, votis sibi oblatis obsecundans, statuit ac decrevit, ut memoratum decretum congrua congruis referendo, ad omnes praedictas regiones extendatur eiusque praescripta ab omnibus, ad quos spectat, adamussim serventur. (Ex decr. d. II mens. Iulii MCMX).

(1) Cfr. num. sup.

De providendis Episcopalibus Sedibus in provincia S. Ioannis de Terranova.

In provisione Sedium Episcopalium memoratae provinciae ecclesiasticae eaedem servari debent normae, quae vigent in provinciis dominii Canadiensis. (Ex decr. d. XVIII mens. Iulii MCMX).

Circa competentiam relate ad Missas votivas.

Ad S. C. de disciplina Sacramentorum spectat concedere facultatem legendi Missam votivam, praeterquam coeco aut coecutienti, de quibus in normis Romanae Curiae (pars 2, cap. 7, art. 3, n. 10-g), etiam senio confectis vel alio morbo laborantibus; eademque S. C. in superius memoratis casibus concedere valet facultatem non solum legendi Missam votivam B. M. Virginis aut pro defunctis, sed etiam alias Missas votivas a S. Sede adprobatas. (Ex decr. d. XVI mens. Augusti MCMX).

De amotione administrativa ab officio et beneficio curato.

Per decretum S. Congregationis Consistorialis datum d. XX mens. Augusti MCMX novae peculiares normae constitutae sunt triginta duobus canonibus conclusae, quibus gravis haec ecclesiasticae disciplinae pars deinceps regatur (1).

Ex Congregatione S. Officii.

Dubia circa interpretationem Motus Proprii « Quum per Apostolicas » d. VII mens. Aprilis MCMX (2).

Exortis circa interpretationem Motus Proprii « Quum per Apostolicas » d. VII mens. Aprilis MCMX quibusdam dubiis, haec Supremae S. Congregationi S. Officii (Sectio de Indulgentiis) proposita, resoluta sunt prouti sequitur:

1. Utrum S. Congregationi S. Officii recognoscendae exhiberi debeant concessiones Indulgentiarum et facultatum Indulgentias respicientium, quae ante diem 1 Novembris 1908 a S. Congregatione tunc temporis Indulgentiis praeposita et a Secretariis Brevium et Memorialium obtentae fuerunt? — *Resp.* Negative.

2. An dictae exhibitioni sint obnoxiae concessiones Indulgentiarum facultatumque Indulgentias respicientium quae a Brevium Secretaria obtentae sunt post diem 1 Novembris 1908; quaeque sive ante sive post eamdem diem 1 Novembris 1908 a quovis alio, praeter recensita, S. Sedis Officio seu Dicasterio prodierunt? — *Resp.* Affirmative ad utramque partem.

3. An Indulgentiae ac facultates Indulgentias respicientes ante diem 1 Novembris 1908 aliter quam per tramitem alicuius ex supra laudatis S. Sedis Officiis seu Dicasteriis obtentae, debeant et ipsae S. Congregationi S. Officii exhiberi ab eaque recognosci sub poena nullitatis? — *Resp.* Affirmative.

4. Utrum S. Congregationi S. Officii recognoscendae, ut supra, exhiberi debeant facultates, quae con-

(1) Decretum idem, utpote maximi momenti, integrum, ubi primum spatii angustiae concesserint, in *Vocem Urbis* referemus.

(2) Cfr. *Vox Urbis* curr. an. num. V, pag. 76.

ceduntur ex peculiari Apostolico privilegio ab Ordinibus Religiosis, tanquam ipsorum propriae, benedicendi pias imagines, coronas, scapularia, numismata et similia (utpote a Minoribus pro Crucifixis ad Viam Crucis, a Praedicatoribus pro coronis Rosarii, a Carmelitis pro scapularibus B. M. V. de Monte Carmelo, etc.) eisque Indulgentias adnectendi? — *Resp.* Negative.

Praeterea SSmus. D. N. Pius Papa X has resolutiones adprobans et confirmans declaravit « non fuisse suae intentionis comprehendere sub N. 1 Motus proprii *Quum per Apostolicas* facultatem Benedictionem Apostolicam cum Indulgentia Plenaria una alterave vice, vel determinato alicui personarum coetui impertiendi ». (Ex decr. d. XVII mens. Iunii MCMX).

5. Utrum S. Congregationi S. Officii recognoscendae exhiberi debeant concessiones Indulgentiarum et facultatum Indulgentias respicientium, quae ante diem 1 Novembris 1908 a S. Congregatione de Propaganda fide factae fuerunt suis subditis? — *Resp.* Negative.

6. Utrum exhiberi debeant recognitioni Congregationis S. Officii concessiones Indulgentiarum et facultatum Indulgentias respicientium factae ab eadem Congregatione de Propaganda Fide post diem 1 Novembris 1908 et in posterum ab eadem faciendae suis subditis? — *Resp.* Negative et ad mentem. — Mens autem est ut firma et observanda maneat lex per Decretum S. Congregationis Indulgentiarum ac SS. Reliquiarum a Benedicto XIV approbatum d. XXVIII mens. Ianuarii MDCCLVI, confirmatum a Pio PP. IX d. XIV mens. Aprilis MDCCCLVI, iterumque confirmatum a SSmo. Dno. N. Pio PP. X, die XXIX mens. Septembris MCMVIII (*Ordo servandus in Romana Curia, Normae peculiares cap.* VII, *art. 2, n. 81*), hoc est: « Impetrantes posthac generales Indulgentiarum concessiones teneri, sub poena nullitatis gratiae obtentae, exemplar earumdem concessionum ad Secretariam S. Congregationis deferre »; idest ad Secretariam S. Officii. (Ex decr. d. XV mens. Iulii MCMX).

De doctrina Renovationis, quam vocant, Eschatologicae.

Quum renuntiatum esset S. Congregationi S. Officii doctrinam Renovationis, ut aiunt, Eschatologicae, etsi iam alias per Sacram Indicis Congregationem proscriptam, libris ac diariis, inter quae nominanda cum primis ephemeris *Jésus-Roi*, quae Pictavii in lucem prodiit, adhuc inter fideles evulgari; Emi. ac Rmi. Dni. Cardinales in rebus Fidei et morum Inquisitores Generales, in plenario conventu habito die II mens Martii MCMX, omnibus mature perpensis decernendum censuerunt: « Doctrinam de Renovatione Eschatologica esse reprobandam ». Sequenti autem die SSmus. huiusmodi resolutionem adprobavit atque confirmavit. (Ex decr. per *Acta Apostolicae Sedis* vulgato d. XXXI mens. Augusti MCMX).

Commentaria et Opera in Indicem librorum prohibitorum relata.

Per decretum d. VII mens. Septembris MCMX in Indicem librorum prohibitorum relata sunt Commentaria et opera quae sequuntur:

A) *Rivista Storico-critica delle Scienze Theologiche.* — Pubblicazione mensile. Roma.

B) Libri collectionis « *Manuali di Scienze Religiose* hucusque editi, scilicet:

1. ALFONSO MANARESI — *L'impero Romano e il Cristianesimo nei primi tre secoli.* — Vol. I. *Da Nerone a Commodo.* Roma, 1910.

2. ERNESTO BUONAIUTI. — *Saggi di Filologia e Storia del Nuovo Testamento.* Roma, 1910.

3. FRANCESCO MARI. — *Il Quarto Vangelo.* Roma, 1910.

Ex Congregatione Rituum.

De usu coronidum sive ex ligno, sive ex metallo in altaribus.

Neque tolerari neque permitti potest, ne attenta quidem antiquissima consuetudine, in altaribus usus coronidum, sive hae ligneae sint, sive ex metallo decenti coopertae, vel saltem de metallo totaliter confectae, non solum dum festivis diebus Sacra Solemnia sive Missae sive Vesperae celebrantur, sed etiam aliis temporibus. (Ex decr. d. XIII mens. Maii MCMX).

De Missa seu Collecta in anniversario electionis seu translationis Episcopi, iuxta caeremoniale Episcoporum.

Ex Decretis S. R. C. n. 3661 *Halifaxien.* 16 Aprilis 1866 ad III, et n. 3876 *Quebecen.* 13 Decembris 1895 ad VIII, dies electionis seu translationis Episcopi est ille, in quo provisio Ecclesiae Episcopalis a Summo Pontifice publicatur in Consistorio, sive ipsa electio seu translatio fiat in Consistorio, sive in eo tantum enuncietur electio seu translatio antea facta; atque ab eiusmodi publicatione consistoriali hucusque communiter computatum est anniversarium electionis seu translationis Episcopi ad effectum Missae seu Collectae respondentis iuxta Caeremoniale Episcoporum (lib. II, cap. XXXV). Nunc autem, de mandato SSmi per S. Congregationem Consistorialem patefacto, Sacra Rituum Congregatio statuit ac declaravit diem anniversarium electionis seu translationis, in casu et ad effectum de quo agitur in citato libro et capite Caeremonialis Episcoporum, quoad Episcopos in Consistorio electos seu translatos, computandum adhuc esse a die publicationis consistorialis; quoad ceteros vero Episcopos antea electos seu translatos, in posterum non a die enunciationis in Consistorio, sed a die expeditionis decretorum seu litterarum Apostolicarum ad electionem seu translationem pertinentium; non obstantibus resolutionibus in contrarium hucusque editis. Denique Sacra eadem Congregatio iterum atque opportune declaravit, diem anniversarium electionis seu translationis Episcopi Coadiutoris cum futura successione relate ad Missam ipsam seu Collectam, cessante Coadiuti munere et adveniente Coadiutoris successione, item a die expeditionis decretorum seu Litterarum Apostolicarum pro Coadiutoria supradicta esse computandum; prouti alias resolutum fuit, praesertim in una *Marianopolitana* n. 3440, diei 30 Ianuarii 1878. (Ex decr. d. VIII mens. Iunii MCMX).

Sequitur inde ut etiam Collecta pro eligendo novo Episcopo, tempore Ecclesiae vacationis, iuxta disposi-

tionem Caeremonialis Episcoporum lib. II, cap. 38, num. 27, quae ex decreto n. 2672 in *Florentina* dici 19 Decembris 1829 ad III, continuari debuerat usque ad diem electionis seu Consistorii secreti, deinceps continuari debeat usque ad diem qua notitia de facta Episcopi electione seu translatione, sive per provisionem Consistorialem, sive per Litterarum Apostolicarum expeditionem, a Cura Dioecesana rite evulgata fuerit. (Ex decr. d. VIII mens. Iulii MCMX).

Dubium circa Missam Parochialem.

In quibusdam Dioecesibus, Missa in Festis suppressis celebranda et applicanda pro populo, de speciali Indulto Apostolicae Sedis, pro peculiari aliqua intentione applicari potest, dummodo stipendium ad commune aerarium dioecesanum deferatur. Quaesitum a S. R. C. est utrum in Ecclesiis Parochialibus, ubi unus est tantum Sacerdos, dictis diebus, enunciata Missa necessario sit celebranda de die currente; an possit esse cum cantu de Requie in die et pro die obitus seu depositionis, physice vel moraliter praesente cadavere; et responsum affirmative ad primam partem; negative ad secundam. (Ex decr. d. VIII mens. Iulii MCMX).

Ex Congregatione de Sacramentis.

De facultate dispensandi ab impedimentis matrimonialibus imminente mortis periculo.

Decreto S. C. de disciplina Sacramentorum edito die 14 mens. Maii 1909, statutum fuit « quemlibet Sacerdotem qui ad normam art. VII Decreti *Ne temere,* imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius vel Sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, coram duobus testibus matrimonio adsistere valide ac licite posse, et in iisdem rerum adiunctis dispensare quoque posse super impedimentis omnibus etiam publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, exceptis sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita ». Circa quod decretum eidem S. C. dirimendum propositum est dubium: « An praefato decreto comprehendantur etiam parochi, etsi non fuerint ad normam declarationis S. Officii diei 9 Ianuarii 1889, habitualiter subdelegati a propriis Ordinariis »; et responsum est affirmative. (Ex decr. d. XXIX mens. Iulii MCMX).

De aetate discretionis, ac de praecepto Confessionis et Communionis Eucharisticae.

1. Aetas discretionis tum ad Confessionem tum ad S. Communionem ea est, in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive etiam infra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique praecepto Confessionis et Communionis.

2. Ad primam Confessionem et ad primam Communionem necessaria non est plena et perfecta doctrinae christianae cognitio. Puer tamen postea debebit integrum catechismum pro modo suae intelligentiae gradatim addiscere.

3. Cognitio religionis, quae in puero requiritur, ut ipse ad primam Communionem convenienter se praeparet, ea est, qua ipse Fidei mysteria necessaria necessitate medii pro suo captu percipiat, atque eucharisticum panem a communi et corporali distinguat ut ea devotione quam ipsius fert aetas ad SS. Eucharistiam accedat.

4. Obligatio praecepti Confessionis et Communionis, quae puerum gravat, in eos praecipue recidit, qui ipsius curam habere debent, hoc est in parentes, in confessarium, in istitutores et in parochum. Ad patrem vero, aut ad illos, qui vices eius gerunt, et ad Confessarium, secundum Catechismum Romanum, pertinet admittere puerum ad primam Communionem.

5. Semel aut pluries in anno curent parochi indicere atque habere Communionem generalem puerorum, ad eamque, non modo novensiles admittere, sed etiam alios, qui parentum confessariive consensu, ut supra dictum est, iam antea primitus de altari sancta libarunt. Pro utrisque dies aliquot instructionis et praeparationis praemittantur.

6. Puerorum curam habentibus omni studio curandum est ut post primam Communionem iidem pueri ad sacram mensam saepius accedant, et, si fieri possit, etiam quotidie, prout Christus Iesus et mater Ecclesia desiderant, utque id agant ea animi devotione quam talis fert aetas. Meminerint praeterea quibus ea cura est gravissimum quo tenentur officium providendi ut publicis catechesis praescriptionibus pueri ipsi interesse pergant; sin minus, eorundem religiosae institutioni alio modo suppleant.

7. Consuetudo non admittendi ad confessionem pueros, aut nunquam eos absolvendi, quum ad usum rationis pervenerint, est omnino improbanda. Quare Ordinarii locorum, adhibitis etiam remediis iuris, curabunt ut penitus de medio tollatur.

8. Detestabilis omnino est abusus non ministrandi Viaticum et Extremam Unctionem pueris post usum rationis eosque sepeliendi ritu parvulorum. In eos, qui ab huiusmodi more non recedant, Ordinarii locorum severe animadvertant.

Mandatum est insuper singulis Ordinariis ut huiusmodi decretum non modo parochis et clero significarent, sed etiam populo, cui quotannis legi debebit tempore praecepti paschalis, vernacula lingua. Ipsi autem Ordinarii debebunt, unoquoque exacto quinquennio, una cum ceteris dioecesis negotiis, etiam de huius observantia decreti ad S. Sedem referre. (Ex decr. d. VIII mens. Augusti MCMX).

Ex Congregatione de Religiosis.

Declarationes circa Decretum « Ecclesia Christi », editum die VII *mens. Septembr.* MCMIX *« de quibusdam postulantibus in religiosas familias non admittendis. »* (1)

Circa Decretum *Ecclesia Christi* d. d. 7 Septembris 1909 *De quibusdam postulantibus in Religiosas Familias non admittendis* a S. C. Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, nonnullorum dubiorum solutio expetita fuit et data prouti sequitur:

I. An postulantes ad Novitiatum admissi ante publicationem decreti et in ipso comprehensi, valide ad

(1) Cfr. *Vox Urbis* an. XIII, n. I, pag. 13.

professionem admitti queant, absque venia Apostolicae Sedis. — *Resp.* Negative.

II. An ii, qui in aliqua familia Religiosa primam tantum professionem emiserant ante publicationem decreti, valide admitti possint ad alteram professionem, scilicet solemnem in Ordinibus Regularibus, et perpetuam in ceteris Institutis, si in decreto comprehensi fuerint. — *Resp.* affirmative; sed Superiores sub gravi obligatione tenentur: *a)* opportunas, secretas iuratasque informationes exquirere Superiorum Seminarii, vel Collegii, vel Instituti religiosi *a quo*, circa veras causas exitus alumnorum, de quibus agitur; *b)* moraliter aliunde certos fieri et de bonis eorum religiosis moribus, et de solidae vocationis argumentis, et, si agatur de clericis candidatis, etiam de idoneitate litteraria. Et Superiores *a quo*, graviter onerata eorum conscientia, tenentur sincere et sub iuramento secretas huiusmodi informationes a Superioribus *ad quos* exquisitas transmittere.

III. An valide et licite ad Novitiatum admitti possint postulantes, qui a Seminariis vel a Collegiis sive ecclesiasticis, sive religiosis, vel a Novitiatu dimissi quidem non fuerunt *formaliter*, sed *aequivalenter*, id est quos superiores induxerunt vel hortati sunt, ut sponte discederent ne dimitterentur. — *Resp.* Valide quidem per se, sed omnino illicite. Et ad fraudes vel abusus e medio tollendos in re tanti momenti, Superiores nullum ex huiusmodi candidatis admittant, antequam per accuratas et secretas informationes a Moderatoribus Seminariorum, vel Collegiorum ecclesiasticorum sive religiosorum, vel religiosi Instituti, in quo novitii fuerunt, sub fide iuramenti habitas, certi omnino fuerint, candidatos, de quibus agitur, neque formaliter dimissos fuisse, neque aequivalenter. Quod si de candidatis clericis agatur, pariter constare debet de eorum idoneitate litteraria.

IV. An recipi valeant ii, qui professionem votorum temporaneorum in aliqua Congregatione emiserunt, sed, peracto tempore, eamdem sponte non renovarunt. — *Resp.* Affirmative, praehabitis tamen iuratis informationibus, ut supra, in responsione ad II et III.

(Ex decr. d. v mens. Aprilis MCMX).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Septembri MCMX).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites, aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Supremum Ord. Fratrum Minorum vulgo Conventualium Consilium, a nuper electo administro generali P. Sottaz coram adductum; Paulus Albera, novus Salesianorum rector maximus; Petrus Maria Vigorelli, praepositus generalis renunciatus Congregationis S. Pauli Apostoli, vulgo Barnabitarum; Sacerdotes Capitulares Ordinis Praedicatorum; Veuillot doctor, moderator Gallicae ephemeridis, cui titulus *L'Univers;* Sara Campo de Moutt, vidua Reipublicae Chilentis Praesidis, recens vita functi.

Pontificiae electiones.

Illmus. et revmus. dnus. Gulielmus Walsh, archiepiscopus Dublinen. atque Hiberniae Primas, inter episcopos pontificio solio adstantes refertur.

— R. p. d. Antonius Maria Bonito, ipso postulante, ab archiepiscopali sede Amalphitana ad titularem archiepiscopalem sedem Auxumitanam transfertur.

Ipso pariter postulante, r. p. d. Dominicus Mannaioli, ab episcopali sede Montis Falisci transfertur ad titularem episcopalem sedem Pomariensem.

— R. p. d. Angelus Hyacinthus Scapardini, hactenus episcopus Nuscanus, in archiepiscopum tit. eccl. Antiochenae in Pisidia promovetur.

— R. d. Namitius Patritius Foley, rector cathedralis ecclesiae S. Augustini in America, Episcopus dicitur ecclesiae Tuguegaraoanae noviter electae in insulis Philippinis.

— R. d. Robertus Vicentini doctor, Substitutus eligitur Vinculi Defensoris apud Sacrae Romanae Rotae tribunal.

Varia.

Sub die XXV mens. Augusti MCMX SS. D. N. Pius PP. X ad Galliae episcopos epistolam misit, qua actio Gallicae societatis, cui titulus *le Sillon,* frenaretur atque in certos fines redigeretur.

ANNALES

Cretensis quaestio.

Dum Venizelos et Pologiorgis, Cretensis alter atque simul Graecus civis qui pariter populi legatus dictus est in nationali Graecorum coetu, Athenas veniunt, ut coetus laboribus participes fiant, en Turcarum gubernium novas protestationes emittit coram nationibus Cretensis insulae tutelam gerentibus, ut consectaria vitentur quae, iuxta idem gubernium, Cretensi quaestioni ex hisce electionibus oriri possint. Exagerata quidem verba; quum nihil immutatum reapse fuerit, praesertim ex electorum intelligenti iudicio, qui sive Graecis officiis se abdicarunt, sive ipsum mandatum renuerunt. Equid ultra Turcis optandum erat? Atque eo magis quod Georgius, Graecorum rex, coetum « constituentem » inaugurans, in aditiali oratione, opportuno sane consilio, quae in Graecia nunc regalem familiam, exercitum, populi concilium populumque inter se amice coniungere queant ostenderit, de praeteritis discordiis, de regia stirpe quibusdam infecta partibus, deque Cretensi discrimine ne obiter quidem attingens.

Cretae interim gubernio praefectus est Maris doctor, Venizelos assecla, qui magistri prudentiam procul dubio erit sectaturus.

Regia itinera.

Inter regum vel administrorum itinera, quae transacto mense peracta sunt, dignum memoratu est quod Gulielmus, Germanorum Caesar, Vindobonam suscepit. Licet enim privata sub specie urbem Austrorum caput petiverit, obsequium scilicet et omina seni Germani populi socio domestice offerendi, tantus fuit Vindobonensis civitatis aestus, ut huiusmodi eventus veluti antiquae amicitiae solemnis consecratio unanimiter recognitus fuerit.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Batavia** reginae oratione, magno cum plausu accepta, coetus sessiones resumptae.

In **Civitatibus Foederatis Americae Septemtrionalis** comitia ad senatores eligendos habita, quae rei publicae quam vocant parti non omnino favorabilia cesserunt.

In **Graecia** constituens coetus pluribus suffragiis sanxit ut omnibus legatis emittendum esset fidelitatis iuramentum tum regi tum vigentibus adhuc legibus.

In **Lusitania** publici coetus instaurato operi legati qui gubernio obstant accedere renuunt.

PER ORBEM

Die I mens. Septembris MCMX Victorius Bettoloni, Italorum poeta praeclarus, ex illorum schola qui « Commenticii » appellati sunt, in oppido Castro Rubro moritur.

Mediolani fit initium sollemnium in honorem S. Caroli Borromei, abhinc annos CCC in Sanctorum album relati.

— d. II Heaston natator fretum Britannicum frustra transire conatur.

— d. V Mayor des Planches dynasta, Italorum legatus apud Turcarum imperium, a fanatico nonnullorum civium furore, Constantinopoli in urbe, inurbane impetitur.

Monteregali, Canadensi in urbe, Eucharisticus omnium gentium conventus, praeside Purpurato Patre Vincentio Vannutelli, Pontificio ad rem legato, maxima pompa agitur.

— d. VII Londini supremum obit diem Gulielmus Holman Hunt, pictor, eorum ultimus habitus, qui « praeraphaeliticum » genus diligerent.

— d. VIII In Moravia atque in Silesia graves inundationes urbes et oppida vastant.

— d. XI Caprese in oppido monumentum dicatur Michaëli Angelo Bonarrotio, inibi nato.

— d. XII Lorraine aviator fretum S. Georgii, quod Angliam ab Hibernia dividit, per latitudinem nonaginta quinque chilometrorum feliciter transit.

— d. XV ad Clitumni fontes, quas Iosue Carducci, Italorum poetarum nostrae aetatis maximus, cecinit, in eiusdem poetae honorem monumentum inauguratur.

— d. XV Lutetiae Parisiorum vita fungitur Nelidofius, Russorum apud Gallos legatus.

— d. XIX magnum ex ferriviarum ruina infortunium Rottenman, apud Austrorum stationem, lugetur.

— d. XXIII Geo Chavez, Peruvianus, in aëronavi Alpes ad Simplonem montem primus transmittit. Quum vero ad Domodossola oppidum terram iterum petit, converso velivolo obruitur atque ita vulneratur, ut post paucos dies omnibus deflendus extremum spiritum ediderit.

— d. XXIV ad Ariminum fractis limitibus flumina sata et ipsam urbem invadunt atque ingentia damna procurant.

— d. XXVII Berolini carbonis fossores ex condicto ab opere recedentes cum militibus publicae tutelae praepositis manus in viis conserunt. Ex civili certamine plures hinc inde vulnerati recedunt.

AENIGMATA
(vulgo REBUS)

I.

DEVS
OB OB

II.

SUNT SUNT
SUNT SUNT IV.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus :

ALOISII CLASII Lusus pastorales.
(Latine vertit **Ioannes Battani**).

Spatio deficiente, ad proximum numerum: **Aenigmatum solutiones - Librorum recensio - Appendix: Arrae Gorgoniae, etc.**

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina *Societatis Romanae Editricis*.

Ann. XIII. ROMAE, Mense Novembri MCMX Num. XI.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

POST EUCHARISTICUM MARIANOPOLITANUM CONVENTUM

Eucharisticum Marianopolitatum Conventum, cuius sollemnia, tam magnifice non prius acta, diaria omnia per orbem universum celebrarunt, in superiore nostri Commentarii numero inter eventus Septembris mensis proxime elapsi singulari memoria dignos adnumeravimus. Qnum autem ab Eminentissimo Viro Vincentio Card. Vannutelli, qui Pontificii Legati munere eidem praefuit, Romam redeunte, institissemus, ut orationem aliquam illic ab eo latine habitam concederet nobis vulgandam, Purpuratusque ipse Pater, qua benignitate Vocem Urbis *hanc nostram iamdiu prosequitur, suam ultro obtulisset allocutionem ad Sacri Ordinis Viros qui coetui adfuerunt, hac nos nostras paginas condecoramus, dum ob novum datum honorem decori illi Pontificii Senatus publicas gratias referimus.*

AD SACRI ORDINIS VIROS
QUI MARIANOPOLITANO CONVENTUI ADFUERUNT.

Voluptatem quam cepimus ex Marianopolitano Conventu cumulavit conspectus vester multo frequentissimus, compulitque ut vos in unum collectos in hac Vobis adsignata sede conveniremus.

Delectat enim nobilis haec pietatis aemulatio, quam vultu ipso perspicere videmur emicantem; recreat singularis hic in Apostolicam Sedem amor, qui dux Vobis profecto fuit ad Nos tam humaniter excipiendos. Nec vestra officia minus accidunt grata, quod, non privatim Nos, sed personam quam gerimus contemplati animo estis. Quid enim Nobis potest esse iucundius, quam prona in Pontificis obsequium voluntas, propter id maxime quod in honorem cedit Servatoris Nostri Dei? Quid optabilius quam posse ad Christi Vicarium referre, qua in Ipsum caritate flagretis, quantum studii attuleritis in Eucharisticum Coetum, quos inde fructus perceperitis, quantum spei et exspectationis vestra alacritas addat?

Si explorata Nobis pietas vestra non esset, fusius fortasse ostenderemus, nulla re magis posse Sacerdotes Christianam gentium humanitatem per Eucharisticum cultum tueri, quam animo insculptam habentes ministerii sui magnitudinem ac sanctitatem. Nihilominus, quia « necesse est de mundana pulvere etiam religiosa corda sordescere » (1), liceat, hac oblata occasione, in memoriam redigere munerum omnium, quorum participes adiutoresque sumus, augustissimum illud esse, quo Corporis et Sanguinis Christi mysteria conficimus ac distribuimus. Itaque, ut verbis utar Gregorii Magni: « Pensemus

(1) S. LEO PAPA *Serm.* IV *de Quadrag.*

negotium nostrum: pensemus pondus quod suscepimus » (1). Agitur de mundi vita, pro qua data est Christi caro, nostris tractanda manibus; agitur de mysterio quod est velut anima Ecclesiae, ad quod ipsa sacerdotalis gratiae amplitudo per varios ordinum gradus dirigitur; agitur de vera et mirabili, quamquam incruenta, oblati semel a Christo sacrificii instauratione, cuius Ipse infinitam virtutem, sive ad expiandum, sive ad impetrandum, permanere voluit in Eucharistia. Quanta igitur fide ac reverentia nos ad Eum oportet accedere, cuius personam sacra litantes induimus, ut saluti nostrae prospiciamus; quam caute graviterque obeunda illa munia sanctissima, ne forte adstantium pietati offendiculo potius quam adiumento simus!

Si vita Iesu manifestetur in nobis, hausta ex illo igne, quem Ipse venit mittere in terram, hoc est ex Eucharistia, qua, ut habet Ioannes Chrysostomus, « os igni spiritali repletur », tunc tantum suppetent vires ad Augusti Sacramenti cultum provehendum ea ratione quam Summus Ecclesiae Gubernator Pius tantopere commendavit.

Est autem ea ratio duplex et utraque cum actione Sacerdotali coniuncta maxime; altera in praedicatione Eucharistica, altera in frequenti caelestis convivii participatione posita.

Vos profecto non latet, Venerandi Sacerdotes, proelium illud magnum ab initio factum in caelis ex rebellium Angelorum invidia in hominem, cuius naturam esset assumpturus Verbum, iamdudum fuisse redintegratum, nec desiturum, dum Ipsum in terris manebit sub mystico pane delitescens. In hoc signum tartareae phalanges *intenderunt arcum... ut sagittent in occultis immaculatum.* Inde vetus illa polytheismi labes, hoc est Satanae regnum; eiusque debellatori Christo parata Crux, inde et effusus in cruorem ethnicus furor et scissus, errorum monstris, Ecclesiae sinus, et publicarum rerum teterrimae conversiones; inde et inexplebile odium adversus Christi nomen, et in tenebricosis conventiculis conflata in Ipsam Hostiam sanctissimam infanda sacrilegia. Ecquis nostrum, media in hac potestate tenebrarum, non lucem aliquam afferat, memor verbi Domini: *Vos estis lux mundi?* — Igitur et scribendo, et agendo, et concionando maxime, sit vobis propositum exploratas facere populo machinationes impiorum, eius fidem ac pietatem excitare ad Servatoris Dei gloriam per Eucharisticum cultum vindicandam ac proferendam, eidemque suadere res maximas quum religionis, tum humanitatis ab eo vitae centro pendere, ideoque de civili consociatione actum esse, nisi in animo hominum imperet Christus.

Regnabit autem in nobis Christus si eorum qui, ad Ipsum sumendum, et cum recto voluntatis proposito, augeatur numerus et ad divinum convivium frequentia. Quamobrem, ut quisque est inops consilii, viribus infirmus, periculis obnoxius, pronus in vitia, adhortandus est maxime ut ad Eum confugiat, qui luminis, fortitudinis, constantiae, sanctitatis fons patet perennis in Tabernaculo sancto. Ne sit unquam auditum inter vos, uberrimas hasce salutis venas incuria vestra interceptas esse fidelibus, ne ipsis quidem puerulis discretionis aetatem attingentibus, qui in mediis huius temporis insidiis mystico illo auxilio ad innocentiae tutelam maxime indigent. Pateat caritas vestra lacrimis poenitentium, eorumque sanandis vulneribus manus ne desit, ne forte convenire vobis videatur Hieremiae reprehensio, intuentis non obductas cicatrices Filiae Sion: *Numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi?* Ad hoc denique sit alacritas vestra conversa, ut sive in tenera, sive in matura hominum aetate frequens Eucharistiae usus late reviviscat, et novum velut agmen instruatur, eo fortius ad praedicanda proelia Domini, quo cum Illo coniunctius.

Haec vix attigisse sat esto, ne forte longior oratio « scientibus sit onerosa ». Iamque vale vobis dicturo, detis hanc veniam, Venerandi Sacerdotes, ut coram significem, quid ex flagranti studio vestro exspectet Ecclesia. Vos honorem Sacerdotii digne sustinentes, ab eo accepti qui dixit: *Caro mea est pro mundi vita*, exemplo, conversatione, actione vestra efficietis, ut vita Iesu manifestetur in omnibus, et comprobentur ipsius Domini verba: *Qui manducat me, ipse vivet propter me.* Erit opera vestra testimonium omnium luculentissimum perceptorum ex Marianopolitano Conventu fructuum et auspicium certum futurorum. Vos ardorem circumferentes invicti pueri Tharcisii et Paschalis Baylon, Eucharisticarum congressionum patroni caelestis, everso Satanae regno, renovabitis faciem terrae. Vos, alentes et acuentes populi studia in admirabile amoris pignus, hanc laudem promerebitis ut Apostoli Eucharistiae iure vocemini. Per vos felices istae Americae regiones, in tantam Ecclesiae spem florescentes, ceteris gentibus documento erunt, hospite Deo sospitem esse rem publicam; quam admirati cives et advenae clamabunt: *Quam pulchra tabernacula tua Iacob et tentoria tua Israel!* Faxit haec Deus, coeptisque vestris adsit; vos in sancto proposito confirmet; alacriores reddat in dies, et benedictione sua, quam adprecamur amplissimam, prosequatur!

VINCENTIUS Card. VANNUTELLI.

(1) *Hom.* XVII i*ι* *Evang.*

DE S. GREGORII NAZIANZENI EPIGRAMMATIS
AD MATREM

Quum proximis aestivis feriis in manus meas incidisset illud Muratorii opus, sane dignum cedro ac mira industria confectum, quod inscribitur *Anecdota graeca*, et per otium evolvere statuissem, ut inde cuidam meo inexplicabili maerori levationem haurirem, Gregorii theologi epigrammata ante omnia me totum in se converterunt; adeoque illis perlegendis adlectus sum et quasi captus, ut italice transferre non dubitaverim. Neque vero Gregorii nomen me penitus latebat: eius enim legeram, non sine quadam animi commotione, orationes illas duas in funera Caesarii fratris et Basilii, Caesareae episcopi, habitas, quae valde inter Nazianzeni scripta eminent: hinc iam conieceram quibus omnino virtutibus auctor afflueret, quo sanctitatis vestimento indueretur, quaenam eius esset pietas, quibus denique consiliis motus in animis hominum excitare posset.

Sciebam quoque eum, in Cappadocibus genitum, in illa idest regione, quae sub finem saeculi IV p. Chr. n. ad mores cultumque Graecorum lente, sed penitus inclinabat, in haeresim huc illuc multiplici lapsu et erratico, ut vitis, serpentem, magnopere invectum esse, et una cum Basilio Magno ac Gregorio Nysseno omnibus nervis ac viribus contendisse ut Ethnicismi tenebras et Hypsistariorum errores disperderet, errantesque ad germanam Christi fidem revocaret. Neque autem me quidquam eius carminum fallebat, praesertim ea in quibus de se plurimam notitiam affert, quae propter hoc ipsum pretiosiora sunt, quod multa nos auctor de sua vita edocet: hinc facile potest colligi, ne longius progrediar, quanta aviditate carmina evolverim, quae aut laudibus prosequuntur praeclaros homines Nazianzeno et sanguine et pietate et amore coniunctos, aut zelum et legitimam iracundiam in sepulcrorum effractores Agapetosque effundunt.

Placet igitur nonnulla huius Commentarii lectoribus offerre, ea scilicet quae ad matrem pertinent: perdulce enim est, si fluitamus in alto tempestatibus et undique fluctibus aestuosis premimur, matris in gremium confugere, ac molliter in eo recumbentes, humanarum calamitatum oblivisci, maerorem deponere, in spem induci, vera dolorum solacia invenire. Mihique autem, cui sors invida supremum hoc beneficium ante diem abstulit, liceat haec qualiacumque mea scripta, matri meae dedicare.

***

Epigrammata in quibus Gregorius matrem Nonnam, aetatis plenam, luget summisque laudibus extollit, triginta quinque sunt: his nomini parentis magnificum quoddam sertum intexitur, hac veluti marginata forma illius effigies decoratur. Tanta est enim dicendi simplicitas, omnibus lenociniis expers, tantus enim calor permeat verba, ut illa dicas non ingenio deprompta, sed corde: videlicet in labia Gregorii sensus motusque animi sponte affluunt, et verbum, quasi animi speculum, candidos sincerosque exprimit affectus, nulla molestia, nullo rerum tumore, nullo eloquendi circuitu.

Quae fuerit Nonna in vita sua, quo candore distincta, quanta remissione perfusa, quibus moribus ornata, quanta humanitate perpolita, hinc luce clarius apparet: quo amore filios prosecuta sit eosque sanis praeceptis imbuerit, quot assiduis vigiliis, corpori ac saluti non parcens, sese consecrarit, luculenter ea carmina testantur. Constat enim Nonnam, Gregorii senioris Nazianzeni Episcopi uxorem, Theologi matrem (ecquis ignorat Gregorium iuniorem *theologi* honorifico cognomine appellatum esse ob suas de theologia orationes?) feminam tot virtutibus praeditam fuisse, quot in eius sanctissimis liberis atque in eius marito Graecia universa miretur. Ea enim et coniugem ab idolorum cultu ad Christianam fidem deduxit, et filios optimis formatos moribus exemplo suo sanctitatem pietatemque sequi non tam docuit, quam coegit. Officio suo igitur Gregorius satis facit, quum poëtice solvat matri quod debet: observantiam, pietatem in eam gratamque beneficiorum memoriam.

Hos vero sensus, haec, ut ita dicam, animi grati testimonia ac pignora, in orationibus et poëmatis quibusdam non desinit ille significare; nam occasione arrepta, de matre sua large diffuseque loquitur vel numeris concinit, tali modo magnificum monumentum, marmoreo firmius, memoriae eius collocans. At quoniam de iis praecipue carminibus disputandum est quae in *Anecdota graeca*, a clarissimo viro Muratorio collata, referuntur, et in quibus matris functae fit propius mentio, videamus quo modo illius laudes enarrentur:

«Idcirco te his quoque carminibus, mater, honoravi»: sic scribit Gregorius in epig. LXXXVII.

***

Nonnae laetitiae et dolorum testis erat templum; nunquam per ora eius profanus sermo venit, neque risus mollibus insedit genis (LXXXIII). Adeo in viduas puerosque parentibus orbatos omnes curas et cogitationes contulit, ut virgines et nuptae, ea mortua, sibi comas in luctu totonderint (LXXXIII). Pervigiles noctes transegit implevitque templi solum fletibus, Deumque assidue precata est, ut sibi petenti satisfaceret (XCI). Non aram humanis hostiis funestavit, non puerorum extis mactavit deum, non umbratilem vitulorum victimam, neque hircorum obtulit illi, ut ethnicorum mos erat; sed se ipsam dedit « per omnem vitam et mortem » (XCII). Orans exclamansque apud sacram mensam, dissoluta est (XCIV); templumque, ubi tunc precabatur, senectutem laborum patientissimam solvit (XCIII). Lingua eius fuit « hymnis dedita »; idcirco Deus voluit linguam post sanctos sermones obsignare (XCIV). Beata, utpote inter precandum mortua: ea enim omnia in lacus caelestes intulit, sive in Ecclesiam, quae allegorice in sacris litteris « lacus » vocatur, auctore Suida (XCVIII). Puro corde exornata, omni sacrificio puriorem vitam degit

(xcix). Animam efflavit, perinde ac diu voluerit in templo manere, et mortua pietati vacare (civ). Ingens sane prodigium mors eius! Parcite, Martyres: non vobis inferior dilecta Nonna, propter occulta et patentia bella; idcirco talem etiam vivendi finem sortita est, unum precis et vitae exitum inveniens (cvi). Fidei addictissima, religioneque vincta et adstricta, non cessit morbo, non senectuti, quae alter quidem morbus est, non maerori; sed « incolumis et erecta » sanctae sub pedibus mensae orans Christo vocem reddidit (cix). Nunquam incestis sua casta labra, neque impiae manui puram manum miscuit; merces autem fuit illi inter sacra vitam linquere (cxii). Angelus fulgens lucidissimusque rapuit: ubinam exspiravit? in templo. Quomodo? orans. Quando? iam aetate gravis. O pulcram vitam et piam mortem! (cxv). In templo somnum altum obdormivit, libens virum suum Gregorium secuta (cxvi). Lugeant alii, mortalium genus; se autem filius affirmat non deflere velle, quum mater orans obierit. Caelestibus choris recepta, nunc autem inter pios stans precatur: hinc omnes eam divinam patronamque magnam sursum sublatam prosequantur gaudeantque pii.

Sed de his hactenus. Retuli, ut facile est visu, latinis verbis, saepe autem iisdem Muratorii usus, qui eleganter ac prope ad verbum Gregorium lyricum expressit, quid mihi ad clarissimae Nonnae laudes illustrandas magis conferre visum fuerit. Nihil vero ad rem, Nazianzeni hic dicendi genus trutina perpendere: in animo mihi est quam primum fusiore disputatione id amplecti, quid scilicet a prioribus optimis poëtis Gregorius mutuatus sit ac suo stilo, qui varietate linguae, haud raro ab obsoleta vetustate sumptae, insignis est, commiscuerit. Quin immo observare iuvat, argumentum potissimum, de quo poëta noster delectetur, et in quo supra modum retardet, mortem esse matris in templo impetratam et obtentam: dixeris id ante oculos habere eum et nostris quoque proponere velle.

(Ad proximum numerum). M. Galdi.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM

PRECATIO

Litus, o Sancti, placitum tenetis
Sol ubi blandus sine fine fulget;
Vasta iam vitae vada permeastis
Plena procellis.

Nos adhuc, eheu! agitamur undis:
Insident caeci scopuli sub alto;
Imminent imbres mare dum molestum
Findimus aegre.

Gurgitis, Fratres, facite ut furentis
Mulceat fluctus modo lenis aura,
Tuta quae navem vehat ad quieti
Ostia portus!

Prairie du Chien,
Wisconsin, U. S. A. Owen L. Lewis.

DE RE LITTERARIA APUD SUBALPINOS (1)

De re dramatica.

Post Victorium Alferium, qui italicae Melpomenes vindex, veterum tragicorum gloriam est consecutus, Deo nos adiuvante, fama celeber est **Carolus Marenco.** — Hic Cevae in Subalpinis natus, plurimis a iuventute litteris imbutus acerrimoque ingenio natura donatus, etiamtum adolescens ad tragoedias conscribendas animum impulit. Quum autem litteras impense excoleret, ac medium se vellet inter Alferium et Pellicum gerere, historiae patriae argumenta in tragoediis componendis perpetuo derivavit, atque ad recentiorum hominum mores corrigendos invexit.

Ad divinum Dantis Aligherii carmen oculos potissimum intulit, atque inde rem tam mirifice spectatoribus exposuit, ut in omnium utilitatem facile redundaret; quod quidem ita patribus nostris placuit, ut frequentissimi adirent, poetamque perpetuis exciperent laudibus. Ubere sane copia laudantur eius tragoediae et mira affectuum suavitate, patriam eamdemque christianam caritatem redolentium, etiamsi ad Alferii dignitatem ac gravitatem minime adsurgant. Stilo usus est tamen eleganti, florido, saepe quoque sententiarum altitudine spectando. Prae ceteris vero magnis fuerunt honoribus habitae, quibus est nomen: *Pia de' Tolomei; Piccarda Donati; Il Conte Ugolino.* In his robustioris sermonis castitatem et poeticum potissimum leporem maxime laudandum passim critici notant atque admirantur.

Leopoldus Marenco. — Hic, Caroli filius, ad comoediam potissimum se contulit. Licet suis civibus patris celebritate cognitus ac veluti manu productus, quasi munus paternum indigne sustinens, novum sibi iter ad gloriam parare voluit opere suo atque labore, Comoediarum argumenta vario e fonte derivavit, atque ad eas potissimum respexit, quae ad diversorum hominum caracterem graphice depromendum conferunt. Neminem imitatus, suus semper atque in omnibus apparet. Singulari enim excogitandi vi donatus natura fuit atque acumine. In fabularum oeconomia, atque in nodi solutione nunquam claudicat; et spectatores dialogi lepore, et subitariis quibusdam casibus afficit, quos coniectura nondum prospexerat. Praeterea hominum ingenia et mores depingit, omniaque venustissimis iocis adspergit. Principem sibi locum inter scenicos poetas aetatis suae obtinuit, et dignus post patrem habitus est nominari.

Iosephus Giacosa. — Sed omnes quos hactemus nominavi, quosque nos vidimus laudibusque cumulavimus, longe est supergressus Iosephus Gia-

(1) Cfr. an XIII, n. IX.

cosa, Perellae in Salassis honesto loco natus. Si Leopoldus Marenco Plautum potius refert, hic Terentium; et vi comica atque arte potissimum laudatur. Ipse, cogente patre, Augustae Taurinorum, iurisprudentiae operam dedit: at natura impulsus, comoedias identidem scriptitare consuevit. Nobilitate verborum, rerum celeritate ac pulcritudine conspicuus, carminis illius modum eleganter adeptus est, quem olim apud nos Ioseph Martelli pulcrius in comoediis suis exarandis invexit. Vel elegantia, vel suavitate, omnes aetatis suae comicos poetas longe sibi retro reliquit. Simplex est in comoediis componendis, res facile ad exitum recto procedit, sed eleganti verborum inventione ac structura, stilo nobili maxime honoratur.

Quo nomine, cum politissimo quoque est in primis componendus, quia in conscribendis hominum studiis plane singularis est naturam imitatus. In fabulis eius maxima urbanitas praesertim spectatur, mira orationis venustas et mundities, dialogus artificio quodam et varietate distinctus, acerrimum iudicium, planissima communis naturae cognitio.

Ad antiquitatem potius respexit, et hominum mores depingere consuevit illius aetatis, quam mediam recentiores appellant; atque adeo graphice res atque homines refert, ut nihil melius, nihil aptius spectatores exoptent.

Florenti adhuc aetate, adclamantibus omnibus, diem obiit supremum, summa honorum ac gloriae laurea decoratus.

Aloisius Petracqua. — Haud parvam sibi famam sua aetate peperit Aloisius Petracqua, Taurinensis. Hic ad tunicatum popellum unice respiciens, cuius mores ad humanitatem effingendos summo studio adnitebatur, italico sermone relicto, ad vernaculam dictionem usurpandam se contulit, nihilque alia ratione composuit. Tunc primum, ut olim apud Venetos, adnitente Carolo Goldoni, theatrum verus visus est atque germanus sapientiae fons, in populum manans, qui omnia quae auctori placerent, sapienter imbui posset atque illuc rapi quo vellet poeta. Hic, dum Subalpini, ductu consilioque principis, imperium Italiae affectabant, atque ad illud obtinendum totis nervis artibusque tendebant, suis comoediis, quae unice res novas redolerent, novi temporis speculatoribus mirum in modum favebat. Nunquam, mea quidem sententia, scriptor melius auditoribus suis adhaerere visus est, nec unquam ferventius auditores calcaria auctori addere certaverunt. Nec ei quoque suus actor defuit, qui verbo, personae habitu gestuque rem expressius spectatoribus proponere posset, gratioremque reddere. Haec mea verba ad Ioannem Toselli potissimum spectant, qui summis semper laudibus atque undique exceptus, ad summam in comoediis agendis perfectionem pervenit. Si vero auctorem Plautum dixeris, Roscium merito actorem appellaveris: tam graphice, tam vivide personam reddere consuevit!

Eo defuncto, seu potius a scenis remoto, in comoedia vernacula conscribenda, apud nos fastigium attigit **Victorius Bersezio** per comoediam cui est titulus: *Le miserie d' monsù Travet*, quod idem est ac si latine dixeris: *Traveti infortunia.*

Haec comoedia, non modo apud nos actitata placuit, sed in omnibus fere Europae theatris, et in varios populorum sermones traducta, auditorum animos hilaravit atque mulsit.

De epigrammate.

Non minus quam fabulae Aesopeae satyram redolent epigrammata, in quibus maxime enituit **Antonius Baratta,** qui, sub ipso regis Caroli Alberti dominatu, ingenium acerrimum in epigrammatibus conscribendis exercuit. Urbanitate animi omnium bonorum studia sibi facile conciliavit. Vel apud regem gratiam iniit, a quo equestri est dignitate donatus, quae illa tempestate optimo cuique tantummodo conferebatur. In honesta semper paupertate vitam transegit, ac firmo corpore, vegeta mente ad ultimam senectutem pervenit. Casu quoque occubuit in publico valetudinario honorifice acceptus, platani forte pondere obrutus, quae, quum in media urbe, aëris captandi causa, moraretur, in meliorem ordinem componeretur.

Huius carmina hominem produnt ingeniosum, acutum, quique plurimum in scribendo et salis haberet et fellis, nec candoris minus.

Complures hac nostra aetate epigrammata panxerunt, quorum pleraque in desuetudinem abierunt.

Ad satyricos poetas accedit **Angelus Brofferio,** qui vernacula usus poësi, improborum vitia, suos potius adversarios aliquando ridet atque unumquemque suum admonet officium. Temporum difficultatem aspernatus, quibus damno hominibus esset, quae animo sentiant libero ore proferre, ad hoc scribendi genus se contulit, in quo affectus proprios quibusdam quasi velis obtendant.

Itaque carmina eius acuminata ac veneno quodam aspersa, quibus per ambages vel administri facinora carperet, vel improbum illius temporis dominatum derisu vellicaret.

Haec mirum in modum tunicati popelli laevitatem sollicitabant, haec passim in vulgus secreto pervadebant, primum inter paucos atque electissimos effundebantur, mox per compita suspiciose volitabant, et serius tandem, ex necessitate quadam exacta, per omnes civitatis angiportus efferebantur. Dolendum sane quod, nulla usus religione nihil ipse habeat quod timeat, quod speret, quod doleat, quod laetetur; hominibus serviit et scenae;

illuc omnino tendebat; ut impotentem factiosorum audaciam carperet, ad rem publicam christianam evellendam totis nervis nitebatur.

Quum venit tandem libertas, et quidquid cuique menti placeret, libero ore proferre licuit, huiusce poeseos causa excessit, eius quoque carmina omniumque qui eius fuerant exemplum secuti, in desuetudinem brevi abierunt.

SUBALPINUS.

IN MORTEM IOANNIS SETTI

immaturo funere exstincti

Ioannes Setti, quem Itali universi immature functum deflemus, utpote qui nondum quinquagesimum quartum annum aetatis suae implevisset, in Universitate Taurinensi magna cum laude graecas litteras docebat.

Apud Mutinam natus, humili quidem loco, mox tenacitate in studiis effulsit, eaeque ingenii facultates fuerunt, ea mentis acies, ut brevi amplissimos dignitatis gradus consecutus sit.

Singulari bonitate et modestia praeditus, non honoribus inserviebat: unum tantum ardebat, in litteras se totum abdere, eruditissimasque disputationes peragere. Quanta enim eius commoditas! quanta doctrinae elegantia! quanta litterarum varietas!

Dulcis ac nitidi eloquii auctor, nonnulla volumina suae industriae ac navitatis documenta, reliquit, quae temporis iniuriae non cedent, quaeque iam vel fastidiosi existimantes non potuerunt quin summis laudibus efferrent. Quid memorem, prae ceteris, suam illam Herodae mimorum conversionem, librum cui nomen: « *La Grecia letteraria nei pensieri del Leopardi* », Hesiodi imaginem elegantissima oratione descriptam novissimamque illam dissertationem doctissimam, in « Rivista di Filologia classica » editam, de Luciani Τραγῳδοποδάγρα?

Gravissimam iacturam fecimus tanti viri amissione, qui Panormitanae, Patavinae, ac demum Taurinensis Universitatis vere decus ac lumen fuit.

Haec qualiscumque elegia, in eius mortem exarata, adeat manes, iisque expiatis renuntiet, memoriam hic perennem et perpetuam fore.

Occubuit fato doctos clarissimus inter,
Qui ingenuas artes Helladis excoluit.
Hyblaeum labiis tenere stillantibus, ipse
Effinxit miro tempora prisca stilo.
Illius hinc animum poteris cognoscere dulcem,
Qui movit citharae mollia plectra suae.
Nisibus hinc promptam fortemque stupescere mentem
Quae scandit nulli culmina tacta prius.
Iure voco vatem, cuius sint scripta poësis:
Quid mihi si numeri, si careantque modi?
Iure sophum, qui magna licet non proferat ausa,
Maturos fructus tempus in omne parit.
Quam bene tractavit, vario splendore colorum,
Res italique decus nexuit eloquii!
Quam bene festivi pervadit lympha saporis
Chartas et suadae diffluit inde latex!
In mediis vero vates fluitantibus undis
Tradidit heu ventis carbasa nigra scaphae.
Non cantu sonuere dies, non risibus aurae
Spirarunt: gelidos texit at umbra dies.
Ignea nulla unquam sua pectora flamma perussit:
Deperiit semper scrinia sola vigil.
Mirum! qui Graias, captus dulcedine formae,
Delicias cecinit, carpere nescit eas.
Non gravitas sacri vatis, non mollia dicta,
Non Veneres lepidae, non valuere sales.
Advena pertransit tacitus convivia vitae:
Nil movit rumor, festa, nihilque ioci.
Nunc cecidit morbo letali fractus et alte
Spiritus effugiens agmina docta petit.
Heu dolor! heu pietas! nimium crudelia fata!
Occumbit praeceps quem iuvet esse diu!
Luctibus hinc omnes ploremus pectore functum:
Ille auxit studiis Italiaeque decus.

Cavae Tyrrhenorum.

MARCUS GALDI.

S. PETRI PRIMATUS ET PRAEROGATIVAE

EX ARCHAEOLOGIAE TESTIMONIIS

(Cfr. num. IX)

III.

Petrus — Moyses.

Quum supra ducentas duodecim Petri numeravimus imagines, plures etiam hoc numero effigies computavimus, quae quidem Moysen rupem percutientem adumbrant; sub cuius specie Petrus, novus veluti Moyses, intelligendus est; id vero nunc probandum.

Notamus inprimis, fontem e rupe a Moyse percussa scaturientem haud quidem historicam in primaevis Christianorum monumentis habuisse significationem, sed mysticam ac typicam, iuxta illa Pauli ad Corinthios verba: « Bibebant autem de spiritali consequente eos petra; petra autem erat Christus (1) ». Re enim vera Christianae artis proprium fuit evangelicas veritates antiqui Testamenti argumentis adumbrare; quod quidem ipsius Christi et Apostolorum, necnon Patrum doctrinae concinit. Quin etiam, ipsis Veteris Testamenti prophetiis respondet; inter quas unum, Isaiae scilicet, quoddam vaticinium meminisse iuvabit: « Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum; quia *scissae sunt in deserto aquae, et torrentes in solitudine*. Et quae erat arida erit in stagnum, et sitiens in fontem aquarum » (2). Porro indubium est, adducta verba et de messianico regno loqui futuro, et prodigio-

(1) I *ad Corinth.* x, 4.
(2) ISAI., XXXV, 6-7.

sum fontem commemorare, qui e monte a Moyse percusso manavit.

Ceterum fontem e petra defluentem baptismatis symbolum exstitisse fontisque gratiae omnigenae, plus est exploratum quam ut memorari oporteat. Verumtamen, quia ad monumenta, quae mox producentur apta, illustranda sunt, quaedam Patrum testimonia huc afferenda putamus. Sic Iustinus martyr in suo cum Triphone colloquio: « Fontem aquae vivae - aiebat - a Deo in solitudine cognitionis Dei experte, in terra scilicet gentium scaturire fecit hic Christus »; et Tertullianus: « Haec est aqua - (scilicet saluberrima baptismatis) -, quae de comite petra populo defluebat. Si enim petra Christus, sine dubio aquae in Christo baptisma videmus benedici » (1). Et S. Cyprianus: « Quotiescumque aqua sola in Scripturis sanctis nominatur, baptisma praedicatur, ut apud Esaiam XLVIII significari videmus. Praenuntiavit illic per prophetam Deus quod apud gentes in locis quae inaquosa prius fuissent, flumina postmodum redundarent, et electum genus Dei, id est per generationem baptismi, filios Dei factos, adaquarent. Item denuo praecanitur et ante praedicitur Iudaeos, si sitierint et Christum quaesierint, apud nos esse potaturos, id est baptismi gratiam esse consecuturos: Si sitierint, inquit, per deserta adducet illos, aquam de petra producet illis, findetur petra et fluet aqua et bibet plebs mea *(a.l Ca.cil* c. 8)». S. Hieronymus *in Psalm.* LXXVII: «... Interrupit petram in eremo, sicut Moyses percussit in terreno petram, et produxit populo aquas; ita et Dominus quem Paulus percussum ait propter peccata nostra, immensos nobis protulit fontes, apostolos scilicet quos petra monstravit; et per quos fluxerunt torrentes ». Et S. Augustinus: « ... Denique percussa est ipsa petra ligno, ut aqua flueret virga enim percussa est. Quare ligno non ferro? nisi quia crux ad Christum accessit ut nobis gratiam propinquaret (*Serm.* 352 c. 1, n. 3) ». Denique Isidorus Hispalensis: « ... Percussa enim petra, fons emanavit; percussus in cruce Christus, sitientibus lavacri gratiam et donum Spiritus Sancti effudit (*in libro Prohem.*) ».

Hinc est profecto quod haec fontis effigies symbola eucharistiae constanter praecedat, atque in ipsa de petra defluente aqua pisciculus a piscatore captus in monumentis appareat: « Nos, - inquit Tertullianus, - pisciculi, secundum ΙΧΘΥΝ nostrum, Iesum Christum, in aqua nascimur (2) »; atque Clemens Alexandrinus: « Sint autem nobis signacula columba, vel piscis, vel navis;... et, si sit aliquis qui piscetur, meminerit Apostoli et puerorum, qui ex aqua extrahuntur (3).

Iam vero quisnam erit hic a Clemente Alexandrino appellatus apostolus? Dubium dari nequit quin de Petro agatur, non solum quod a Christo illa verba audierit: « Ex hoc homines eris capiens », (4), sed quia antonomastice Petrus piscator evangelicus habeatur.

Nihilominus, si ex Pauli doctrina rupes Christus est, fons vero inde scaturiens potus spiritualis, seu gratia, praesertim vero baptismi gratia, quae *gratia* simpliciter a priscis vocabatur Christianis, cuiusnam figura erit Moyses? Si ex ipsa rerum comparandarum natura similitudo erui debeat, nemo, nisi Petrus, Moysis persona adumbrari dicendus est. Quisnam enim novus Moyses dici poterit, id est novus Dei populi dux ac legislator, nisi Petrus?

Sed, ne probatum me habere dicatur quod probandum sumpsi, huius inter Moysis ac Petri personas similitudinem aliunde evincam. Petri concepta idea ac fontis gratiae summaeque potestatis cogitatio ita erant ex vulgi opinione coniunctae, ut, saeculo quinto, in quibusdam Romanis catacumbis *fontium sancti Petri, — nympharum sancti Petri* seu *loci ubi Petrus baptizaverat, — sedis ubi prius sedit sanctus Petrus apostolus,* insignes memoriae essent. Patres vero haud aliter hac de re opinati sunt. Sic, exempli gratia, Maximus Taurinensis ait: « Per Christum Petrus factus est petra; nam sicut in deserto, dominico sitienti populo aqua fluxit e petra, ita in universo mundo perfidiae ariditate lassato, de ore Petri fons salutiferae confessionis emersit. » (1) Et sane, inter ea quae Patres excogitarunt ut omnem potestatem ecclesiarum ab una ecclesia Petri manantem ostenderent, aquae fontisque similitudo saepe reperitur, ut scilicet « a Petri potestate deberent sumere ceterae ecclesiae (velut de natali suo fonte aquae cunctae procedunt ») (2).



Cuppae fundus auro pictus, qui in Museo Vaticano asservatur.

Audiatur Leo Magnus: « Multo est dignius ad beatissimi Petri apostoli gloriam contemplandam aciem mentis attollere... qui ab ipso omnium charismatum fonte tam copiosis est irrigationibus inundatus, ut, cum

(1) TERTULL., *De baptismo*, IX.
(2) TERTULL., *De baptismo*, I.
(3) CLEM. ALEX., *Pedag.*, 3, II; *P. G.*, VIII, 634.
(4) LUC. V, 10.

(1) S. MAXIMI *Opp.*, ed. Romae 1784, p. 219.
(2) Cf. *Coll. epist. roman e pontif.*, edit. Constantii, *Ep. Bonifacii papae IV*, n. XV.

multa solus acceperit, nihil in quemquam sine illius participatione transierit » (1).

Sed explicatius Moysis ac Petri coniunctionem alia testimonia declarant. Ne dicam de Actis apocryphis Pro-



Figura graphio ducta in quadam patera in Dalmatia reperta.

cessi et Martiniani, in quibus Petrus revera, quasi Moyses, carceris parietem percutiens describitur ut aquam inde scaturientem ad duos carceris custodes aliosque baptizandos adhibeat; paucis abhinc annis quoddam apocryphum in lucem venit evangelium, quod nonnulli antiquissimum reputarunt atque illud ipsum esse XII apostolorum evangelium, quod iam saeculo secundo cognoscebatur; verius tamen saeculo tertio ex antiquiori parte videtur tribuendum, licet antiquiorem archetypum supponat (2). Porro, in hoc scripto, ubi de Petri dignitate est sermo, haec leguntur: « Quum Petrus magnos hos recepit honores, eius facies illuminata est, ac veluti sol ante apostolos resplenduit, vel sicut Moyses tunc temporis » (3).

Quodcumque sit huius textus momentum, illud indubium apparet, ibi apocryphum de vulgari opinione testari iuxta quam, saeculo saltem secundo, Petrus Moysi assimilabatur, et ista quidem opinio diu perseveravit; nam vel apud Aegyptios saeculi quarti monachos invenitur, quum in vigesima sexta homiliarum quae beato Macario accensentur, ista legantur: « Postea Moysen excepit Petrus, cui nova Ecclesia Christi ac verum sacerdotium commissum est » (4).

Sed ad monumenta veniamus. Primum locum duo cupparum vitrearum fundi obtineant in Romanis coemeteriis inventi, atque nunc in Vaticana bibliotheca asservati. In utroque enim Petri imago effícta est, veluti novus Moyses, virga percutiens rupem, e qua rivus aquae manat. Effigies auro elaboratae sunt, persona vero Petri ideo innotescit, quia nomine suo insignita utroque in exemplari cernitur (5).

Aliud vero pretiosissimum huius generis monumentum quaedam est in Dalmatia patera vitrea inventa, in qua, inter alia biblica argumenta, Petri quoque figura apparet virga arborem percutiens e quo rivus manat. Hic etiam dubium omne inscriptione qua imago munita est solvitur; nam retro ac supra Petri capite legitur: *Petrus virga perquodset, fontis ciperunt quorere;* id est: « Petrus virga percussit, fontes coeperunt currere » (1). Inscriptio ista, e *Numerorum vigesimo libro* eruta est, in quo dicitur: *Moyses percutiens virga... egressae sunt aquae largissimae* (2).

Ecce cur tam saepe et ubique, in antiquis artis Christianae anaglyptis, hoc Moysis argumentum apparet ac constanter antiquus legislator Petri imaginem, sub qua Christiani artifices Petri faciem solebant effingere, prae se fert. Raro hoc Moysis argumentum cum Petri imaginibus non est coniunctum: solito enim illud haec sequitur, ac facile est animadvertere Moysen ac Petrum unam eamdemque esse personam.

Patera, de qua supra, aliquid refert, quod difficile explicatu videtur: nempe haud quidem e rupe, sed ex arbore fontem salutarem elicit. Quidnam hoc sibi velit, adhuc inter archaeologos non satis constat; sed unum certe demonstratur, hanc effigiem alias imitari, quae multo illa exstent antiquiores; proindeque sensum imaginis, ut supra explicavimus et in patera inscriptione declaratur, eumdem esse atque apud anaglypta in quibus inscriptiones desunt, sed quae eamdem arboris exhibent figuram (3). Ceterum, quod mystica prorsus eiusmodi sit fontis imago, eo patet, quod in quodam Arelatensi sarcophago, necnon alibi, fons, qui non e rupe, sed e caelo defluere videtur, baptismatis lavacro adhibeatur,



Arelatensis sarcophagus, in quo etiam peculiare, Petri figuras tres *(negantis — capti — fontem percutientis)* **identice ex industria effictas esse.**

(1) S. Leo, *Sermo III* habitus in anniversario suae assumptionis ad pontif., c. II.

(2) Cf. C. Schmidt, ap. *Göttingischen Gelehrten Anzeigen*, 1900 (n. 6) p. 481-506; et Baumstark, ap. *Revue biblique*, 1905, p. 245-265.

(3) Revillout, ap. *Revue biblique*, 1904, p. 324.

(4) Macarii Aegyptii *Homilia XXVI*, 23; *P. G.*, *XXXIV*, 690.

(5) Cf. P. Xystus, *Notiones archaeologiae Christ.* Vol. II, pars 2, p. 160.

(1) Ibidem, Tab. 135.

(2) *Num.*, XX, 11.

(3) Plura sunt in his Petri adumbrationibus, quae melius clariusque Moysis cogitationem excludunt, sed quae minime propterea clara evadunt, ac fortasse ad apocrypha aliqua pertinent scripta, quae ad nos usque non pervenerunt. De his in meo de anaglyptis opere, proxime in lucem prodituro, fuse tractabitur.

ac supra nudum adolescentem eius aqua labatur (1), dum duo alii iuvenes adsunt bibentes.

Totius itaque huius articuli conclusio haec erit: Petrum uti novum Moysen, novum populi Dei ducem, legislatorem et caput apud priscos Christianos habitum fuisse; quod quidem his versibus, quos Constantinus Augustus triumphali arcui basilicae Vaticanae inscribendos curaverat, expressum invenimus:

QVOD DVCE TE MVNDVS SVRREXIT IN ASTRA TRIVMPHANS
HANC CONSTANTINVS VICTOR TIBI CONDIDIT AVLAM.

(Continuabitur).

Xystus Scaglia O. C. R.

(1) Garrucci, vol. v, 398, n. 10. — Verumtamen idem anaglyptum ab Edmundo Le Blant relato adolescentis baptizandi nullum exhibet vestigium. Quo nihilominus monumentum minoris haud fit; nam symmetrice, id est illi repraesentationi respondens, Christi exhibet baptisma eodem fere modo.

COLLOQUIA LATINA

Dimissio improvisa. (1)

Gorgonius. — De scholane?

Theodorus. — De schola.

G. — Proripuistis vos inde, an potestatem abeundi obtinuistis?

T. — Neutrum.

F. — Quid igitur exeundi tempus antecapitis? Necdum enim secundam audivimus, et exiri solet ad quartum demum.

Eusebius. — Quin taces? Non displicebit tibi simul rem intellexeris. Bonum factum te in nos incidisse; laetitia et lubentia onusti incedimus.

G. — Expedite brevi.

E. -- Praeceptor nos dimisit lusum.

G. — Hui, lusum? Dies Iovis praestitutus est ad quem exerceantur ludi, non dies Martis.

T. — Sciscitare ex aliis, si lubet; et si inveneris secus, mentitos dicito.

G. — Ain' tandem ita esse ut dicis?

T. — Quidni aiam?

G. — Curnam dimisit hodie? Quid natum est novi? Quid viro in mentem venit?

E. — Duplex, credo, causa.

G. — Cedo.

E. — Una, quia misit sanguinem e manu dextra, quam videbamus illum gestare in mitella bombycina...

T. — Altera, et fortasse verior, quia hodie dabit natalitia.

G. — Multa loquimini; iam assentior. In memoriam enim regredior alias quoque nos ideo iussos redire domum, quia cum amicis diem suum natalem ille acturus erat.

T. — Nobis nec opinantibus haec fortuna obtigit, siquidem ita ingressi eramus gymnasium, tamquam veteri more exituri.

G. — Eu, probe. Nemo igitur hanc gratiam extorsit?

E. — Nemo, quod sciam; sponte sua benefecit nobis.

G. — Omnium quantum est qui vivunt hominum optimus est homo. Verum in isto concessu seu liberalitate sui magis quam nostri rationem duxit; nam haec lux, qua ipse primum lucem hanc aspexit et vitales auras hausit, omnino hilaris ei, et sine ulla perturbatione sumenda est.

E. — Nos lusum vadimus recta.

G. — Siccine est sententia?

E. — Sic.

G. — Celeriter revertar, et adiungam me vobis tertium.

T. — Vola curriculo; hunc diem suavem et amoenum agitabimus.

(1) Ex Iacobi Pontani opere, cui titulus *Progymnasmata latinitatis*, passim retractavit I. F.

ACTA PONTIFICIA

MOTU PROPRIO

quo quaedam statuuntur leges ad modernismi periculum propulsandum.

(Cfr. num. sup.)

Ivrisivrandi Formvla.

« Ego... firmiter amplector ac recipio omnia et singula, quae ab inerranti Ecclesiae magisterio definita, adserta ac declarata sunt, praesertim ea doctrinae capita, quae huius temporis erroribus directo adversantur. Ac primum quidem Deum, rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine per ea quae facta sunt, hoc est per *visibilia* creationis opera, tamquam causam per effectus, certo cognosci, adeoque demonstrari etiam posse, profiteor. Secundo, externa revelationis argumenta, hoc est facta divina, in primisque miracula et prophetias admitto et agnosco tamquam signa certissima divinitus ortae christianae Religionis, eademque teneo aetatum omnium atque hominum, etiam huius temporis, intelligentiae esse maxime accommodata. Tertio: Firma pariter fide credo, Ecclesiam, verbi revelati custodem et magistram, per ipsum verum atque historicum Christum, quum apud nos degeret, proxime ac directo institutam, eandemque super Petrum, apostolicae hierarchiae principem eiusque in aevum successores aedificatam. Quarto: Fidei doctrinam ab Apostolis per orthodoxos Patres eodem sensu eademque semper sententia ad nos usque transmissam, sincere recipio; ideoque prorsus reiicio haereticum commentum evolutionis dogmatum, ab uno in alium sensum transeuntium, diversum ab eo, quem prius habuit Ecclesia; pariterque damno errorem omnem, quo, divino deposito, Christi Sponsae tradito ab Eâque fideliter custodiendo, sufficitur philosophicum inventum, vel creatio humanae conscientiae, hominum conatu sensim efformatae et in posterum indefi-

nito progressu perficiendae. Quinto: certissime teneo ac sincere profiteor, Fidem non esse coecum sensum religionis e latebris *subconscientiae* erumpentem, sub pressione cordis et inflexionis voluntatis moraliter informatae, sed verum assensum intellectus veritati extrinsecus acceptae ex auditu, quo nempe, quae a Deo personali, creatore ac domino nostro dicta, testata et revelata sunt, vera esse credimus, propter Dei auctoritatem summe veracis.

« Me etiam, qua par est, reverentia, subiicio totoque animo adhaereo damnationibus, declarationibus, praescriptis omnibus, quae in Encyclicis litteris « *Pascendi* » et in Decreto « *Lamentabili* » continentur, praesertim circa eam quam historiam dogmatum vocant. — Item reprobo errorem affirmantium, propositam ab Ecclesia fidem posse historiae repugnare, et catholica dogmata, quo sensu nunc intelliguntur, cum verioribus christianae religionis originibus componi non posse. — Damno quoque ac reiicio eorum sententiam, qui dicunt, christianum hominem eruditiorem induere personam duplicem, aliam credentis, aliam historici, quasi liceret historico ea retinere quae credentis fidei contradicant, aut praemissas adstruere, ex quibus consequatur dogmata esse aut falsa aut dubia, modo haec directo non denegentur. — Reprobo pariter eam Scripturae Sanctae diiudicandae atque interpretandae rationem, quae, Ecclesiae traditione, analogia Fidei, et Apostolicae Sedis normis posthabitis, *rationalistarum* commentis inhaeret, et criticen textus velut unicam supremamque regulam, haud minus licenter quam temere amplectitur. — Sententiam praeterea illorum reiicio qui tenent, doctori disciplinae historicae theologicae tradendae, aut iis de rebus scribenti seponendam prius esse opinionem ante conceptam sive de supernaturali origine catholicae traditionis, sive de promissa divinitus ope ad perennem conservationem uniuscuiusque revelati veri; deinde scripta Patrum singulorum interpretanda solis scientiae principiis, sacra qualibet auctoritate seclusa, eâque iudicii libertate, qua profana quaevis monumenta solent investigari. — In universum denique me alienissimum ab errore profiteor, quo *modernistae* tenent in sacra traditione nihil inesse divini; aut, quod longe deterius, pantheistico sensu illud admittunt; ita ut nihil iam restet nisi nudum factum et simplex, communibus historiae factis aequandum; hominum nempe sua industria, solertia, ingenio scholam a Christo eiusque apostolis inchoatam per subsequentes aetates continuantium. Proinde fidem Patrum firmissime retineo et ad extremum vitae spiritum retinebo, de charismate *veritatis certo*, quod est, fuit eritque semper in *episcopatus ab Apostolis successione* (1); non ut id teneatur quod melius et aptius videri possit secundum suam cuiusque aetatis culturam, sed ut *nunquam aliter credatur, nunquam aliter* intelligatur absoluta et immutabilis veritas ab initio per Apostolos praedicata (2).

« Haec omnia spondeo me fideliter, integre sincereque servaturum et inviolabiliter custoditurum, nusquam ab iis sive in docendo sive quomodolibet verbis scriptisque deflectendo. Sic spondeo, sic iuro, sic me Deus etc. ».

De Sacra Praedicatione.

Quandoquidem praeterea diuturna observatione sit cognitum Nobis, episcoporum curis ut annuntietur divinum Verbum pares non respondere fructus, idque, non tam audientium desidiae, quam oratorum iactantiae tribuendum putemus, qui hominis verbum exhibent magis quam Dei, opportunum censuimus, latine versum evulgare atque Ordinariis commendare documentum, iussu Decessoris Nostri fel. rec. Leonis XIII a Sacra Congregatione episcoporum et regularium editum die XXXI mensis Iulii anno MDCCCXCIV et ad Ordinarios Italiae atque ad religiosarum Familiarum Congregationumque moderatores transmissum.

1.° « Et in primis quod ad ea pertinet virtutum ornamenta quibus sacri oratores emineant potissimum oportet, caveant ipsi Ordinarii ac religiosarum familiarum Moderatores ne unquam sanctum hoc et salutare divini verbi ministerium iis credant qui nec pietate in Deum nec in Christum Filium eius Dominum nostrum caritate ornentur ac redundent. Istae enim si in catholicae doctrinae praeconibus desiderentur animi dotes, quavis tandem ii polleant dicendi facultate, aliud nihil profecto praestabunt quam *aes sonans, aut cymbalum tinniens* (1): neque unquam id ipsis suppetet a quo evangelicae praedicationis vis omnis ac virtus derivatur, studium videlicet divinae gloriae aeternaeque animorum salutis. Quae quidem oratoribus sacris apprime necessaria pietas, eluceat oportet etiam in externa vitae eorumdem ratione: ne sermone celebratis praeceptis institutisque christianis disserentium mores refragentur: neve iidem opere destruant quod aedificant verbo. Ne quid praeterea profani pietas eiusmodi redoleat; verum ea sit praedita gravitate, ut probet eos esse revera *ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei* (2). Secus enim, ut scite animadvertit Angelicus, *si doctrina est bona et praedicator malus, ipse est occasio blasphemiae doctrinae Dei* (3). — At vero pietati ceterisque christianis virtutibus comes ne desit scientia: quum et per se pateat, et diuturna experientia comprobetur, nec sapiens, nec compositum, nec frugiferum dicendi genus posse ab iis afferri, qui doctrina, praesertim sacra, non affluant, quique ingenita quadam freti celeritate verborum, suggestum temere adscendunt ac ferme imparati. Hi profecto aerem verberant, et inscii divina eloquia contemptui obiiciunt ac derisioni; plane digni quibus aptetur divina illa sententia: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi* (4) ».

2.° « Igitur episcopi et religiosarum familiarum antistites divini verbi ministerium ne cui sacerdoti committant, nisi ante constiterit, ipsum esse pietatis doctrinaeque copia rite instructum. Iidem sedulo advigilent ut ea tantum pertractanda sumantur, quae sacrae praedicationis sunt propria. Quae vero eiusmodi sint Christus Dominus tunc aperuit quum ait: *Praedicate evangelium...* (5) *Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* (6). Ad quae verba apte S. Thomas: *Praedicatores debent illuminare in credendis, dirigere in operandis, vitanda manifestare, et modo comminando, modo exhortando, hominibus praedicare* (7). Et sacrosanctum Concilium Tridentinum: *Annuntiantes eis vitia, quae eos declinare, et virtutes quas sectari oportet, ut poenam aeternam evadere et caelestem gloriam consequi valeant* (8). Quae omnia fusiore calamo persequutus f. r. Pius IX, haec scipsit: *Non semetipsos, sed Christum crucifixum praedicantes, sanctissimae religionis nostrae dogmata et praecepta, iuxta catholicae Ecclesiae et Patrum doctrinam, gravi ae splendido orationis genere, populo clare aperteque annuncient; peculiaria singulorum officia accurate explicent, omnesque a flagitiis deterreant, ad pietatem inflamment, quo fideles, Dei verbo salubriter refecti, vitia omnia declinent, virtutes sectentur, atque ita aeternas poenas evadere et caelestem gloriam consequi valeant* (9). Ex quibus omnibus per-

(1) Iren., 4, c. 26.
(2) *Praescr.* c. 28.

(1) I *Cor.* XIII, 1.
(2) I *Cor.* IV, 1.
(3) Comm. in *Matth.* V.
(4) Os. IV, 6.
(5) *Marc.* XVI, 15.
(6) *Matth.* XXVIII, 20.
(7) Loc. cit.
(8) Sess. V, cap. 2, *De Reform.*
(9) Litt. Enc. IX Nov. MDCCXLVI.

spicuum fit, symbolum Apostolorum, divinum decalogum, Ecclesiae praecepta, Sacramenta, virtutes ac vitia, sua cuiusque conditionis officia, novissima hominis et cetera id genus aeterna vera, haec esse propria argumenta de quibus oporteat concionari ».

3.⁰ « Sed rerum talium copiam et uberrimam et gravissimam recentiores divini verbi ministri haud raro nil pensi habent; uti obsoletum quid et inane negligunt ac paene abiiciunt. Hi nimirum quum probe compertum habeant recensita rerum momenta captandae populari gratiae, cui tantum inhiant, minus esse idonea; *quae sua sunt quaerentes, non quae Iesu Christi* (1), eadem plane seponunt; idque vel ipsis quadragesimae diebus ac reliquis solemnioribus anni tempestatibus. Una vero cum rebus immutantes nomina, antiquis concionibus recens quoddam ac minus recte intellectum alloquendi sufficiunt genus, quod CONFERENTIAM dicunt, menti cogitationique alliciendae magis aptum quam impellendae voluntati atque instaurandis moribus. Hi profecto haud secum reputant conciones morales omnibus, *conferentias* vix paucis prodesse; quorum si moribus diligentius perspectum foret per inculcatam saepe castitatem, animi demissionem, obsequium in Ecclesiae auctoritatem, hoc ipso praeiudicatas de fide opiniones exuerent lucemque veritatis promptiore animo exciperent. Quod enim complures de religione prave sentiunt, maxime inter catholicas gentes, id effrenatis animi cupiditatibus potius est tribuendum, quam vitio aberrantis intelligentiae, secundum divinam sententiam: *De corde exeunt cogitationes malae.... blasphemiae* (2). Hinc Augustinus Psalmistae referens verba: *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus* (3), commentatur: *in corde suo, non in mente sua* ».

4.⁰ « Haec tamen non ita sunt accipienda quasi sermones id genus per se omnino sint improbandi, quum contra, si apte tractentur, perutiles possint esse aut etiam necessarii ad refellendos errores, quibus religio impetitur. Sed amovenda omnino est a suggestu pompa illa dicendi, quae in quadam rerum contemplatione magis quam in actione versatur; quae civitatem spectat propius quam religionem; quae denique specie nitet melius quam fructuum ubertate. Ea nempe omnia commentariis et academiis magis accommodata, dignitati atque amplitudini domus Dei minime congruunt. Sermones autem, seu *conferentiae*, quae propositam habent religionis tuitionem contra hostiles impugnationes, etsi quandoque necessarii, non omnium tamen humeris apti sunt, sed validioribus. Atque ipsis quidem oratoribus eximiis magna est adhibenda cautela, quod eiusmodi defensiones haberi non decet nisi ubi tempus aut locus aut audientium conditio eas necessario postulent, spesque adsit non fore fructu vacuas: cuius rei iudicium legitimum penes Ordinarios esse ambiget nemo. Oportet praeterea in sermonibus id genus probandi vis sacris doctrinis multo plus quam humanae sapientiae verbis innitatur, omniaque nervose dicantur ac dilucide, ne forte mentibus auditorum haereant altius impressae falsae opiniones quam opposita vera, neve obiecta magis quam responsa percellant. Ante omnia vero illud cavendum, ne talium sermonum frequentia moralium concionum dignitatem deminuat ab usuve removeat, quasi hae inferioris ordinis essent ac minoris faciendae prae pugnaci illo dicendi genere, adeoque concionatorum et auditorum vulgo relinquendae; quum contra verissimum sit conciones de moribus plerisque fidelibus esse maxime necessarias; dignitate vero contentiosis disceptationibus minime cedere; ita ut vel a praestantissimis oratoribus, coram quovis elegantiori frequentiorique coetu, saltem identidem summo eum studio essent habendae. Quod nisi fiat, multitudo fidelium cogetur audire semper loquentem de erroribus, a quibus plerique ipsorum abhorrent; nunquam de vitiis ac noxis, quibus eiusmodi auditoria prae ceteris inficiuntur ».

5.⁰ « Quod si vitiis haud vacat argumenti delectus, alia, eaque graviora etiam, querenda occurrunt si animum quis referat ad orationis speciem ac formam. Quae, prout egregie edisserit Aquinas, ut reapse sit *lux mundi, tria debet habere praedicator verbi divini: primum est stabilitas, ut non deviet a veritate: secundum est claritas, ut non doceat cum obscuritate: tertium est utilitas, ut quaerat Dei laudem et non suam* (1). At vero forma hodierna dicendi saepenumero, non modo longe abest ab illa evangelica perspicuitate ac simplicitate quae iisdem deberet esse propria, sed tota posita est in verborum anfractibus atque abditis rebus, quae communem populi captum excedunt. Dolenda sane res ac prophetae deflenda verbis: *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis* (2). Sed illud etiam miserius, quod saepe his concionibus deest illa species religionis, afflatus ille christianae pietatis, illa denique vis divina ac Sancti Spiritus virtus interius loquentis et ad bonum pie permoventis animos: qua sane vi ac virtute sacris praeconibus semper essent usurpanda Apostoli verba: *Sermo meus, et praedicatio mea, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis* (3). Iidem contra freti *persuasibilibus* humanae sapientiae verbis, vix aut ne vix quidem animum ad divina eloquia intendunt et ad Scripturas Sanctas, quae sacrae praedicationi potiores uberioresque recludunt latices, uti diserte docebat nuper Sanctissimus Dominus Leo XIII hisce verbis gravissimis: - « Haec propria et singularis Scripturarum virtus, a divino afflatu Spiritus Sancti profecta, ea est quae oratori sacro auctoritatem addit, apostolicam praebet dicendi libertatem, nervosam victricemque tribuit eloquentiam. Quisquis enim divini verbi spiritum et robur eloquendo refert, ille non loquitur *in sermone tantum, sed et in virtute, et in Spiritu Sancto, et in plenitudine multa* (4). Quamobrem ii dicendi sunt praepostere improvideque facere, qui ita conciones de religione habent et praecepta divina enunciant, nihil ut fere afferant nisi humanae scientiae et prudentiae verba, suis magis argumentis quam divinis innixi. Istorum scilicet orationem, quantumvis nitentem luminibus, languescere et frigere necesse est, utpote quae igne careat sermonis Dei, eamdemque longe abesse ab illa, qua divinus sermo pollet virtute: *Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti: et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus* (5). Quamquam hoc etiam prudentioribus assentiendum est, inesse in sacris Litteris mire variam et uberem magnisque dignam rebus eloquentiam; id quod Augustinus pervidit diserteque arguit (6), atque res ipsa confirmat praestantissimorum in oratoribus sacris, qui nomen suum assiduae Bibliorum consuetudini piaeque meditationi se praecipue debere, grati Deo, affirmarunt (7) ».

« En igitur eloquentiae sacrae fons facile princeps, Biblia. Sed qui ad nova exempla componuntur praecones, dicendi copiam non e *fonte* hauriunt *aquae vivae*, sed abusu haud sane ferendo, se ad *humanae sapientiae cisternas dissipatas* convertunt, et seposita doctrina divinitus inspirata, vel Ecclesiae Patrum et Conciliorum, toti sunt in profanorum recentiorumque atque adeo viventium scriptorum no-

(1) *Philip.* II, 21.
(2) *Matth.* XV, 19.
(3) *Psal.* XIII, 1.

(1) Loc. cit.
(2) *Thren.* IV, 4.
(3) I. *Cor.* II, 4.
(4) I. *Thess.* I, 5.
(5) *Hebr.* IV, 12.
(6) *De Doctr. christ.* IV, 6, 7.
(7) Litt. encycl. *de Studiis Script. Sacr.*, XVIII Nov. MDCCCXCIII.

minibus sententiisque proferendis: quae sane sententiae saepe interpretationibus ansam praebent, aut ambiguis aut valde periculosis. — « Alterum offensionis caput iniiciunt qui ita de rebus religionis disserunt, quasi omnia caducae huius vitae emolumentis commodisque metiantur, futurae ac sempiternae pene obliti: qui fructus quidem a christiana religione illatos hominum societati praeclare persequuntur; officia vero ab iisdem servanda dissimulant; Christi Servatoris unam efferunt caritatem; iustitiam silent. Inde istius praedicationis exiguus fructus, qua audita profanus homo persuasionem secumfert, etiam non mutatis moribus se fore christianum, dum dicat: Credo in Christum Iesum (1) ». — Verum, quid ipsorum interest fructus colligere? Non id sane propositum habent, sed illud maxime, ut auditorum *prurientes auribus* iisdem assententur; dumque templa referta videant, vacuos animos remanere patiuntur. Hac nempe de causa mentionem iniiciunt nullam de peccato, de novissimis, aliisque maximi momenti rebus, sed in eo toti sunt ut *verba placentia* effundant, tribunicia magis et profana eloquentia quam apostolica et sacra, ut clamores plaususque aucupentur, contra quos ita Hieronymus: *Docente in Ecclesia te, non clamor populi, sed gemitus suscitetur: auditorum lacrimae laudes tuae sint* (2). Quo fit ut istorum conciones, quum in sacris aedibus tum extra, scenicum quendam apparatum exhibeant, omnemque speciem sanctitatis et efficaciam adimant. Hinc ab auribus populi et plurium etiam e clero migravit voluptas omnis quae a divino verbo hauritur; hinc bonis omnibus iniectae offensiones; hinc vel admodum exiguus, vel plane nullus aberrantium profectus, qui, etiamsi interdum concurrant audituri verba placentia, praesertim si magnificis illis illecti centies resonantibus *humanitatis adscensum, patriam, scientiam recentius invectam*, postquam dicendi peritum effuso prosequuti sunt plausu, templo iidem qui antea discedunt, haud eorum absimiles, qui *mirabantur, sed non convertebantur* (3).

« Volens igitur haec Sacra Congregatio, ex mandato Sanctissimi Domini Nostri, tot ac tam improbandos abusus cohibere, Episcopos omnes et eos, qui religiosis Familiis institutisve ecclesiasticis praesunt tamquam supremi moderatores, compellat, ut apostolico pectore sese iisdem opponant omnique studio extirpandos curent. Memores igitur eorum, quae a SS. Concilio Tridentino praescripta sunt (4) - *Viros idoneos ad huiusmodi praedicationis officium assumere tenentur*, - in hoc negotio perquam diligenter cauteque se gerant. Si de sacerdotibus agatur suae dioecesis impense caveant Ordinarii ne unquam iidem ad id muneris admittantur, quin *prius de vita et scientia et moribus probati fuerint* (5) hoc est nisi facto periculo aut alia opportuna ratione illos idoneos esse constiterit. Si vero de sacerdotibus res sit alienae dioecesis, neminem suggestum adscendere sinant, idque solemnioribus praesertim diebus, nisi prius ex testimonio scripto proprii Ordinarii vel religiosi Antistitis constiterit eosdem bonis moribus esse praeditos eique muneri pares. Moderatores vero sui cuiusque Ordinis, Societatis vel Congregationis religiosae neminem prorsus ex propriae disciplinae alumnis obire sinant concionatoris munus, eoque minus litterarum testimonio commendent locorum Ordinariis, nisi eiusdem perspectam habeant et morum probitatem et facultatem concionandi uti decet. Si quem vero commendatum sibi litteris oratorem exceperint ac subinde experti cognoverint, eum in concionando a normis praesentium Litterarum discedere, cito in obsequium adigant. Quod si non audierit, a suggestu prohibeant, iis etiam, si opus fuerit, adhibitis canonicis poenis, quas res videatur postulare ».

(1) Card. Bausa, Archiep. Florentin., *ad iuniorem clerum*, 1892.
(2) *Ad Nepotian.*
(3) Ex Aug. in *Matth.* xix, 25.
(4) Sess. V, c. 2, *De reform.*
(5) Conc. Trid., Sess. V, c. 2, *De reform.*

Haec praescribenda censuimus aut recolenda, mandantes ut religiose observentur, gravitate permoti succrescentis in dies mali, cui serius occurri non potest sine summo periculo. Neque enim iam res est, quemadmodum ab initio, cum disputatoribus prodeuntibus *in vestimentis ovium*, sed cum apertis infensisque inimicis, iisque domesticis, qui facto foedere cum Ecclesiae capitalibus hostibus, propositam habent fidei eversionem. Sunt hi nempe, quorum audacia adversus deductam caelo sapientiam quotidie consurgit, cuius corrigendae sibi ius arrogant, quasi esset corrupta; renovandae, quasi esset senio confecta; augendae aptandaeque saeculi placitis, progressionibus, commodis, quasi eadem, non levitati paucorum, sed bono societatis esset adversa.

Hisce ausibus contra evangelicam doctrinam et ecclesiasticam traditionem nunquam satis opponetur vigilantiae aut severitatis nimium ab iis quibus commissa est sacri huius depositi custodia fidelis.

Quae igitur monita et salutaria mandata Motu hoc proprio ac certa scientia ediximus, ab universis catholici orbis quum Ordinariis tum etiam regularium Ordinum institutorumque ecclesiasticorum supremis Magistris religiosissime servanda, rata et firma consistere auctoritate Nostra volumus et iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die I mensis Septembris, anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri octavo.

PIVS PP. X

DIARIUM VATICANUM

(Mense Octobri MCMX).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui, sui quisque muneris gratia, Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: De Leiningen, Comes; Gonzales Arnao doctor, ex Hispanica legatione apud Apostolicam Sedem ad Madritense exterarum rerum officium translatus; Sacerdotum collegium ad Italicos emigrantes adiuvandos; Concilium supremum Congregationis Filiorum Mariae Immaculatae; Carolus Santucci, eques torquatus, eiusque familia; r. d. Aloisius Lavitrano, rector nuper renunciatus Collegii Apostolici Leoniani de Urbe; Szécsen de Temerin, Comes, Austrorum Hungarorumque legatus apud Apostolicam Sedem; Oscar Gana Sérruys a Chilensi apud Apostolicam Sedem legatione ad legationem Chilensem apud Germanos translatus; Hilarius Moreno, negotiorum gestor Argentinae reipublicae apud Apostolicam Sedem; De Pimodan, Comes; D'Erp dynasta et Chaves doctor, Belgarum alter, alter Brasiliensis civitatis administri cum omni potestate apud Apostolicam Sedem.

Pontificiae electiones.

R. d. Agathus Philippus Alvarado, vicarius capitularis dioecesis de Barquisimeto, episcopus ipsius cathedralis ecclesiae de Barquisimeto; r. d. Arturus Caelestinus Alvarez, parochus loci Zarasa in dioecesi de Calabozo, episcopus cathedralis ecclesiae Zuliensis; r. d. Iosephus Angelucci, canonicus cathedralis ecclesiae Praenestinae, episcopus cathedralis ecclesiae Civitatis Plebis; r. d. Franciscus Emanuelli, rector seminarii Calaritani, episcopus cathedralium ecclesiarum perpetuo unitarum Uxellensis et Terralbensis creantur.

— R. p. d. Nicolaus Cola, episcopus Marsorum, ad cathedralem ecclesiam Nucerinam, et r. p. d. Carolus Hugo Gauthier ab ecclesia Kingstoniensi ad sedem metropolitanam Ottaviensem transferuntur.

— R. p. d. Angelus Hyacinthus Scapardini, mutato titulo Antiocheno iam eidem adsignato, archiepiscopus titularis ecclesiae Damascenae eligitur.

— R. p. d. Gregorius Maria Grasso, abbas *nullius* Montis Virginis, administrator apostolicus deputatur archidioecesis Amalphitanae.

— R. p. d. Donatus Sbarretti, archiepiscopus tit. Ephesinus, delegatus apostolicus apud civitatem Canadensem, a secretis dicitur Sacrae Congregationis Religiosorum.

Vita functi viri clariores.

Die XVI mens. Octobris, Romae, **Leopoldus Mayer de Schavansee,** Pontificiae Helveticae cohortis chiliarcus.

ANNALES

In Lusitaniam reipublicae forma invecta.

Tranquillitatem, qua huius anni autumnus accesserat, bellicorum tormentorum fragor ex improviso intercepit. Die enim III mensis Octobris, noctu, civilis perturbatio a viris Lusitanarum rerum evertendarum cupidi, parata iam diu, - id est a quo, infando crimine, Carolus rex eiusque filius natu maior nefarie interempti sunt, atque unione animorum a seditiosis refugentium incassum tentata, novus rex, iuvenis admodum atque gubernandi imperitus, inhabilibus infidisque administris sese commisit, - tandem aliquando erupit. Coniuratio callido sane consilio, atque occulte ita, apud milites et classiarios praesertim, structa, ut brevi oppositio quaevis inutilis foret, nullaque regali familiae, proditae et ab omnibus derelictae, salus, nisi in fuga remaneret, quae facta est per automobiles currus usque ad mare, atque inde, regia navi, ad Calpe usque, ubi Anglicus gubernator extorres illos sub tutela imperii sui recepit, quoadusque Emmanueli regi, Ameliae matri et patruo ad castrum Woodnorton Aurelianensis familiae in Anglia accedere licuit; Mariae Piae autem, paternae aviae, e Sabaudica gente, in Italiam patriam redire, Italico rege eam hospitante.

Certamina Olissipone exorta, inde regni provincias minime pervasisse dicendum est, siquidem novo regimini facile omnes acquieverunt, cuius praeses ab administrorum collegio, — a principibus scilicet coniurationis Costa, Machado, Almeida, Leao etc., — ad tempus renunciatus est Theophilus Barga.

Communis vero libertatis studium, quod tam acerrime propugnabant isti regenatores, quibus facile accesserunt (incredibile dictu!) ipsi, qui civitatem postremis hisce temporibus administrarunt, id certe cupientes ut actis suis hac ratione oblivionem quaererent atque in posterum agenda in praeiudicium non verterent, — in hoc tantum fuit, ut tunicato popello et sentinae urbis contra sacri ordinis viros et catholicos diariorum scriptores saeviendi facultas quaevis daretur, utque ex ipso gubernio decreta prodirent, quibus non solum Societas Iesu et piae Congregationes in exilium mitterentur, sed bona eorum a fisco occuparentur; ut, uno verbo, odium in Christi relligionem quolibet modo significaretur, legatusque Pontificis ut Romam secederet cogeretur. Interim Ioannes ille Franco eiusque collegae, qni tres ante annos Lusitanis malis firma manu mederi aggressi erant, proditionis accusantur, neque sine summa pecunia ad satisdationem numerata, carcerem vitare possunt... Nonne sponte in mentem veniunt memorabilia verba Gallici illius martyris: « O libertas, quot crimina falsa sub specie tua admittuntur »?

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Gallia** ob operariorum ferreis viis addictorum ab opere desertionem firme a gubernio repressam, graves obortae disputationes in Briand praesertim, administrorum collegii praesidem, qui, « socialista » licet, ut apud omnes notum est, civitatis iura a gubernio tutanda acriter adseruit. Quamquam suffragia ei favorabilia cesserunt, is eiusque collegae a muneribus suis deinde abdicarunt.

In **Graecia** Venizelos gubernio praepositus, non tamen a populi legatis benigne exceptus. Itaque, a rege eidem fiducia renovata, is, iure suo usus, constituentem coetum dimisit.

In **Hispania** apud Senatum lex ne religiosi novi Ordines inducantur cognoscitur.

PER ORBEM

Die I mens. Octobris MCMX, Mediolani, dum certamina aviationis habentur, aëronaves duae inter se collidunt. Dickson atque Thomas nautae graviter sauciantur.

— die II per Hispaniam omnem, contra rationem sibi a gubernio propositam in Sacri Ordinis viros et Christianam religionem saeviendi, publicae protestationes sollemniter peraguntur.

— die IV Olisippone rei publicae liberae forma promulgatur.

Belgarum rex et regina Vindobonam tenent, Franciscum Iosephum Imperatorem visitaturi.

— d. VIII per fines Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis et Canadensis regionis incendia silvas et oppida excidunt.

— d. x in Gallia opifices ferriis viis addicti ex condicto ab opere recedunt, frustra operarios alios omnes invitantes ut suum exemplum sequantur.

— d. xi Berolini centesimus annus, ex quo illius civitatis athenaeum conditum est, sollemniter commemoratur.

— d. xiii Saenz Pena, Bonearensi in urbe, Argentinae rei publicae supremum magistratum init.

— d. xiv Rodulfus Lindau, Theutonicus scriptor praeclarus, Berolini moritur.

— d. xv Wellman aëronauta in dirigibili navi sua *America* Neo-Eboraco proficiscitur, Oceani Atlantici traiectum tentaturus. In alto vero nebulis post dies duos circumfusus, quominus ultra procedat impeditur, atque a pyroscapha *Trent*, ventis aëronavi commissa, sospes recipitur.

— d. xvi aëronavis Clementis Bayard cum viatoribus septem a Gallico oppido Guise-la-Motte profecta, feliciter Londinum appellit.

— d. xviii operariorum ab opere desertioni in Gallia ob fortitudinem a gubernio oppositam finis fit.

— d. xix Genevensi in carcere sibi mortem consciscit Aloisius Lucheni, qui Austrorum imperatricem Elisabeth nefarie aliquot ante annos interemerat.

— d. xxii Franciscus de Teck, princeps, Anglicae reginae frater, Londini vita fungitur.

— d. xxiii, Bangkok in urbe, Siamensis rex Chulalong-Korn pariter supremum obit diem, eiusque filius Maha Vajiravudh quiete regnum obtinet.

— d. xxiv atra procella in Amalphitanum litus furit, Cetara oppidum solo aequat, Aenariaeque insulae immensa tum hominum tum domorum damna affert.

— d. xxvii Romae in aërodromo, Iosephus Saglietti, tribunus militum, in terram praecipitat miseramque mortem sub aëroplano suo oppetit.

— d. xxxi, in Gallia Cispadana, Ausa et Parma flumina pluviis tumescentia e limitibus excedunt, sataque per eorum cursum late vastant.

LIBRORUM RECENSIO

Vite scelte di Cornelio Nepote con note ad uso delle Scuole ed illustrazioni storiche premesse alle singole « Vite » di LUIGI FRANCESCO GUERRA, professore ordinario del R. Ginnasio e Liceo « G. B. Vico » di Napoli. — Neapoli edid. G. Casella, 1911. (Ven. lib. 1,50).

Novissimam hanc Cornelii editionem vix vulgatam, a pluribus secundi ordinis scholis acceptam cognovimus; quod mirum procul dubio nobis non visum est, quum clarissimi Neapolitani doctoris opus vel summis labiis delibavimus. Non enim, ut assolet, male digestarum rerum hîc congeries, non immodicae eruditionis labor, nec denique foeneraticius aliquis scopus palam vel occulte comparatus; sed liber a magistro compositus scholae late assueto, scholae atque latinarum litterarum amantissimo et in discipulorum progressum unice intento, quem assequi per Horatianum illud nititur: *Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.* Utile profecto est puero ad latinam linguam vel accedenti opportunam rationem praebere, qua difficultates unde terreatur omnemque fidem et animum facile amittat sensim et sine sensu superare queat, quum tamen ad cogitandum quasi inscius invitetur; utile, nec, quod sciam, ab alio prius invectum, post vitam cuiusque *Imperatoris* expletam, indicem invenire, quo tum ipsas difficultates — praecipuas saltem — ipse sibi repetat, tum vocabulorum et phrasium quasi acervos colligat, unde practice syntaxis regulas maxime obvias ediscat ac retineat; utile singulorum capitum argumenta vernacula lingua praenoscere, paginasque figuris et hominum et rerum illustratas videre. Utilia haec, inquam, ac simul dulcia. Non tamen id satis; accedit enim singulis « Vitis » — per se, uti constat, cum ariditate quadam a latino illo auctore exhibitis, — temporum et eventuum satis ampla et iucunda expositio, quae dum excellentis viri imaginem magis magisque collustrat, tantam ingerunt legentis tenero animo delectationem, ut dubium non sit quin cum curiositate et exspectatione summa ad textum latinum adventet. Quibus positis, clare patet operis lata probatio, patet causa, qua idem maxime docentibus commendemus.

I. F.

CARD. ALFONSO CAPECELATRO. *Gesù Cristo - La Chiesa.* — Romae edid. Desclée, et Soc., 1910. (Ven. lib. 0,60).

Tractatio sobria atque illius pietatis plena, qua venerandus Pater hic Purpuratus non facile superabilis evadit, intimum utriusque argumenti nexum demonstrat. Ostendit enim in Christo et promissum Redemptorem, et creationis centrum, et Verbum; idque in eius vita, praeceptis, exemplis. Ex « Sponso » autem ad « Sponsam » procedens, huius aeternam pulchritudinem persequitur, qua magnae familiae similis fit. Huius quidem familiae ordo deinceps enucleatur, Patrisque, id est Summi Pontificis, potestas describitur. Inde evincitur, maximae utilitati opusculum iis praesertim futurum, qui strictis licet at certis finibus divinam Christi Ecclesiaeque figuram sibi perspectam habere cupiant.

MONS. GEREMIA BONOMELLI. *L'emigrazione.* Indidem. (Ven. lib. 0.75).

Emigratio inter civiles eventus peculiari studio dignos apud omnes gentes non immerito nunc habetur; oratio autem Cremonensis episcopi opportuna eo magis occurrit, quod in illo viro beneficentissimi collegii ad opifices ab Italia ad exteras gentes transmigrantes auxiliandos conditorem omnes norunt, atque igitur argumenti huius peritissimum. In quo quidem evolvendo causas multiplices tum ad tempus tum perpetuae emigrationis exponit, tristem in pluribus casibus eius necessitatem demonstrat, opportunas denique regulas suggerit ut dirigatur, utque et populo et ipsis emigrantibus utilis fiat. Quod ad obtinendum non gubernantium

modo, sed et popularium rectorum et privatorum ipsorum aliqua pollentium auctoritate concursus requiritur, in primisque sacerdotum, quibus orationis postremae paginae diriguntur, flagransque amore adhortatio fit, ut operam omnem ad « socialem » eamque religiosam nostrae aetatis instaurationem conferant.

Z.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis *eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

Cornelio Nepote, Vite commentate da LUIGI FRANCESCO GUERRA. — Neapoli edid. Casella, 1911. (Ven. lib. 1,50).

DOMINICUS PIANAROLI MORONI. *Arborum festum.* Ecloga. — Indidem, 1910. (Ven. lib. 1).

ID. *La casetta di Nazaret.* Canzone. — Indidem, 1910. (Ven. lib. 1).

Card. ALFONSO CAPECELATRO. *Gesù Cristo - La Chiesa.* — Romae edid. Deselée et Soc , 1910. (Ven. lib. 0,60).

ID. *Sursum Corda.* Aspirazioni a Dio. — Indidem. (Ven. lib. 1).

Mons. GEREMIA BONOMELLI. *L'emigrazione.* — Indidem. (Ven. lib. 0,75).

ID. *Cause della miscredenza moderna e rimedi.* — *La libertà di pensiero.* — Indidem. (Ven. lib. 0,75).

Monita ad sacerdotes ex Sacris Conciliis et Ecclesiae Patribus. Editio septima auctior. — Indidem. (Ven. lib. 0,50).

IOCI.

In medicum imperitum.

Mittebat medicus natum mihi forte docendum,
Formandum et primis grammaticae studiis.
Qui mox ut didicit magni tria carmina Homeri,
A quibus exorsus est opus ille suum:
« Musa, iram canito Pelidae docta superbi,
Argivum castris quae mala multa dedit,
Egregiasque animas heroum ad tartara misit »,
Ecce suum gnatum detinet ille domi.
Dein me conspecto: — « Grates ago — dixit — amice;
Commodius natum hoç ipse docere queo;
Namque ego non paucas animas ad tartara misi;
Hic mihi Grammatici nil opus est opera.

(AGATHIAS).

***

Lucilius italicae poëseos studio flagrantissimus, mensem Maium in villula exigens, suavitate ipsa veris suadente, carmina ut cum maxime pangebat. Quodam die se cum amicis oblectans in hortis, epigramma recitavit recens conditum, quod " Gaudia Ruris ,, erat inscriptum. Aderat ibi rusticus, qui flores irrigabat, quum interim aures suas poëtae dedebat. Subito veluti furore ille abreptus: — « O praeçlaram cantiunculam, — clamavit —, quae redoleat eas, quibus tempore metendorum percipiendorumque fructuum, labores levant agricolae! » Coorta hinc hilaritate, Lucilius versus suos, ab agricolis numeros mutuatus, canere coepit.

TITUS CURZIUS.

AENIGMATA

I.

Me pertiment cuncti, latens fero lethum,
Si me cavere vis, cavebis incassum;
Sed si petam te, sospitaberis certe
Meum per hostem, si citatior currat.

II.

Cogere *prima* solet;
Altera nare iubet;
Utraque mixta bibis.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

MARCI MINUCII FELICIS
OCTAVIUS
ADNOTATIONIBUS ILLUSTRATUS.

Aenigmata an. XIII, n. VII proposita his respondent:

1) **Penula**; 2) **Pindus-Pinus.**

Ea rite soluta miserunt:

Petrus Tergestinus. — I. M. Meunier, *Corbiniaco.* — Alb. Kain, *Dublino.* — Ioan. Biava, *Bergomo.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — A. Papay, *Barossháza.* — R. Riehi, *Traianopoli.* — Adam. Koztowski, *Petricovia.* — I. Ortiz, *Morelia.* — Alb. Catteau, *Lugduno.* — F. Arnori, *Mediolano.* — Hern. Forgeot, *Nicaea ad Varum.* — Max. Vronski, *Cracovia.* — Eug. Dolmar, *Neo Eboraco.*

Sortitus est praemium:

ALBERTUS KAIN,

ad quem missum est opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHI
DE POETIS EPICIS ROMANORUM ACROASIS.

Aenigmata autem n. VIII proposita his respondent:

1) **Fa-mulus**; 2) **Canis.**

Ea rite soluta miserunt:

Petrus Tergestinus. — Alb. Kain, *Dublino.* — Ioan. Biava, *Bergomo.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — R. Riehi, *Traianopoli.* — F. Ortiz, *Morelia.* — Alb. Catteau, *Lugduno.* — F. Arnori, *Mediolano.* — Hern. Forgeot, *Nicaea ad Varum.* — Max. Vronski, *Cracovia.* — Eug. Dolmar, *Neo Eboraco.* — Alois. Cappelli, *Senis.* — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio.* — Iac. Menendez, *Madrito.* — Fr. Guerra, *Aletio.* — F. X. N., *Drepano.* — Clem. Fiard, *Curia Rhaetorum.* — F. Staraee, *Neapoli.* — Eug. Ricei, *Florentia.* — I. Ciolli, *Papia.* — I. Martins, *Philadelphia.* — F. Correa, *Emerita.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — A. Bounin, *Aureliano.*

Sortitus est praemium:

EUGENIUS RICCI,

ad quem missum est I. B. FRANCESIA opus, cui titulus:

TARCISIUS
ACTIO DRAMATICA VERSIBUS SENARIIS CONSCRIPTA.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina *Societatis Romanae Editricis.*

ARRAE GORGONIAE (8

(Cfr. num. IX).

Non alias saepe per novilunia pastorum aut agricolarum vigilias Trasimeni lacus in oris aut Cannensis paludis in litore terrent funebres turbae, quas Hannibalis victoria paravit.

Nec absonum ferme a punica clade Varianos milites manebat fatum.

Iamque, dimensi cursu viam, haud multum ab oppositis faucibus aberant, quum ecce rursus elatus est tonitrus ingens, quasi montium iuga, Iovis sceptro concussa, late infremerent. Simul vero saxa, lapides, glebae, arbores ad imum, in properantem exercitum, horrenda grandine cadere coeperunt. Atrox per noctem exterminium; equites, pedites, belluaeque conculcati, obtriti manipulatim. Contubernales, qui cum facibus accurrunt ut sospitent vulneratos, mox superincidens mola conterit. Hostium vero latibula videre tenebrae non sinebant. Legionarii Samnites, Brutii, Campani, Latini, Romani, equites ipsique triarii emeritis stipendiis, eorumque non pauci tum pharsalicis tum actiacis pugnis superstites, vulpecularum more mactabantur. Spatium autem repugnandi nullum supererat nullaque spes salutis, nisi in fuga.

Iamque primi ordines, ipseque legatus itineris fauces attingunt, quum ecce turma novum attollit clamorem. Pons tabulatus, quem paullo ante transierant, fractus innatabat undis, atque oceanum versus fragmenta agebantur. Desuper ex utraque ripa instabant barbari; ignis autem post terga, fluctus in fronte concludebant viam. Aquilarum legionumque conclamata salus.

Tunc desperatio mirum furorem animis addidit; proelium initum, quod vix gigantes committerent. Fractis ordinibus velites, triarii, hastati, principes certatim dextra levaque scandere iuga aggrediuntur. Candentis nemoris rubores, ipso aquarum speculo remissi, viam pugnantibus collustrant; quibus, quoniam moriendum erat, gloriosa quaerenda mors, Romano nomine digna. Saga igitur, scutaque post terga iaciunt, pila iacula dentibus gestant, scopulis, rimis, arboribus sese fulciunt, manibusque pedibusque ascendunt, corruunt, redeunt ad nisum, ut unum saltem hostem attingant, ut detur cominus ferro digladiari et non inultam oppetere mortem. Immanis lucta, cruenta, vanaque audacia!

Multitudo hostium summis in iugis abdita, ipsa ausus temeritate primum exterrita, a iaculis continuit manus; mox, resumpto animo, coronantur multitudine silvae, pluviaque illa missilium omne genus novo furore multiplicatur.

Interea, medio itinere progreditur Caecilius cum equitatu ad ripam fluminis. Opposito in litore pontis reliquiae flammis supremis conficiebantur: iamque ex ultimis Bructeriorum montium iugis aurora illucescit. Cuius illustrata luce, apparuerunt barbarorum agmina in opposita ripa clamantium: Bructerii, Cherusci, Chasuarii, Tubantes suas copias omnes ad exitium Romani nominis extremum miserant.

Tum Caecilius ad equites conversus:

— Vos, — inquit —, patriciae gentis iuvenes, dum miles in monte pugnat moriturus, ad ultionem saltem supremam contra hostes properate mecum, sitque non sine gloria Romanorum mors!

Conticuit, atque ipse primus equum in undas compulit; alaeque omnes, ducem per fluctus sequutae sunt. Pedites, qui per montium abrupta oppugnabant hostes, inutilem ausum contemplati, gladiatorum vocem supremam extulerunt undique:

— Ave, Caecili, morituri te salutant!

At iam progredientem medium per flumen equitatum a fronte primum sagittae telaque petunt: confossi equi ruunt una cum equite in fluctus; ceteri tendere pergunt in hostes. At ecce aliae extolluntur per flumen voces: ex utraque ripa, abditae hactenus cymbae, scaphae, trunci, lintres, remis aut natatu acta, exeunt in medias aquas hostibus onusta, atque vadantes Romanos utrinque petunt. Equites rati moriendum maturius, hastas et equos in obvenientes hinc inde convertunt, adoriuntur, tela immittunt; mox rates ipsas laeva apprehendere, atque districto ense medios in hostes prosilire, pugna cladesque ferocissima fieri. Germanorum Romanorumque cadavera complent Luppiae undas, quae tanto sanguine purpuratae, Rhenum versus defluunt. Ubi vero magis ardet clades, insignior scapha vehementiusque impulsa, inter clamorem barbarorum maximum, descendit fluctus. Dant utrinque Germani locum: horrendum visu! Scapham complebant Barbari, Romanis galeis omnes cristati, loricis induti; miroque trophaeo insignia manipulorum cohortiumque attollebant: aquilas, vexilla legionum ipsa, fero clamore elata, vibrabant. Tunc undique per flumen, per silvas, per montes crevit victorum vox: « Macte! macte! aquilae hae vestrae sunt; vestra spolia! Varianos hac ipsa nocte delevimus! » Profecto: appropinquante navicula innotuerunt hastis infixa horrenda signa victoriae; legatorum Varii lividae et madentes sanguine cervices, ipsiusque imperatoris pallidus vultus, aquilae aureae appensus, agitabatur.

(Ad proximum numerum).

I. A. Costaggini.

Sociis atque Lectoribus monitum

Ad proximum numerum, id est mensis Decembris, Appendix cui titulus « Arrae Gorgoniae » erit absolutus. Eum novus sequetur, et statim inchoabit:

EUPLIUS,

actio dramatica in tres actus distributa et versibus senariis exarata, quam « Voci Urbis » ultro atque unice concessit eius auctor

IOANNES BAPTISTA FRANCESIA

Ann. XIII. Romae, Mense Decembri MCMX Num. XII.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

SOCIIS ET LECTORIBUS
COMMENTARII NOSTRI HUMANISSIMIS

Novo adventante anno, quem hilari animo XIV inscribemus, socios et lectores consalutare iuvat, iisque gratiam referre sive qui per arduum tot annorum iter nos comitati sunt, sive qui novissimi accesserunt; omnibusque simul cum votis hisce diebus ab amicis proferri solitis, nostra quoque ingeminari. Nonne enim una nobiscum eorum mens, unus animus, propositum unum, latinum sermonem ita diffundere, ita ad eius amorem alios incendere, ut quum persuasum ubique fiat ipsum ad universas res, vel recentissimas, exprimendas apprime idoneum esse, doctorum virorum saltem apud gentes omnes commune eloquium evadat?

Haec *Vocis Urbis* commentarii condendi causa; haec apud Societatem Editricem nostram eius prosequutionis ratio. Faxit Deus, ut quomodo haec videt apud diarium suum Romanum, cui titulus *Corriere d'Italia* non factiosos Italorum animos in dies colligi viresque suas a patriae nostrae borealibus regionibus per ephemeridem *L'Avvenire d' Italia* ad australes usque, per diurnum pariter commentarium *Il Corriere di Sicilia*, confirmatas, videat pariter *Vocem Urbis*, ad bonum summum intentam, Italiae fines magis in dies transgredi, atque latius latiusque propagari per orbem.

* * *

Quod ad nos pertinet, quibus munus commissum est non parvi hoc momenti negotium moderandi, ab antiqua nostrum agendi ratione, tam magno consensu et accepta et probata, nunquam aberrabimus. Scripta igitur in *Voce Urbis* proximo quoque anno edentur « quae populos omnes aliquo modo attingant, a pubblica re ad bonas artes, a litteris ad simplici et facili stylo expressas descriptiones, narratiunculas, dramaticas actiones; ab antiquitatis scientia ad dialogos vitae argumenta maxime communia tractantes, unde colloquia latine inire atque alere detur; a doctorum virorum scriptis nondum vulgatis aut parum cognitis ad primas adolescentum exercitationes, quae incitamentum veluti in palaestra eorum conatibus conferant; a Pontificiis denique documentis praecipuis ad iuris regulas a S. Congregationibus positas; haec omnia ut quisquis vel ex dissitis regionibus, vel cultu, doctrina, animi proclivitate, artibus, altero ab altero difformis, per commentarium hunc explere desideria sua possit ».

Quo autem sociorum animus ad operandum nobiscum magis sollicitetur erunt etiam anno MDCCCCXI *singularia praemia*, sub anni exitum assignanda, *trium numismatum argenteorum* ex iis, quae Pon-

tifex Maximus quotannis in festo Apostolorum Principis cudi iubet Sacro Purpuratorum Senatui, Romanae Curiae aulicisque pontificiis distribuenda. Quorum unum collegio aut seminario, aut scholae illi tribuetur, unde plurima soluta oratione scripta cuiuslibet argumenti publicatione digna ad nos per annum pervenerint; reliqua duo sociis illis, quorum scripta pariter per annum in commentario vulgata, a doctorum virorum collegio, ad hoc constituto, commendata maxime fuerint.

Pretium quoque subnotationis immutatum permanebit; quod est in Italia libell. sex; ubique extra Italiam libell. novem (*Doll.* 1,80; *Sch.* 7; *Marc.* 7; *Rubl.* 4; *Coron.* 9). Qui autem ephemeridum a Societate nostra editarum (*Corriere d' Italia*, Romae; *L'Avvenire d' Italia*, Bononiae; *Corriere di Sicilia*, Panormi) subnotator exstiterit, is *Vocem Urbis dimidiato pretio habere poterit.*

* * *

Restat ut animorum vestrorum, o Socii et Lectores humanissimi, nobiscum adiunctio immutata et ipsa permaneat, utque vota perficiantur, quibus vestrum unus, Titus Curzius, Canonicus, pro summa eius humanitate, Natalicios Domini proximos dies, faustos nobis ita nuncupabat:

O VOX URBIS SUAVIS
QUAE DECIMUM IAM TERTIUM ANNUM
ROMANORUM LITTERAS
PER ORBEM TERRARUM TUERIS FOVES
TIBI DE CHRISTIANA SAPIENTIA ET HUMANITATE
OPTIME MERITAE
ADVENTANTE DIE NATALI IESU DEI SERVATORIS
OMINOR CUNCTA FAUSTA FELICIA
IDEMQUE PRECOR EX ANIMO
UT COMMENTARIUS UNDE TU EDUCTA
DOCTE DISERTA PERSONAS
SUBNOTANTIUM NUMERO AUGEATUR
HUNC STUDIOSE LEGANT AC PERVOLUTENT
QUOTQUOT ANIMUM DOCTRINA EXEMPLIS EXCOLUNT
VIRI SACRIS FACIUNDIS
SUMMO IN HONORE HABEANT HUIUSCE CONSUETUDINE UTANTUR

Intimum VOCIS URBIS gaudium

Sociis et Lectoribus Commentarii nostri, dum proposita nostra in proximum annum, uti supra, edicimus, laetum simul afferimus nuntium, qui ipsis profecto ita pergratus erit, uti nos iucundissime affecit.

Agitur de insigni honore, quo hisce diebus auctus est alacer Commentarii nostri curator, *Iosephus Fornari*, qui ab annis duodecim et ultra in his paginis et ipse scribit assidue, et aliorum scripta colligit atque opportune revisa ordinatim disponit. Namque illum Pius X Pont. Max., quem Deus in multos annos sospitet, sua sponte et proprio, ut aiunt, motu, per Breve diei XXII Novembris inter Equites clarissimi civilis Ordinis a S. Gregorio Magno adlectum voluit, pretiosis eiusdem dignitatis insignibus dono etiam missis.

Verba quibus in Litteris Pontificiis, Fornarii « eximia virtutum ornamenta » laudantur, ob quae « omnium egregia opinione floret », spectant imprimis ad eius religionem, pietatem et peculiare erga Romanam Cathedram obsequium; quae quidem Iosephus noster luculentissime prodidit tum in regenda sodalitate Petriana e Catholica Italorum Iuventute, tum in pluribus negotiis a SSmo. non semel ei commissis, et maxime in curanda illa orphanorum legione, quam in clade Messanensi et Rhegina superstitem benignissimus Pontifex adoptare suisque expensis educare dignatus est. His namque pueris ac puellis, hac illac dispertitis, deputatus est Fornarius veluti tutor atque administer: quos proinde saepe invisit, paterna Pontificis monita atque etiam munuscula deferens, moestos consolans, recreans aegrotos, bene moratos laudans eosque arguens qui forte se parum dociles ostenderint.

At Breve pontificium « iuris ac latini sermonis peritiam » laudat insuper Iosephi, inde profecto respiciens egregiam eius operam quondam apud Sacrorum Rituum Congregationem - in cuius commodum codicem composuit de processibus in causis Beatificationis et Canonizationis sequendis -, nunc autem apud Supremum Signaturae Apostolicae tribunal; hinc ipsam hanc *Vocem Urbis* nostram de litteris latinis egregie sane meritam, cui sollertissimus ipse moderator et scriptor eruditus tamdiu operam et dedit ac porro dabit indefessam.

Novo equiti igitur Gregoriano, amico nostro dulcissimo, plaudimus, atque impertitum honorem ex animo gratulamur.

SOCIETAS ROMANA EDITRIX.

SACRAE THEOLOGIAE OBIECTUM

(Cfr. num. X).

Quia scientia omnis proprium possidet obiectum, de scientiae theologicae obiecto ultimo dicendum superest.

Circa sacrae Theologiae obiecti determinationem lectorem meminisse iuvabit S. Augustini verba (1): « Quid ad nos quid grammatici velint? Melius in *barbarismo* nostro vos intelligitis, quam in nostra disertitudine vos deserti eritis... Non timeamus ferulas grammaticorum; dum tamen ad veritatem solidam et certiorem perveniamus ».

Triplex igitur scientiae obiectum solet a theologis distingui, idest, materiale *quod*, formale *quod*, formale *sub quo*. « Obiectum materiale - inquit Billuart (2) - est id quod a potentia vel habitu attingitur quidem, non tamen ratione sui sed ratione alterius. Obiectum formale est id quod a potentia vel habitu attingitur ratione sui, et ratione cuius caetera attinguntur. In obiecto formali duplex ratio debet distingui: ratio *quae*, et est ipsa res quae attingitur, et dicitur obiectum formale *quod:* et ratio *qua* seu *sub qua*, et est id quo mediante ratio *quae* attingitur, et dicitur obiectum formale *quo* seu *sub quo:* ita ut ex hac duplici ratione *quae et qua* integretur obiectum formale quod est specificativum potentiae vel habitus. Sit exemplum in potentia visiva: obiectum eius materiale est corpus: formale *quod* color: formale *quo* lux; formale specificativum coloratum lucidum ». Clarioribus forsitan verbis dicamus: Materiale obiectum scientiae est materia universa, quae a scientia atque ab eiusdem scientiae studioso investigatur. Obiectum formale *quod* est specialis adspectus sub quo materia scientiae a studioso investigata menti sese offert, quique a mente in universa materia illa, speciali ratione discooperitur. Obiectum formale *sub quo* est norma vel criterium quibus scientia atque scientiae studiosus diriguntur (1) tum circa materiae universae investigationem, tum circa materiae specialem adspectum discooperiendum.

(1) *Enarr. in Psal.* XXXVI Serm. 3, n. 6. *Tract. II in Ioa.* n. 14. — (2) *Cursus Theol.* vol. I, Diss. prooem. a. 5.

***

Angelicus Doctor (2) circa Theologiae obiectum, quorumdam theologorum sententiam affert qui « attendentes ad ea quae in ista scientia tractantur, et non ad rationem secundum quam considerantur, assignaverunt aliter materiam huius scientiae; vel res et signa, vel opera reparationis, vel totum Christum, id est, caput et membra; de omnibus enim istis tractatur in ista scientia, sed secundum ordinem ad Deum ». Sententiam vero suam manifestat per verba haec: « Deus est subiectum huius scientiae. Sic enim se habet subiectum ad scientiam, sicut obiectum ad potentiam vel habitum. Proprie autem illud assignatur obiectum alicuius potentiae vel habitus, sub cuius ratione omnia referuntur ad potentiam vel habitum; sicut homo et lapis referuntur ad visum in quantum sunt colorata; unde coloratum est proprium obiectum visus. Omnia autem tractantur in sacra doctrina sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium et finem. Unde sequitur quod Deus vere sit subiectum huius scientiae. Quod etiam manifestum fit ex principiis huius scientiae, quae sunt articuli fidei, quae est de Deo. Idem autem est subiectum principiorum et totius scientiae, cum tota scientia virtute contineatur in principiis ».

Billuart (l. c. a. 5) circa Theologiae obiectum ponit tres propositiones. Prima propositio est: « Obiectum formale *quod* Theologiae est Deus sub ratione Deitatis ». Ratio est quia « Deus ut Deus, est id quod principaliter et ratione sui attingitur a theologia, est enim, ut dictum est, sermo seu consideratio de Deo; et ratione illius cetera in ea quaeruntur et tractantur; quae enim tractantur in theologia, vel sunt ipse Deus, vel dicunt ordinem ad Deum, sive ut proprietates ad essentiam, sive ut media ad finem, ut sunt actus humani, virtutes, Incarnatio, sacramenta, etc. ».

Secunda propositio a Billuart statuta est: « Obiectum formale *quo* Theologiae est divina revelatio virtualis et mediata ». Ratio est, « quia sub illa ratione et ea mediante attingit quaecumque tractant de Deo, sicut mediante luce visus attingit quodvis corpus coloratum ».

Tertia propositio est: « Obiectum materiale adaequatum Theologiae est omne quod cadit sub divina revelatione virtuali et mediata ». Ratio est, quia « theologia potest attingere et contemplari omne ens ratione Dei, quatenus subest revelationi virtuali et mediatae ».

P. Ianssens (3) circa Theologiae obiectum sequentia habet: « Quum supra viderimus, obiectum formale sa-

(1) Cf. MERCIER, *Philos.* vol. 1-4, Nota 2. « *L'objet matériel d'une science est la chose qu'elle étudie considérée indeterminément. L'objet formel est l'aspect spécial sous lequel la chose se présente au regard de l'esprit* ». — (2) 1. p. q. 1. a. 7. — (3) *Praelect. de Deo uno* 2. q. 1. a. VII in corp. et in nota.

crae doctrinae esse Deum, et omnia uti ad Deum ordinantur, lumine revelationis cognita, sequitur subiectum sacrae doctrinae esse proprie Deum, et omnia alia propter Deum... In theologia ratio *quae* est ipsa Deitas et alia omnia in ordine ad Deum...; ratio *sub qua* est lumen revelationis divinae ».

P. Pesch (1) ait: « Obiectum formale Theologiae est verum demonstrabile ex revelatione divina publica; obiectum autem materiale est, quidquid ex hac revelatione cognosci potest. Hinc apparet differentia inter theologiam naturalem et supernaturalem, quae habent idem subiectum: Deum. Theologia enim naturalis de Deo agit, in quantum Deus ex mundo adspectabili et ordine naturali cognoscitur. Theologia autem supernaturalis ab ipso Deo loquente discit, quae de Deo tradit; illa nititur revelatione Dei naturali et improprie dicta; haec revelatione Dei supernaturali et proprie dicta ».

Prof. Specht (2) scribit: « Obiectum principale Dogmaticae Deus est, vel in se vel in activitate sua ad extra. In primo casu consideratur eius essentia eiusque trinitas, in secundo consideratur uti Creator, Salvator, Sanctificator, Consummator ».

***

Sententiae quas retulimus claritate aliquantulum deficere nobis videntur. Demus igitur circa Theologiae obiectum huiusmodi responsiones:

a) Obiectum materiale Theologiae est *doctrina catholica*. Nomine siquidem materialis obiecti scientiae intelligitur materia universa, quae a scientia atque a scientiae studioso investigatur. Modo Theologia ac ipse Theologiae studiosus *doctrinam catholicam* investigant, quae propterea obiectum materiale Theologiae est. Hic unum animadvertendum placet, doctrinam videlicet catholicam in Symbolo contineri, atque per quatuordecim articulos exprimi, quorum septem pertinent ad Divinitatem, septem ad Humanitatem Iesu Christi. S. Thomas (3) circa articulorum Fidei enumerationem ita se exprimit: « Circa maiestatem autem divinitatis tria nobis credenda proponuntur: primo quidem unitas divinitatis, et ad hoc pertinet primus articulus; secundo trinitas personarum, et de hoc sunt tres articuli secundum tres personas; tertio vero proponuntur nobis opera divinitatis propria, quorum primum pertinet ad esse naturae, et sic proponitur nobis articulus creationis; secundum vero pertinet ad esse gratiae, et sic proponuntur nobis sub uno articulo omnia pertinentia ad sanctificationem humanam; tertium vero pertinet ad esse gloriae, et sic proponitur nobis alius articulus de resurrectione carnis et de vita aeterna. Et ita sunt septem articuli ad Divinitatem pertinentes. Similiter etiam circa Humanitatem Christi ponuntur septem articuli, quorum primus est de incarnatione, sive de conceptione Christi; secundus de nativitate eius ex Virgine; tertius de passione eius, et morte, et sepultura: quartus est de descensu ad inferos; quintus est de resurrectione: sextus de ascensione; septimus de adventu ad iudicium; et sic in universum sunt quatordecim ».

(1) *Instit. Propaed.* §. 2. — (2) *Dogmatik I. B. Einleitung*, 2. — (3) 2-2ae q. 1. a. 8.

b) Obiectum formale *quod* Theologiae est Deitas. Obiectum enim formale *quod* scientiae alicuius, est specialis adspectus sub quo materia scientiae a studioso investigata menti sese offert, quique a mente in universa materia illa, speciali ratione discooperitur. Sed specialis adspectus sub quo doctrina catholica, quae materia est Theologiae, menti eiusdem Theologiae studiosi sese offert, est Divinitas; pariter adspectus qui a Theologiae studioso in doctrina catholica discooperitur est Divinitatis adspectus. Ergo Divinitas est obiectum formale *quod* Theologiae. « Omnia - inquit Angelicus (1) - tractantur in sacra doctrina sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum ut ad principium et finem ».

c) Obiectum formale *sub quo* Theologiae est lumen divinae revelationis. Nam obiectum formale *sub quo* scientiae est norma vel criterium quibus scientia atque scientiae studiosus diriguntur tum circa materiae universae investigationem, tum circa specialem adspectum materiae illius discooperiendum. Sed in scientia theologica studiosus tum circa doctrinam catholicam tum circa specialem adspectum qui discooperitur in ea, et qui menti sese offert, dirigitur lumine revelationis divinae. Ergo lumen divinae revelationis est obiectum formale *sub quo* Theologiae. - « Propria - inquit Angelicus (2) - huius scientiae cognitio est quae est per revelationem, non autem quae est per naturalem rationem ».

Animadvertendum est cum eodem Angelico (2) Theologiam inniti « revelationi Apostolis et Prophetis factae qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si qua fuit, aliis Doctoribus factae ».

***

Theologia igitur vere et proprie scientia dicenda est, scientifica eiusdem methodus est retinenda, ad scientificum ordinem pertinet eius obiectum. Concludere propterea necesse est, errare Modernistas dum propositionem 13am Syllabi a Pio IX damnatam iterum proclamant, methodum scilicet et principia, quibus antiqui Doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruere. Errare rursus dum proclamant Theologiae studium esse veluti inutile pondus relinquendum. Deus enim de quo Theologia agit, - prouti S. Augustinus (3) scribit - « causa institutae universitatis, lux percipiendae veritatis, et fons bibendae felicitatis » est.

Friburgi Helvetiorum.

P. Reginaldus Fei O. P.

(1) S. sp. 1. 7. — (2) Ib. a. 8. ad 2. Cf. Fei Theol. Dogm. Vol. I. n. 4. — (3) *De Civ. Dei* l. 8. c. 10 n. 2.

Iniuriarum remedium est oblivio.

Senec., *Ep.*, CVIII, 9.

Quid Sacerdotes debeant de Arte scire

Sacerdotes sunt magistri in Israel, idest doctores in populo Dei. Oportet igitur eos nedum sacras disciplinas edoctos, verum etiam omnibus illis notionibus, quas communiter laici possident, imbutos esse. Inter huiusmodi notiones illae eminent, quae, licet profanae, tamen sacras disciplinas attingunt, uti notitiae de historia naturali, de physice, de philologia, at praesertim de artibus. Quum plures de opportunitate cognitionis profanarum disciplinarum in sacerdote omnibus temporibus loquuti sint, et ex adverso perpauci magnam utilitatem, imo necessitatem cognitionis artis in sacro ministro ostendere curaverint, hanc secundam thesim breviter demonstrare opportunum censui.

***

Quid autem est ars? Ars obiective considerata est systema regularum ad certas operationes explendas directarum. Subiective considerata dici potest: habitus practicus regulas ad actionem applicandi.

Artes, aliae serviles aliae liberales sunt, prout in ipsarum exercitio corporis vires vel animi facultates praevalent. Artes serviles italice *mestieri,* liberales *arti* simpliciter appellantur. Hae aliam divisionem secundum obiecti diversitatem patiuntur: quaedam enim ad verum diriguntur (grammatice, rhetorica, logica, etc.) aliae ad bonum partiale vel totale hominis, uti arithmetica, medicina, ethica; aliae denique ad pulchritudinem, unde artes pulchrae, seu bonae artes vocantur.

Ex quibus tres, architectura scilicet, sculptura, pictura, oculum delectant; una, musices, ad aures dirigitur; una denique phantasiae loquitur, poësis.

De his praecipue, videlicet de bonis artibus, hic sermo erit, quum ceterae fere omnes a sacris ministris plerumque ediscantur. Bonae artes eo sunt nobiliores, quo simplicior et minoris magnitudinis est res materialis ad opus pulchrum efformandum adhibita: hinc ipsarum series iuxta progressivum nobilitatis gradum haec statui potest: architectura, sculptura, pictura, musice, poësis.

In suis operibus artificem duos fines sibi proponere necesse est; directum unum et proximum; alterum indirectum et remotum.

Finis directus pulchritudo est, et consequenter delectatio admirativa exinde oriens; quapropter artifex non est, qui non ad pulchritudinem, sed ad scientiam tendit. Sed quia humanum omne delectamentum rationi conformari debet, et bono hominis reali, idest bono honesto, subordinari oportet, ita artifex veluti finem indirectum et remotum suorum operum bonum morale habebit, idest vel honestam animi recreationem vel interiorem hominis perfectionem, cuius animus per bonas artes elevatur et nobilitatur. Dicit enim Doctor Angelicus: « Omnes scientiae et artes ordinantur ad unum, scilicet ad hominis perfectionem » (*Prooem. Metaphysicae Aristotelis)* et Augustus Conti: « Ars est ad pulchritudinem; at pulchritudo ad verum et bonum » (1).

(1) *L'arte è per la bellezza, ma la bellezza è per la verità e per il bene.* (A. Conti. *Il bello nel vero*, vol. I, pag. 137).

Iam elucet quam maxime conveniat sacerdoti cognitio bonarum artium, quum ipsius munus sit animos hominum ad veri pulchri et veri boni cognitionem adducere. Sed idipsum magis apparebit si singillatim bonae artes considerentur, si variae ipsarum manifestationes perpendantur, si regulae denique ipsas artes moderantes breviter exponantur.

***

De architectura. — Architectura est ars, quae aedificando ad aedificii pulchritudinem praecipue tendit. Quum aedificium vel privata domus, vel publicae aedes, vel sacrum templum esse possit; hinc architectura in privatam, publicam, sacram distinguitur. Architectura sacra ceteris antecellit eo quod, sicut omnium bonarum artium, ita etiam architecturae excellentissima inspiratrix religio nunquam non fuit.

Revera maximae architecturae manifestationes inter religiosa monumenta, praecipue a christiana fide inspirata, requirendae sunt.

Nam christiana religio praeterquam quod in suas basilicas classicos conceptus opportune mutatos induxerit, novos, et quidem pulcherrimos, invexit.

Huiusmodi sunt sublimes illae « styli byzantini » formae, item « styli longobardi », ac praesertim « styli gothici » productiones: templa enim hunc stylum praeseferentia, propter pinnacula altissima et sublimia, propter arcus ex acuto vertice, propter polychromas fenestras animum rapiunt et ad caelestes cogitationes facilius extollunt.

Praeterea novas partes ars christiana templo addidit: baptisterium, turrim campanariam, tholum. Inde apparet quanta inter religionem et architecturam relatio intersit; ideo sacerdotem etiam leges aestheticas architecturae cognoscere opportunum videtur.

Ad pulchritudinem autem in architectura obtinendam, quadruplex requiritur harmonia. Imprimis harmonia inter varias lineas *(eurithmia)* absque torsionibus vel interruptionibus, adeo ut partes cum toto aequam proportionem habeant, et visionem unicam et gratam oculo praebeant. Secundo harmonia inter ornatus (coronas, interpensiva, denticulos, fascias, zophoros, picturas, statuas, anaglypta) et aedificii massam, adeo ut illi non ut res inutiliter superpositae, sed ut decora ornamenta appareant.

Requiritur tertio harmonia inter formam aedificii et eius positionem, itemque inter formam aedificii atque eius usum. Ita parva domus, quae castelli formam praeseferat dicta harmonia caruerit; atque idem defectus haberetur si magnum conclave ad profanum usum exstructum sacri templi formam exhiberet.

Quarto harmonia partium cum stylo aedificii exigitur. Exempli gratia ordo doricus sepulcris convenit; corynthius aedibus elegantia et splendore refulgentibus.

***

De sculptura. — Sculptura anterior pictura fuit, ita ut silices et ossa ab hominibus praehistoricis insculpta inveniantur. Ab Augusto Conti definitur: « Ars qua humana figura ad scopum pulchritudinis solide repraesentatur ». Saepe humanam figuram aliae statuae (equo-

rum, leonum, hominum) comitantur, sed semper harmonice ad illam.

Innumera et magnifica opera sculpta christiana religio inspiravit; in Italia praesertim in omni fere civitate aliquod sacrum monumentum inaestimabilis valoris invenitur.

Regulae seu leges, quae sculpturam moderantur, fundamentum ex triplici harmonia repetunt, unde pulchrum exsurgit. Hinc requiritur: 1°) harmonia omnium partium figurae cum figura ipsa; 2°) harmonia exterioris formae cum statu psychologico in quo verisimiliter persona insculpta invenienda est; 3°) harmonia (si plures statuae sint) omnium figurarum cum idea artificis.

***

De pictura. — Pictura definitur: « Ars pulchri quae hominis formam ac statum psychologicum, nec non naturam visibilem qua ille circumdatur per superficies planas retrahit ».

Hinc deducitur actionis campum in pictura valde ampliorem quam in sculptura esse; plura enim pingi possunt, quae sculpere non licet; ex. gr. pulchritudines naturales, quae circum homines stant; item momenta historica, campestres visiones, etc.

Leges quae picturam gubernant naturam exteriorem repraesentantem sunt: 1°) Pictor subiectum inter pulcherrima quae a natura exhibentur eligat; 2°) Repraesentatio sit fideliter ex vero detracta etiam in particularibus (ex gr. motus in undis maris).

Si autem vita humana in pictura exhibeatur, tunc artifex statum psychologicum interioris animae exterius fidelissime et verisimiliter exprimendum curabit. Quod insuperabili manu magnifice expressit Leonardus a Vinci quum ultimam Christi coenam repraesentavit; qua in tabula omnis persona, ut optime cecinit vates,

il cor negli occhi e nella fronte ha scritto.

Mirabilis quoque est affectuum expressio apud pictores italicos, qui sec. XIV et XV vixerunt, et tot imagines sacras pictis tabulis tradiderunt; in primisque Cimabue, Giotto, Frater Angelicus, pluresque alii.

***

De Musice. — Musice est ars affectus exprimendi ac movendi per rythmicam sonituum diversorum dispositionem.

Inter bonas artes ad affectus excitandos maxime idonea est, et consequenter tum corrumpere mores tum bonas cogitationes provocare potest. Ita factum est ut educatricem musicen habuerint viri clarissimi, Plato, Aristoteles, S. Augustinus, Severinus Boetius, S. Thomas, S. Carolus, S. Philippus Nerius, S. Ioseph Calasanctius. Imo semper ad religiosum sensum excitandum cantus et sonitus adhibiti sunt, officium quod est nobilissimum musicae sacrae.

Musica sacra, « amica templi », ut ait Horatius, profana forsitan antiquior est, quippe qua populus Israel, iam a tempore, quo terram Gessen incolebat, usus est. Id ex *Exodo* colligitur, quum Moyses post transitum Maris Rubri sublimem illum hymnum canere incepisset: « Cantemus Domino; gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem deiecit in mare »; quem statim soror eius Miriam, et aliae mulieres cum tympanis decantaverunt.

Christiana religio iam ab initio nobilissimos affectus exprimendi cum cantu necessitatem persensit: hinc cantus ille, postea Gregorianus appellatus, originem duxit, qui, licet severus, tamen sublimis consistit; postea vero organi sonitus et cantus polyphonicus inducti sunt.

Hodie autem in Seminariis fere omnibus cantorum scholae et musices exstant, ut alumni qui ad sacrum ministerium vocantur hac arte iucundissima, animi educatrice insigni, sufficienter imbui possint.

***

De poësi. — Poësis est ars phantasticos sensus creandi atque potentes imagines, easque exprimendi ac vivificandi verbis essentialiter harmonicis, ope rythmi.

Regulae poësis sunt: ut, 1° poëtica cogitatio aliquid novum et elevatum ostendat; 2° ut compositio poëtica phantasiae loquatur; 3° ut elocutio sit electa, ornata, harmonica.

Poësis plures habet species, inter quas eminet poësis religiosa, quae, sicut musica sacra, animos ad pios sensus et ad honesta patranda inflammat. Omnibus temporibus apud omnes populos, et praecipue inter Christianos, excellentissima carmina sacra composita sunt, ac persaepe in sacris conventibus vel processionibus decantata.

***

Ex iis quae hucusque protulimus, liquet quanta sit inter religionem et bonas artes connexio, et quantum intersit sacerdotes notionibus de bonis artibus praeditos esse. Quasdam perhibuimus atque insinuavimus regulas ad bonas artes exercendas et iudicandas idoneas; non tamen ea mente, ut tractatum de arte exhiberemus, sed ut omnibus, ac praecipue sacerdotibus, persuaderemus facili et delectabili studio unumquemque sufficientes cognitiones de arte sibi comparare posse.

Permultae enim adsunt occasiones, in quibus sacerdos se notiones de arte habere opportunum videt. Ita, exempli gratia, si agatur de templo exstruendo, de sculpturis vel picturis in templo collocandis; saepe insuper in sacris aedibus insignia artis opera asservantur et custodes sunt presbyteri, vel monachi. Atqui non semel accidit, ut aliquis sacerdos, cui alicuius templi cura commissa erat, ob sufficientis scientiae defectum pretiosam sculpturam vel picturam, vel aliud rarum opus perdiderit (1).

Quopropter optabile est, ut in singulis Seminariis, sicut scholae musices habentur, ita praelectiones de bonis artibus adolescentibus tradantur. Quod si hoc nullatenus fieri possit, curent saltem sacerdotes libros vel ephemerides de bonis artibus tractantes sibi comparare. Huiusmodi studia, ceu complementum eruditionis ecclesiasticae censeri debent, et ideo clerici, qui theologica studia per legales disciplinas complere cupiunt, optime agent, si eodem tempore etiam illis utilibus notionibus propriam mentem ornare curaverint. Hoc autem spe-

(1) Confr. librum Episcopi Niedzialkowski *Snopek Kakolu.*

ciali modo ad sacerdotes illos clericosque pertinet, qui Romae in universitatibus studiis superioribus vacant. Roma enim, innumerabilium monumentorum insigniumque operum custos, locus maxime idoneus est ubi clerici notiones de artibus acquirere possint. Iam a paucis diebus in alma Urbe hospitium patet sacerdotibus Polonicae nostrae nationis, qui studia sua perficere cupiant, sicut aliae domus exstant pro sacerdotibus ceterarum nationum. Hoc modo presbyteri qui nedum doctrinas proprie sacras, sed etiam auxiliares alias notiones, inter quas de arte, didicerunt, quum in patriam revertantur et in Seminariis doctores eligantur, clericis, qui Romam non petunt, propriam doctrinam communicabunt magnumque emolumentum clero, Ecclesiae, animabus afferent.

D.r W. Nejmak
Presbyter polonus.

DE RE LITTERARIA APUD SUBALPINOS (1)

Operis conclusio

Si spatium postremi nuper elapsi saeculi vel obiter respicias, iam illud tibi facile occurrit, Subalpinos nostros nihil intentati reliquisse studio, sedulitate, animique constantia, ut cum ceteris nationibus in contentionem de primatu descenderent in omnibus, quae ad commercia atque ad artes pertinent. Quo facto Italia, quae usque ad nostra tempora apud omnes gentes ad mansuetiores artes tantummodo, et in primis ad poësim nata esse credebatur, novis officinatorum inventis inclaruit, tabernas aperuit, in quibus paullo ante externi modo populi percrebrescere videbantur. Adventantibus autem novis inventis, nova quoque adhibita sunt rerum instrumenta; et Italia commerciis studet quae in immensum terra marique crescunt, et *chimicae* in primis atque electrici officinae parantur, novoque rerum ordine vel agri reviviscunt, unde ipsi boves, ut Vergilii carmen mutuem, fertilitaten admirati: « contenta cervice trahunt stridentia plaustra » !

Ad omnia enim adhibetur ignis ille electricus, patribus nostris vix cognitus, adnitente praesertim **Galilaeo Ferraris.** Hic, domo Vercellis, maximo ingenio pollens, florente adhuc aetate, in dies vel pro re nata in schola, plaudentibus saepe discipulis, ad mira semper inventa feraciter in electrico igni progrediebatur, praesertim in agricolarum adiumentum. Quum omnes iam magna atque incredibilia de viro in proximum portenderent, improvisa morte perculsus, spem civium intercepit.

Clarissimo viro in media urbe, Subalpinorum capite, statua acre confecta paullo ante posita est. Sed eius vestigiis alacres iuvenes insistentes, alii alio modo ad immortalitatem adgrediuntur.

Haud semel hospiti, sub porticu archigymnasii Taurinensis deambulanti, homo obvius est viridi adhuc senecta, qui inter multorum adolescentium frequentiam, gravi incessu procedit, salutantibus hilari vultu subridet, omniaque bona auspicatur, et ultro magno discipulorum numero stipatus, ad scholam ingreditur. Scisne, candide lector, quis sit homo ille grandaevus, et quo nomine adpelletur? **Iosephus Allievo** hic est, domo Sancto Germano in agro Vercellensi, qui abhinc qiunquaginta et amplius annos disciplinam illam cum honore tradit, quae puerorum mentes ad humanitatem atque ad sapientiam informare consuevit, et recentiori vocabulo e graeco fonte depromto, *Paedagogia* adpellatur. Hic unus ex universa antiqua nostrorum philosophorum familia, veluti e communi naufragio, ad nos pervenit, et integer mente, doctrina, quamquam octogenario maior, etiam nunc discipulos erudit, eosque ad Italam germanamque scientiam ducit. Quot discipulorum generationes vidit ipse et docuit! Complura quoque volumina perspicuitate illustria edidit, quae doctorum manu hodieque teruntur. Ut vigilans disciplinae miles, quotiescumque hostis inter suos errores disseminare coepit vel occulte vel publice, illico invenili admodum confidentia eum adgreditur, et philosophicis placitis innixus, sanctis voluminibus depromtis, superior excessit. Namque improborum mendacia, vel deliramenta in medium facile refert et eorum mentis ambages insigniter detegit. Mirum quot iuvenes ita e tramite perversitatis vel reduxit, vel retraxit! Fusius de homine dicerem et de caeteris etiam dicerem, nisi tempus adesset, quo denique narrationibus meis finem imponam. Sit igitur

SALUTATIO

Poëta clarior, carmine notissimo, (1)
Puellum depingit lentis qui cruribus
Procedit ultra, lucibus sed avidis
Ludos relictos quaerit et desiderat.
Et ista, semper quae pictura placuit,
Placebit omne per tempus in posterum,
Est lippis nota cunctis et tonsoribus.
Huic sum similis puello ego senex!
Ad ultimum laetus finem quum pervenerim,
Subalpinarum rerum quas in litteris
Tu'ere Caroli principis tempora
Eiusque Filii, transacto seeculo,
Viros, qui magno floruere ingenio,
Decus fuerunt ornamentum patriae,
Et omnes perperis descripsi paginis,
Adhuc admiror et memoria colo!
Ipsos et video gratulantes oculis,
Mihique gratias acturos manibus,
Suis quod iterum viventes posteris
Latinis reddidi festivus litteris.
Virorum series fuit quae longissima!
Sed et complures abdidi silentio,
Vel inter tempo.is spatium parvuli.
Quot rerum cursus, gloriaeque copia!
Adest poëta vividis coloribus,
Adest historicus, sententiis gravis,
Suum sed redolens, proh! dolor, saeculum.
Orator aures teretes qui vellicat
Latino, italico more et vernaculo.
Adest minister cuncta supercilio
Regit, gubernat, dominatur impotens.

(1) Cfr. num. sup.

(1) Vide, sis, Carmen illud immortale quod Vincentius Monti composuit, cui est titulus: *La Basvilliana*. Canto I. *Di ritroso fanciul tenendo il metro*, etc.

Et omnes dicunt singulari eloquio
Quidquid in terris tetigit mortalia
Et usque pulchre, molliter, commodius.
Fuit qui mentes docuit philosophus,
Fuit puellos qui educavit naviter,
Sed illa semper praeditus sapientia,
Magister Iesus sancte quam tradiderit.
Eiusque rectis haeret mordicus placitis,
Nihilque in pueros dixit perniciem.
Ut omnes ita se gessiss nt pervelim!
Forent ingenii virtute praediti,
Queis laudatur Subalpina natio,
Plures et plures, gloria dignissimi,
Premo coactus tristi quos silentio.
Ut ipsi, mea brevitate nimia,
Mihi dent, postulo, volentes veniam!
Avete, magni Subalpini Spiritus,
Nepotes crescant, vestro patrocinio,
Religione maxime et ingenio.

SUBALPINUS.

DE S. GREGORII NAZIANZENI EPIGRAMMATIS
AD MATREM
(Cfr. num. sup.)

Sanctitatem Nonnae Gregorius depicturus, eam scilicet sublimiorem virtutem, qua posset mater, vigiliis indulgens, assiduas preces effundere, totumque templum suis implere suspiriis, nequibat Gregorius in suis carminibus hunc praecipuum laudis gloriaeque titulum omittere: filii enim magnopere intererat matrem in templo orantem, mortuam repraesentare, ut ii qui legerent, reverentiam praestarent, nomenque eius sanctissimarum mulierum numero adscriberent. Ecquid fieri poterat dulcius suaviusque? Hinc illa quae saepe offendis dicta: « Haec sacra mensa divinam Nonnam ad Deum transmisit »; « cippus tibi mellitae mortis haec mensa »; « in templo mortua est orans »; « in caelum hinc sublata est prece e media »; « orantem pure membris ac mente »; « obtulisti... novissime animam precis »...

Non defuerunt qui poëtam magnopere incusarent quod unam eandemque rem tot diversis Epigrammatis versavisset, pietatemque in matrem e templo in caelum sublatam, pluribus carminibus diluisset. Mihi vero longe alia mens est, magisque Muratorii sententiae sum, qui arbitratur amorem in eam tam variae carminum copiae causam dedisse, ac pergit: « Accedit fecunda scriptoris vena, ex qua fluere nullo negotio poterant tam diversa poëmata. Et postremo non male forsitan calculos ponemus coniciendo pleraque ex his carminibus non in eum finem composita ut omnia vulgarentur; sed qualia ex opulento ingenio tumultuarie exciderant, in tabellas relata ad nos pervenisse ».

***

Restat ut pauca dicamus de quibusdam ex litteris divinis comparationibus petitis, deque magno Nazianzeni odio in fabulas veterum fictas. Nonna longe praestat Sarae sapienti, quae dilectum maritum coluit, duabusque in sanctis libris celebribus Annis, quarum altera per preces filium carum peperit eumque templo purum famulum dedit; altera vero Christum magnum sinu complexa est (LXXXV). Nonna nunc inter pias mulieres excellit, Susannam, Mariamque et Annas, columen mulierum (LXXXVI). Ut Sara quae liquit Isaac, cupiens quam celerrime in Abrahae sinum deferri, quomodo potuit Nonna natum suum linquere? (CVI). Fides transtulit Enochum et Eliam; sic Nonna mater ab humanis translata abiit, viventiumque oculis erepta est (CVIII). Obtulit Deo Abrahamus filium, ita et filiam inclitus Iephtes; Nonna vero castam vitam ac semetipsam per proprias preces... (CX). Curru quidem igneo Elias in caelum ascendit; Nonnam orantem spiritus suscepit magnus (CXVI)...

Hercules, Empedotime, ac Trophonie, temperate fabulis, tuque, infidum Aristaei supercilium vana iactantis! Vos quidem mortales..., Nonna autem Christifera... ac mundi contemptrix, caelestem in currum insiluit... (LXXXVI). Empedocles, qui frustra superbiens in Aetnae caminum praecipitem dedisti te, ne quod corporis vestigium superesset, crateres mortalem ostenderunt. Nonna vero crateres non insiluit; sed altari supplicans sublime attollitur...

Quibus temporibus vixit Gregorius, non desinebant Ethnici nebulones istos magno in pretio habere, scilicet Herculem, Empedotimum, Trophonium... qui - omnibus notum est - ut divinitatis famam apud mortales quaererent, atque in eam opinionem venirent ut in caelum rapti esse existimarentur, in subterraneos quosdam specus sese iniecerunt et illic fame oppressi atque exstincti sunt...

Nazianzenus, ut par erat, vehementer eos aggressus est, nec desunt orationum loci (vide orat. *I in Iulianum*), in quibus is iracundia exardescat et quasi armis cum hoste decertet. Ceterum, nonne aperte affirmat (in lib. II *Carminum*, 1, 39) se haec quae sunt de moribus ac religione poëmata, ad eum finem composuisse, ne cui rei Gentilium Christiani inviderent? Nonne in epigr. CCXVII ludibrio habet Heliconiadas musas et lauros et tripodum furores, quibus nugis fabulisque ethnici poëtae sua carmina inspergere solebant?

Erasmus de Gregorio Nazianzeno hanc opinionem habuit: « In Gregorio Nazianzeno pietas propemodum ex aequo certat cum facundia... », ac Psellus (in epigrammate quodam): « Mellifluos dulci protulit ore sonos ».

Quod vero ad carmina spectat, quae a nobis utcumque examinata sunt, nihil audeo prorsus iudicare: id unum affirmo, ea mihi saepe in mentem libenter revocasse, vel potius me coegisse ut, aestivis feriis, proxime elapsis, nimio cum gaudio ac sincera animi perturbatione, illud suavissimum *Albinii* carmen lectitarem, matri suae inscriptum, quo nescio quid dulcius, concinnius, mollius teneriusque italae Camenae aetate nostra unquam dictaverint.

Legant alii ac meditentur, si quid otii est, quanta sit pietas in matrem immature functam, quanta verborum elegantia, quanta intimarum cogitationum simplicitate scateant versus, qui privatarum denique recordationum calor eos fuse pervadat et animet!

MARCUS GALDI.

EX ITALIS URBIBUS

De "Cetaria" pago nuper aquarum eluvionibus direpto.

Quum hisce proximis diebus universa Italia vehementer commota sit ob magnam violentamque tempestatem, quae cum ingenti fragore tonitribusque coorta, amoenissimas plagas prope litus Amalphitanum theatrali modo inflexas ac protentas evertit et fere subruit ab imo, haud erit abs re huius Commentarii lectores pauca de Cetaria admonere, eo magis quod hic pagus, terrifica calamitate percussus ac rabie fluvialis aquae direptus, miserrimum nunc suarum reliquiarum spectaculum praebeat.

Quae autem tabulae photographice expressae, descriptionem hanc comitantur illustrantque, fortasse, ut spero, melius irreparabilis ruinae gravitatem oculis subicient. Vera hic referuntur: meis ipse oculis locorum vestigia spectavi, quae adeo me dolore affecerunt ut etiam nunc, dum scribo, animo succumbam.

Cetaria parvus est piscatorum tractus qui in mari recumbit; sed sese ascendens per adversos clivos explicat, qui alti praeruptique impendent ac veluti testudinatum locum cingunt. Aquae e fastigio montium cadentes, in praecipitem quemdam torrentem colliguntur qui per medium pagum fluit et in mare effunditur. Huius aquarum ductus prope margines Cetaria cum suis non superbis sed pulchris discoloribusque aedificiis condita fuerat. Hinc facile est autem intellectu, torrentem imbribus auctum, qui magni densissimique caderent ex alto, silicibus, truncis, saxis ac limo commixti, quum eos continere non posset, ruptis aggeribus alveoque superato, vastationis et mortis ubique causam fuisse. Nam undae minaces omnia receptacula invadunt, templa, casas funditus evellunt, obstruunt aditus, viasque sub immensis lapidum cumulis cooperiunt... His praepositis, pauca de historia pagi addamus.

Ac primum de « *Cetaria* » nominis origine.

Sunt qui censeant ita appellatam esse a magno quodam pisce, in litus proiecto, qui vulgo « cetus » (*cet s*) vel « cete » dicitur. Alii vero a multis piscatoribus denominant qui, quum magnos quoslibet pisces capiant ac vendant, « cetarii » appellantur.

Ex his duobus etymis, alterum reicimus, utpote a vero abhorrens; alterum autem facile probamus, quod prisci maritimorum incolae, ut nos Forcellinius admonet, pisces plerumque captaverint et venditarint. Quod si his recte incolis « cetarii » nomen congruit, etiam pago, ubi huiuscemodi piscatorum ministerio homines funguntur, « Cetaria », vel « Cetariae », corrupte *Cetara*, nomen est. Si enim « cetaria » piscinae sunt, seu vivaria, in quibus magni pisces aluntur, ecquis dubitabit, ita Cetariam appellatam esse a piscinis, quae etiam nunc magnificos ingentesque quosdam thynnos alant? (1)

Fuit olim pagus barbarorum sedes et quasi latibulum: quo tempore aedificatus fuerit, parum liquet: non desunt vero qui iam inde ab anno 455 p. Chr. n. exstitisse affirment. Labente saec. IX Saracini, ex alto invecti, hoc loco potiti sunt pluresque annos tenuerunt, ut incertus auctor Salernitanus edocet. Eorum enim colonia anno 878 occupavit habuitque usque ad a. 1016, qua aetate Salernum urbem aggressa est. Erat tunc princeps urbis Guaimarus III.

Interea incolae pagi, utpote Saracinorum incursionibus obnoxii eorumque ad omnes ictus expositi, iniquissima fortuna utebantur. Non defuerunt postea maritimi praedones; quin immo a. 1533 tunisinus ille praedo cui nomen fuit *Barbarossa,* Cetariam introivit, trecentos homines cepit multosque obtruncavit, ita ut plerique Neapolim confugere coacti sint. At paulo post Carolus V imperator magna cum classe in Tunes venit, praedonem regem vicit stipendiariumque fecit ac multos captivos liberavit, in quibus etiam Cetarienses.



Cetariae pagi prospectus, ante eluvionem.

Pagus autem usque ab a. 1120 in dicione reipublicae Amalphitanae fuit, quo tempore Wilhelmus Normannus dux proximo monachorum Erclensi coetui his verbis eum concessit: « *In n mine Domini... Ego Gulielmus*

(1) Cetariae, arum (cetaria, ae - subandi piscina -, cetarium, ii etc.) Κητεία, sunt loca stagnantia in litoribus maris, in quibus thynni et alii huiusmodi pisces capiuntur et saliuntur. Cfr. PLIN. *Hist. Nat.* 8, 43: « In cetariis Carthaginis garum e scombro pisce laudatissimum fuit »; HOR. *Sat.* 2, 5, 44: « *Plures annabunt thynni et cetaria crescent* ». — Qui ampliores velit de hoc nomine notitias, adeat FORCELLINI *Lexicon totius latinitatis*, quod iam supra memoravimus.

Dux... concedo tibi domino M stolo Venerabili Mon cho et Abati Monasteri etc. ». Deinde sub Abbatia Trinitatis cavensi fuit, quoad, ecclesiastica iurisdictione a civili secreta, ecclesiastice ad Amalphim, civiliter ad Cavam pertinuit. Olim, ac certo a. 1516, incolae praefectos cognitoresque Cavae suum syndicum rogaverunt ut suis legibus viverent nullique alieno imperio parerent; sed eorum preces repudiatae sunt. Nunc vero res aliter est.

Salernitani ac Saracini qui inter se continuis iurgiis ac maledictis certabant, cotidiana clade exanimati, foedus iunxerunt; sed illi non steterunt pactis ac rupto foedere Cetariam de improviso adorti sunt. Tunc barbari, quos primum stupor ob tantam perfidiam incessit,



Cetariae pagi pars eluvione maxime direpta.
(Photographice expressit F. Salgano, Cavae Tyrrhenorum).

scidulam iuncti foederis SS. Trinitatis sigillo obsignatam suspenderunt ensi, ac sumptis armis, eo acriter pugnaverunt ut hostes in fugam converterent, multis interfectis, vulneratis et in mare proiectis: quapropter Cetaria Salernitanorum sepulchrum facta est, apud quos nihil societatis fides sancti habuisset. Iidem Saracini, rebus prosperis inflammati, arma in Salernum tulerunt ac funditus everterunt ea loca quae praeter moenia erant; adeo ut gentes exterritae maluerint mori, quemadmodum incertus auctor dicit, quam vitam in tam dubia asperaque re ducere.

Non opus est hic lectoribus renuntiare, Cetariam patriam esse illius venerabilis Monachae, Ursulae Benincasa, quae sanctitate vitae et morum innocentia effulserit, quaeque a se denominatum monasterium Neapoli erigendum curaverit; quod vero a. 1656, sub saeva vi pestilentiae, perfectum est ac regio sumptu perpolitum.

Placet contra meminisse Cetarienses a Friderico Aragoniae, Ferdinandi regis filio, innumeris beneficiis privilegiisque cohonestatos esse, quod eum a Salernitanorum custodia dimisissent. Eventum refero, latine reddens quae Summontius in sua historia italice scribit:

In coniuratione quam barones regni contra Ferdinandum regem fecerunt, Fridericus cui summum imperium oblatum erat, quum eorum voluntati satisfacere noluisset, in vincula coniectus est, in quibus viginti ferme dies elanguit.

Tunc cuiusdam ope Corsorum ducis, quem princeps Salerni stipendiarium habebat, Mariotti Bocci, e carcere dimittitur.

Nam Bocci, quum eum muliebri veste texisset, persuasit aliis se perdite adamare: sic egredi iussit e Salerno, Grandenectoque Aulisio tradidit qui navi cursoria magna cum diligentia ac fide Neapolim abduceret.

Grandenectus autem qui, quamquam natus Cavae, tamen in Cetariae pago domicilium sibi constituerat, amplissime donis regiis decoratus est, ac Cetarienses pari modo benigne excepti sunt maximisque privilegiis donati, quae die XIV mensis Iunii, a. 1494, Alfonsus II rata fecit et auxit.

Elogium in Grandenecti sepulchro insculptum, quod legitur in pariete liminis Ecclesiae apostolorum principi dicatae, quodque male primum Mattheus Camera in sua historia *Della città e costiera di Amalfi* - Napoli 1836 - exscripsit, integre ac recte, quale est, a me nunc refertur:

Grandenèctus in hac Aulisius accubat urna,
Nobilis ingenii quem Çava blanda tulit.

Hic cum virtutem vitae sociasset honorem
Contulit in patriam grande decusque suam.

Namque Antonellus Princeps rectorque Salerni
Dum Regi inferret bella superba suo:

Captivum eripuit Federicum ex urbe Salerni,
Regni et primates consiliumque simul.

Mox fida solus cymba p r cerula vexit
Donec Parthenope reddidit incolumes.

Munere quo immunem fecit Fedricus Abatem
Ac natum et totam donat honore domum.

Qui velut est Christi semper bene sancta secutus
Dogmata sic caelo sit tibi tuta quies;

Cuius adest vitae virtus socia hospes eumdem
Post fatum sequitur gloria summa comes.

MCCCCLXXXXX.

Scripsi Cavae Tyrrhenorum Kal. Novembr. MCMX.

M. G.

Bona opinio hominum tutior pecunia est.

Publ. Syrus, *Mim.*

IN CETARIAE RELIQUIAS

Huc tristes elegi veniant.....

Heu nequeunt oculi tantam sufferre ruinam!
Pes cumulata nequit saxa per alta gradi!
Undique perniciem spectas: fragmenta domorum,
Vasa, trabes, tabulas, frustaque mixta luto.
Offendis passim dilapsa cadavera tabo:
Sunt pueri, nuptae, sunt iuvenesque, senes.
Sub lapidum cumulis dulcissima membra teguntur:
Sordida colluvies iam tenet arcta loca.
Effodiunt terram, vellunt coenosa parentes
Saxa, cavant molem, fletibus ora rigant...
Vanum opus! alta silex frangit molimina rerum:
Funereum bustum grandis acervus erit!
At quae dira manus mortem diffundit ubique?
Quae vires pago tergora sic lacerant?
Mox Amphitritis depellunt somnia cives,
Gurgite submergit cum fluvialis aqua.
Iam nox intempesta satis defluxerat imbri,
Cum veniens nigrat turbine spissa dies.
Ecce autem subitis concrescunt nubibus imbres,
Intremuit vallis, surgit ab axe fragor.
Ignea rima micat: genti radiisque sonoque
Protinus attonitae frigida corda rigent...
Iam iam praecipiti torrens devolvitur alto
Monte: vides quali murmure claudat iter!
Aggeribus tandem ruptis, effunditur ille
Ac rabie spumans, impete cuncta rotat.
Quo fugitur? dubiis quaenam spes blanda salutis?
In tanto lapsu mors furit atra minis...
Curritur en pagi nemorosa cacumina versus:
Non maris heu! proni litora turba petit!
Hic vero profugi merguntur funere tristi,
Nam lapidosa cadit, facta repente, strues...
Heu pereunt silicis lacerati pondere membra:
Mors vetat amplexus, suavia quaeque vetat.
Tecta labant passim, velluntur funditus aedes,
Clamores, lacrimas, spernit et unda minax!
Quae vidi! quantum movit me diruta moles!
Vix mea perniciem verba referre queunt!
Provida captabat laqueis Cetaria pisces,
Nec modice vivens deficiebat ope.
Aequoreo circum resonabant litora cantu,
Et pueros docuit lina parare senex.
Quos dum demulcent placide figmenta marina,
In ripa stratos occupat alma quies...
Quid nunc miraris? luctum monumentaque cladis:
Paupertas regnat, funera moesta, dolor.
Non cantu resonant orae, frustraque superstes
Advocat heu lacrimis tristis hebesque suos!...

. . . .

Huc adsta, tecum spectacula volve, viator:
Non poterat gravior casus adesse: dole.

MARCUS GALDI.

ACTA PONTIFICIA

SS. D. N. Pii PP. X litterae ad Gasparem Decurtins, Doctorem Decurialem in athenaeo catholico Friburgensi missae

De modernismo litterario.

Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem. Tuum opus de modernismo litterario, firmissimis et magna disserendi copia conscriptum, haud studiose minus quam iucunde perlegimus. In eo enim, qualem antea, te praebes fidelissimum Ecclesiae filium ac defensorem strenuum, dignum propterea quem, sicut illustris Decessor Noster, ita et Nos peculiari existimatione ac benevolentia prosequamur. Dudum quidem animadvertimus, multiplici sub forma, se occulentem modernismum in litteras irrepsisse, nec solum in fabulas, quas romanenses appellant aliave narrationum genera, verum etiam in sermones, qui in criticorum arte versantur. Novum hoc propagandi erroris adminiculum, mentita specie tractandi litteras de iisque iudicandi, in dies evulgatius, eoque periculosius quo simulatum callidius et ad virus diffundendum expeditius, acerbum Nobis dolorem attulit. Ea namque agendi ratio declarat, fidei ac disciplinae catholicae adversarios nihil intentatum relinquere ut deploranda consilia sua ad exitum perducant. Haec nempe causa est quamobrem, post editas encyclicas Litteras Nostras «*Pascendi*», quae modernismum philosophicum ac theologicum directo percellebant, transversae sint initae viae ad exitiosos illos errores longe lateque proferendos. Magnam enim, ut egregie tu disseris, in artibus et litteris vim sitam esse animadverterunt ad hanc novam dimicationem, maxime vero in romanensibus aliisve fabulis. Hinc mira illa librorum id genus colluvies, pluribus linguis redditorum, quibus propositum est humanitatem inimicorum Ecclesiae summis laudibus efferre; nostrorum studia et scripta commiserari, deridere, quasi longe inferiora; fatuam quamdam religionem et commenticiam recti pulchrique formam, quam «*Idealismum*» dicunt, perpetuo celebrare, suo cuiusque sensu duce ac magistro reiecta quavis disciplinae norma et freno quovis legitimae auctoritatis excusso; implicite saltem promovere inductam illam philosophandi rationem, a qua, velut a fonte, singuli errores derivantur, quae absolutam veritatem cognosci posse negat, omnemque religionem nihil aliud esse contendit, nisi inchoatam quandam formam eamque mutabilem, hoc uno utilem homini, quod eius animum expleat in ea pronum quae naturam excedunt. Haec omnia quam falsa sint atque improbanda facile intellectu est. Primum enim, non fictam catholicae Ecclesiae historiam perlegenti patebit, hanc omnis humanitatis matrem et altricem fuisse, nulla cultus parte seclusa, Romanosque Pontifices eiusdem tuendae vindicandae auctores impigros exstitisse. Quod vero pertinet ad novissima de religione iudicia, quibus modernistae conantur evincere, nihil aliud esse religio-

nem quam insitum unicuique sensum rerum caelestium, cui minime res ipsa respondeat, Nos quidem refellimus iam atque damnavimus errorem funestissimum, quo fatalis via sternitur ad veri nominis despicientiam incuriamque rerum ad religionem spectantium quam *indifferentismum* vocant, vix dissimulatam fucatis verbis a rhetorum officina petitis. Haec lenocinia atque hae simulationes ingenii ad inventionem excolendi et critices artis exercendae, quae mire inserviunt erroribus disseminandis aut facilius divulgandis, haec pompa sententiarum ad incautos lectores decipiendos, existimari debent uti arma omnino funestissima ad falsi tutelam et ad oppugnationem veri. Oportet igitur omnes, quicumque haud inani gloriantur nomine catholicorum, insidias hasce denuntient repellantque viriliter.

Qua in re nemo sane poterit melius ferre suppetias quam iuventutis institutores et auctores operum edendorum. Campus enim his patet latissimus, in quo possint subtile iudicium atque elegans, idemque plane catholicum, in animis adolescentium inserere, proposito exemplo scriptorum qui ex eo numero immortalem sibi famam pepererunt; aut causam litterarum a catholico sensu prodeuntium suscipere contra novissimum agmen iniquo animo scriptitantium; aut, si cui Deus hanc facultatem concesserit, addere se scriptorum numero probe de religione sentientium. Huius navitatis exemplum, quod ipse, dilecte Fili, praebuisti nobilissimum, incitamento sit ceteris. Nobis gratissimum est praeclaram operam tuam pro Christo et Ecclesia impensam, excellens ingenium exquisitamque doctrinam, in obsequium veritatis collata contra erroris astutiam, publica laude honestare. Caelestis autem pignus mercedis, eademque excitatrix ad continuanda proelia Domini, sit Apostolica Benedictio, quam tibi, dilecte fili, paterno animo effusoque impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XV mensis Septembris, anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. X.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Rituum.

Resolutio dubiorum circa consuetudines in Missa Novi Sacerdotis, Expositionem SSmi. Sacramenti, Usum candelarum ex cera stearina, Palmatoriam in officio feriae VI in Parasceve, Benedictionem in Communione extra Missam et Benedictionem cum Augustissimo Sacramento in ianua ecclesiae post processionem.

Hodiernus Sacrae Liturgiae Professor in Seminario Tunquensis dioeceseos *(Tunja)* in Columbia, annuente suo revmo. Episcopo Ordinario, dubiorum quae sequuntur solutionem a Sacra Rituum Congregatione expostulavit, scilicet:

I. In prima Missa cantata a Novo Sacerdote, praeter Ministros in Missa solemni adhiberi consuetos, duo inserviunt laici, quos Patrinos vocant, qui in parte et a latere Presbyterii stant, et quorum officium praecipue est aquam odoriferam ad manuum lotionem ter Neo-Sacerdoti effundere, videlicet ante Missam, ad *Lavabo* et post sumptionem Calicis. Quaeritur, an continuari possit hic usus Patrinorum? — *Resp.* Tolerari posse, sed, quoad manuum lotionem, tantum ad *Lavabo.*

II. Absoluta sua prima Missa, Novus Sacerdos, retenta vel interdum deposita casula et sumpto pluviali, a matre sua in Presbyterium ingressa et stante, genuflexus benedictionem sic paratus recipit; mox surgens, matri genuflexae et ipse benedicit. Eodem modo fit quoad patrem Neo-Sacerdotis. Quaeritur, an haec consuetudo, quae vetustissima videtur, retineri queat? — *Resp.* Prouti exponitur, negative et ad mentem. Mens est: consuetudinem de qua in casu continuari posse, non tamen in Presbyterio et in Ecclesia, sed in sacristia vel alibi; et postquam Neo-Sacerdos deposuerit sacra paramenta.

III. Ex decreto S. R. C. *Colimen.*, 12 Iulii 1901 ad I, expositio ac repositio SSmi. Sacramenti fieri nequit eo modo quo velum extensum in tabernaculo expositionis plicatur, et ipsum in repositione explicatur, media chordulae cuiusdam distensione in repositione, aut relaxatione in expositione, quae omnia a sacrista vel acolytho peraguntur. Hic vero modus expositionis et repositionis usurpatur fere in omnibus Ecclesiis et Oratoriis sive publicis sive semi-publicis, nec non et in Ecclesiis Regularium, ac difficile foret hanc generalem et vetustam consuetudinem tollere, quia thronus expositionis sic in altari est constructus, ut ad eum non facilis pateat accessus. Aliunde benedictio cum SSmo. Sacramento in fine expositionis non datur, ut patet, quum ex S. R. C. Decretis dari debeat, nisi in aliquibus tantum Ecclesiis ditioribus, ubi aliud praesto est Ostensorium, in quo celeriter exponitur alia Hostia super altare, et tunc datur benedictio. Quaeritur, an, attentis peculiaribus circumstantiis, praedicta consuetudo tolerari possit? — *Resp.* Standum Rubricis, Decretis et praxi universali.

IV. Nonnulli doctores liturgici affirmant posse in solemni expositione SSmi. Sacramenti adhiberi tantum sex cereos. Quaeritur, an haec opinio ad praxim deduci liceat, praesertim in pauperibus Ecclesiis? — *Resp.* Ad Ordinarium.

V. Ex variis S. R. C. Decretis, v. g. n.° 2865 *Massilien.*, 16 Septembris 1843, n.° 3376 Policastren., 4 Septembris 1875 ed III, candelae ex stearina pro usu sacro prohibentur. In expositione tamen solemni SSmi. Sacramenti nec non et in Missis solemnioribus, praeter numerum praescriptum cereorum, aliae permultae frequenter adhibentur candelae ex stearina, quae quidem

collocantur hinc et hinc a latere tabernaculi et Cruces, extra tamen ambitum altaris. Quum autem aliquibus in locis altarium structura, saepe saepius perantiqua, non sinat candelas collocari nisi intra ambitum ipsius altaris, et ex altera parte propter cerae penuriam sumptus faciendi nimii esse deberent, quaeritur, an praeter cereos praescriptos, sive in Missa, sive in benedictionibus cum SSmo. Sacramento, aliae candelae ex stearina intra ambitum altaris adhiberi possint? Et quatenus negative, an, attentis circumstantiis, praedicta consuetudo tolerari possit? — *Resp.* Negative ad utrumque et standum Decretis, praesertim recentioribus ad rem datis, uti in uno *Natcheten.*, 16 Maii 1902, et in altero *Plurium Dioecesium*, 14 Decembris 1904.

VI. Iuxta Caeremoniale Episcoporum, lib. II, cap. XXV, n.° 13, « Episcopus legit ex libro Prophetiam sine candela accensa », qui modus loquendi significare videtur candelam in hoc officio non esse adhibendam. Quaeritur, utrum in casu nullo modo adhibenda sit candela, an adhiberi debeat candela exstincta? — *Resp.* Candelam seu palmatoriam nullo modo esse adhibendam.

VII. Ex S. R. C. Decreto n.° 3792 *Strigonien.*, 30 Augusti 1892 ad X, post distributionem Communionis extra Missam, benedictio sub formula « Benedictio Dei » semper danda est (uno excepto casu, quando datur immediate ante vel post Missam Defunctorum). In Rituali autem Romano, tit. IV, cap. II, n. 11, dicitur quod Sacerdos, sumpto Sanctissimo Sanguine, porrigit communicandis Eucharistiam et finita Communione non dat eis benedictionem, quia illam dabit in fine Missae. Quaeritur, si certo constaret communicantes ante Missam usque ad eiusdem finem esse mansuros, an illa benedictio omitti possit vel debeat? — *Resp.* Negative.

VIII. Ex decreto S. R. C. n.° 1784 *Fanen.*, 19 Iulii 1687, benedictio cum SSmo. Sacramento impertiri debet super altare in Ecclesia et non in ianua post Processionem. Attamen cum decreto n.° 3225 *Utinen.*, 20 Augusti 1870, S. R. C. rescripsit praefatam consuetudinem (impertiendi benedictionem in ianua) esse tolerandam. Porro quamvis temporum et locorum circumstantiae de quibus in decreto n.° 3225, adamussim non verificentur, tamen eadem consuetudo pluribus in locis et parochiis viget, ea praesertim de causa, qua permulti Christifideles, etiam milites, SSmum. Eucharistiae Sacramentum comitantes, peracta Processione, ingredi nequeunt propter angustiam ipsius ecclesiae, et sic discedunt, et benedictionem, nisi in ianua ipsis impertiatur, non recipiunt. Quaeritur, an in casu consuetudo retineri possit? — *Resp.* Attentis expositis, consuetudinem servari posse.

Hoc sit propositi nostri summa: quod sentimus loquamur; quod loquimur sentiamus; concordet sermo cum vita.

SENEC., *Ep.*, LXXV, 2.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Novembri MCMX).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adierunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: R. p. d. Iulius Tonti, episcopus Ancyran., Apostolicus Nuntius apud Lusitanos; Christina Giustiniani Bandini, Princeps foemina, Praeses Unionis Catholicarum mulierum in Italia cum consilio sodalitatis suae; Schonberg-Roth-Schonberg, dynasta; Consilium supremum Ordinis fratrum Minorum S. Francisci; S. Severinae Dux eiusque uxor; Guido Borromeo, Comes, eiusque familia; Hieronymus Theodoli, Marchio; Hulsen doctor; Nicolaus Szécsen de Temerin, Comes, legatus extraordinarius atque administer cum omni potestate Austrorum Hungarorumque apud Apostolicam Sedem.

Pontificiae electiones.

— R. p. Ioannes Baptista Frey e Congne. Sacerdotum de Spiritu Sancto et Immaculati Cordis B. M. V. inter Consultores refertur Pontificiae Commissionis de Studiis Biblicis.

— R. p. Placidus Lemos, ex Ordine Fr. Min S. Francisci Unionis Leonianae inter Consultores S. Congregationis de Propaganda fide pro Negotiis Ritus Orientalis: et r. p. Henricus Bonpensiere O. P. inter Consultores S. Congregationis Indicis adleguntur.

— R. p. d. Peregrinus Stagni, archiepiscopus Aquilanus, delegatus apostolicus mittitur in Canadensem regionem.

Vita functi viri clariores.

— Die XXII mens. Novembris MCMX, Romae, **Ioannes De Montel,** S. Romanae Rotae decanus emeritus.

— d. XXIV Montiscastelli, in oppido Pisanae dioecesis, Purpuratus Pater **Alexander Sanminiatelli Zabarella,** Radicondoli in oppido Volaterranensis dioecesis n. die IV mens. Augusti MDCCCXL, in Sacrum Senatum cooptatus d. XV mens. Aprilis MCMI, titulo S. Petri et Marcellini.

ANNALES

In " Latina America ,, seditiones.

Qui Latinae gentis Orientalis Europae seditionem in superiore numero recoluimus, alias eiusdem seminis in Americis enucleare, non laeto quidem animo, hodie coacti sumus. Quamquam non de imperio unius in civitatem, seu, uti vulgo dicitur, in reipublicae formam, translatum hic agitur, sed de bello civili, deque illa factionum contentione quae non ultima quondam causa exstitit unde Romanorum vis et nomen prolapsa sint.

Sed eventus, sicuti nobis mos est, sine partium studio, recolamus; atque primum Mexicanae regionis, ubi tentata rebellio est in Porfirium illum Diaz, qui ab anno usque MDCCCLXXVI civitatem — vix quattuor annorum intermissione — moderatur, et quasi dictatoriam auctoritatem assumpsisse visus est. Seditionis princeps Madeiro fuit, in recentibus comitiis Porfirii aemulus; quod profecto non abso-

num apparuit. Id vero inexplicabile prope fuit, Diaz militaris regiminis potius quam civilis accusatum, a militibus praesertim impetitum fuisse.

Tumultus alter in Brasilia orsus est, opera maxime classiariorum, disciplinae magis impatientium, quam politicam quamdam directionem affectantium. Pax ex concessa venia reducta; at novis statuendis circa classem ordinibus providendum erit, nisi factum, idque vehementiori vi, renovari civitatis administratores cupierint.

Dum scribimus Porfirius Diaz, rebellione sedata, rerum potitus pacifice nunciatur.

Lusitanae novae reipublicae gesta.

Si legum et decretorum in odium catholicae fidei non interruptam successionem exceperis, nihil novi Lusitana respublica attulit; quae imo impedire non potuit quominus graves hîc illic operariorum ex condicto ab opere desertiones exorirentur.

Quod ad negotia spectat atque clientelas cum exteris nationibus, hae novi regiminis formam solemniter recognituras sese declararunt, post coetus constituentis comitia, ad primos proximi anni menses indicta.

Mauritana res.

Potius quam interna, negotia externa Mauritanum gubernium hisce diebus respexit, circa Hispaniam praesertim, quacum Mulay Afid Imperatoris legati dissensiones tamdiu agitatas tandem aliquando composuere. Sanctum est enim pactum, ut Hispaniae indemnitas solvatur, datisque certis regulis de publica securitate, de iure vectigalium et munitionibus ad fines Hispanici dominii, ut mercaturae et quaestus Hispanorum ad Ceutam libera satis fiant: novus proculdubio gradus ad pacem in Mahumetanorum illo imperio componendam, quae fore ut omnino ac brevi obtineatur in spe omnium est.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia** quaestio, quae « constitutionalis » ab omnibus vocata est, Eduardi regis morte sopita, paullatim suam vim resumpsit. Opportunum igitur visum est legiferorum coetum dimittere et populum ad comitia provocare.

In **Batavia** publici coetus sessionibus resumptis, Heemskerk, administrorum praeses, legem rogavit de litoribus tutandis.

In **Belgica,** mos ut rex orationem populi legatis haberet in desuetudinem transactus, est renovatus; quum tamen socialistarum factioni adlecti inurbane sese coram rege gesserint.

In **Bulgaria** Malinoff, admnister primus, publice declaravit Balkanicam foederationem a pluribus requisitam impossibilem re fore, seque esse firmum ad amicitiam cum Turcarum imperio et Rumania servandam.

In **Gallia** novum administrorum collegium constitutum ipso Briand praeside, qui iura gubernii adseruit desertiones ab operibus coercendi, quae magno incommodo civitati forent.

In **Hispania** lex de novis Congregationibus non ultra instituendis a Senatu rata habita, quum tamen vigorem obtineat anno MCMXII, ut locus interea fieri possit novo foederi cum Apostolica Sede (1).

In **Italia** rationes acceptorum et expensarum ad examen revocantur.

In **Rumenia** regia oratio Rumenae civitatis participationem ad pacem inter Balkanicos populos provehendam confirmavit.

In **Serbia** post animosam Milovanovich orationem commerciorum foedus cum Austrorum Hungarorumque imperio constitutum.

In **Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis** comitia tum pro publico Coetu, tum pro Senatu, tum denique pro singulorum Statuum gubernatoribus « democraticae » factioni favorabilia maxime cesserunt.

In **Turcarum imperio** coram Caesare publici coetus sessiones sollemniter incoeptae rursus.

(1) Horatianum illud in mentem sponte hic venit: *Speciosus pelle decora, introrsus turpis!*

PER ORBEM

Die II mens. Novembris MCMX, Romae, in campo proximae Italicarum artium exhibitionis, ventorum vi Sardiniae tabernaculum sternitur opifices eius constructioni vacantes secum trahens, quorum unus moritur, viginti plus minusve vulnerantur.

— d. IV Potsdam in urbe Nicolaus II, Russorum Caesar, Gulielmum II, Germanorum imperatorem, convenit.

— d. VI Brixiae repentino morbo corripitur Iosephus Abba, Italicus senator et historicus.

— d. IX Mutinae XX Italorum catholicorum conventus sollemni ritu inauguratur.

— d. XII Leo Tolstoi, celebris ille Russorum scriptor et philosophus, qui ex rure suo ad Jasnaia Poliana improviso atque occulte abierat, a familiaribus suis in religiosa Russorum monachorum domo ad Keselek reperitur.

— d. XIII multae Lutetiae Parisiorum urbis viae Sequanae aquis rursus inundantur.

— d. XIV Moncalieri in oppido ad Augustam Taurinorum nuptiae celebrantur Aloisii Napoleonis, Principis e gente Bonaparte, cum Maria Clementina, Leopoldi II, Belgarum regis, recens vita functi, filia.

Paulus Heyse nunciatur Nobelium praemium de litteris hoc anno obtinuisse.

— d. XV Copenhagen in urbe supremum obit diem Exner pictor apud Danos valde celebratus.

— d. XVIII Denwer in urbe Johnston aviator cum velivolo suo de magna altitudine in terram praecipitat miseramque oppetit mortem.

— d. XIX Cepanelli apud Catacium naturae concedit Achilles Fazzari, philanthropus apud Italos notissimus.

— d. XX Leo Tolstoi, qui Keselekense monasterium deseruerat solitudinem alio petens, Astapowo ad ferriviae stationem, ubi malae valetudinis causa consistere coactus fuerat, animam placide agit. Natus erat die XXVIII mens. Augusti an. MDCCCXXVIII. Circa an. MDCCCLX maximum opus a se conscriptum edidit, cui titulus *Bellum et pax*, quod, apud Russos praesertim, monumentum aere perennius ei stabit.

— d. XXII ex ultimo Oriente nuncia perveniunt, Annam in regione, flumina, magnis quibusdam imbribus tumefacta, ruptis aggeribus furentia in pagos lata, incolarum mille et ultra aquis submersisse.

— d. XXIII Maria Pia e Sabaudica gente, Emanuelis quondam Lusitanorum regis avia, Neapolim pervenit, ubi suum exilii domicilium constituit.

— d. XXIV Augustae Taurinorum vita fungitur Angelus Mosso, Italicus senator, biologicae disciplinae magister insignis; Chicagine autem Octavius Chanute architectus, aviationis praecursor, in quam ab anno MDCCCLXXIV sedulo incubuit. Natus erat Parisiis an. MDCCCXXXII.

— d. XXIX Berolini cisternae, in quibus maxima purgati petrolei congeries asservabatur, fortuito igni cum damno ingenti absumuntur.

LIBRORUM RECENSIO

DOMINICUS PIANAROLI-MORONI. *La casetta di Nazaret.* — Neapoli. edid. F. Casella, 1910. — ID. *Arborum festum,* Ecloga. (Ibid.).

In altero opusculo poeta, variis adhibitis metris, facili atque eleganti stilo Nazarenam Christi ac Deiparae Domum decantat, cum sacrosanctis, quae inibi peracta sunt, mysteriis. Quum vero sacrae Domus eiusdem translationem in agrum Lauretanum describit, vel maiori videtur affectu moveri, memor nempe Recineti, « terrae suorum patrum ». In calce libri, notulae adduntur, quibus facta quaedam, versibus memorata, uberius explanantur.

Idem auctor, apud eumdem Neapolitanum typographum, alterum edidit opusculum latine scriptum versibus hexametris, cui titulus: *Arborum Festum.* In eo quidem scriptor eruditum se prodit et musae Vergilianae probe memorem. Sed eheu! saepe in prosodiam peccat, et nonnunquam voces adhibet aut male latinas, aut improprias, aut ab orthographia desciscentes. Ita pro *iuvenes* constanter scribit *iuvanes,* pro *robore, robure;* fingit participium *festantes*, quod Latini ignoraverunt. Deinde producit *i* in *videns*, *y* in *thymus* (quod *thymum* scribi debet), et *a* in *amoenus;* dum contra corripit *i* in *figens, a* in *caseum, u* in *salus,* et *i* in *miror*. Haec menda auctor facile vitasset, si paulo altius animo infixisset leges prosodiae, nec tam festinanter sua effudisset carmina, quae Horatius nos iubet « nocturna versare manu, versare diurna ».

F. X. R.

AENIGMATA

I.

Nescio mutari: recte seu lecta retrorsus
Non cesso fauces urere saeva tuas.

II.

Pronomen monosyllabicum duplicabo. Quid inde
Nascitur? Aethiopes quam coluere, dea.

F. P.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

IOSEPHI SCOPA
CARMINA

Aenigmata an. XIII, n. IX proposita his respondent:

1) **Lepus, Lex, Supellex**
2) **Eva — Ave.**

Ea rite soluta miserunt:

Petrus Tergestinus. — Max. Vronski; Lad. Lud. Podobinski, *Cracovia.* — A. Reveney, *Estavaier-le-Lac in Helvetia.* — Alb. Kain, *Dublino.* — Ian. Rocco, *Afragola.* — Alex. P. Gest, *Trentonio.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — Aug. Scriban, *Iassiis.* — R. Richi, *Traianopoli.* — Ioan. Biava, *Bergomo.* — Guil. Schenz, *Ratisbona.* — F. Ortiz, *Morelia.* — Theo. T. Chave, *Chicagine.* — Alb. Catteau, *Lugduno.* — A. Bounin, *Aureliano.* — Alex. Fásztusz, *Szatmár.* — Hern. Forgeot, *Nicaea ad Varum.* — F. Guerra, *Aletio.* — F. Arnori, *Mediolano.* — Ant. Faverzani, *Merate.* — Eug. Dolmar, *Neo Eboraco.* — Adam. Koztowski, *Petricovia.* — Fr. Baturewicz, *Zytomiria.* — Alois. Cappelli, *Senis.* — Iac. Menendez, *Madrito.* — Fr. Rader C. SS. R., *Vaals.* — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio.* — F. X. N., *Drepano.* — Rich. Müller, *Berolino.* — I. M. Meunier, *Corbiniaco.* - Clem. Fiard, *Curia Rhaetorum.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — Eug. Ricci, *Florentia.* — St. Lowinski, *Zerków.* — I. Martins, *Philadelphia.* — F. Starace, *Neapoli.* — F. Correa, *Emerita.* — St. Kempe, *Ogrodinia.* — I. Ciolli, *Papia.*

Sortitus est praemium:

IGNATIUS CIOLLI,

ad quem missum est opus, cui titulus:

POETARUM LATINORUM EGLOGAE
(Edid. BRANDT, Lipsiae, ex off. Teubneriana).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina *Societatis Romanae Editricis.*

(9

ARRAE GORGONIAE

(Cfr. num. XI).

Horruerunt nucleati adhuc equites, ipseque Caecilius sensit momentum adesse supremum, eiusque haec fuit ultima adhortatio :

— Vari Manibus ac Romanae Fortunae ipsi nos hostias damus: sequimini, equites, caputque legati et aquilas recipere connitamini, feralia dona nobiscum adferenda tartaro!

Conclamarunt equites: iraque unanimi una cum duce ratem descendentem circumeunt, ac suprema vi petunt.

VI.

Tunc eius inter remiges, emicuit vir corpore procerus fulvoque capillo, telumque iactans in Caecilium:

— Arminius victor — ait — adsertorque patriae libertatis te libens macto, quem hostiam sacrasti!

Sibilavit telum, legatique latus attigit, qui corruit ex equo in fluctus. At statim eques, e proximis iunior, elato ense in navem prosilit, vulnerantemque impetit. Audacem videt, dum unda agitur, Caecilius, eumque ultima voce incitavit:

— Corripe, Atili, aquilam! — iamque fluctibus mergitur.

Digladiatur Atilius medios inter barbaros, ac nititur tota vi ut Arminium feriat: at, brevi, in humero, in latu, in dextera, in gena sauciatur. Modo fulvus ille dux, ipsam librans aquilae hastam, ex qua Vari cervix pendebat, nutanti iam fronti minitatur ictum gratiosum. At agilis ille cuspidem vitat; simul dexteram hostis gladio percutit: qui accepto vulnere relaxat digitos.

Horridum trophaeum in fluctus corruit; at iuvenis subripit illud, seseque elata parmula tegens, in undam proicit: ac, licet sanguinem per vulnera quatuor emittat, supremis viribus lintrem aliam hostibus vacuam arripit, conscendit, fractus tandem in ea requiescit.

Fit interea circa Arminium pugna suprema dum diffluit medios per equites mediosque per hostes quae vacua apparebat rates illa funebris, inter cadavera, inter spolia fluctibus acta. Iuvenis, defixis in caelum oculis, supremam auroram contemplatur; quasi incunabula materna manu agitata, insolitum feretrum undae pulsant. Abest paullatim omnis strepitus pugnae, grataque somnia cum rigore extremo adveniunt, dum fugit e vulneribus vita:

— Vestinus sinus... Domitilla adstat in lintre, quae caris osculis medusaeam arram, dono sponsi acceptam, linit...

Moriens lento motu dexteram laevo brachio admovet, armillamque, ultimas dilectae puellae reliquias, ori appingit.

. . . .

Oriente sole Romanae cladis vestigia omnia Rhenanis fluctibus innatabant. Dum per ramos silvarum prima lux inaurat aquas, mortifera scapha regium flumen ingreditur, agens rigidas iuvenis exuvias, lorica indutas, rubro sanguine madidas. Laeva corporis Varianae aquilae obstringebat hastam; dextera ad labia arram adhuc premebat.

Prope aquilam, ad pedes cadaveris, Quintilii Vari imperatoris, Iulii Caesaris Octaviani Augusti in Germanos legati, horridum caput nigricabat.

(Finis) I. A. Costaggini.

EUPLIUS

Actio dramatica a I. B. Francesia versibus senariis exarata

AD "VOCEM URBIS,,

DEDICATIO.

Anno millesimo noningentesimo nono, mense Augusto, Alexandriam petiturus, Messanam urbem olim civibus divitiisque pollentem perlustrare volui, quae ob terrae motum iacebat diruta adhuc et ruinis perculsa.

Dum oculis contremiscens immane urbis excidium adspicio, et corde pavidus, « subit illius tristissima noctis imago » quae suprema fuit tot civibus, hic atque illic omnia decerno, immobilis religionis tamen insignia miratus, caelum suspiciens, exclamavi: « En omnium miserorum hominum solatium, fides! » Et dum maximo dolore perculsus tempora transacta recolo atque Siculorum religionem respicio, ex una re ad aliam transiliens, ad illa antiquissima perveni, quibus primum sapientia christiana ab apostolis prolata altissimas rapide apud omnes in Insula radices iecit, nec unquam in posterum vel calumniis vel tyrannorum minis eradicari potuit.

Tunc mihi prae ceteris gloriae luminibus circumdatus atque immortalitatis adsurrexit Euplius ille adolescens, qui nondum sacerdotio auctus, dominante Diocletiano, Catanae martyrium sustulit, probra, supplicia immania quaeque fortiter est perpessus. Sicque Siculos exemplo mortis suae teterrimae firmius in religione tenuit atque a calumniis improborum insigniter adseruit.

Et dum navis, nullis iam fluctuum impedimentis retenta, rara quidem velocitate, aquae evaporatae vi coacta iter graditur, inter me tacitus et rapidior haec mente volvebam: « Eccur hoc navigationis tempus inanis in otio teram? Nonne melius foret, si dum inter caelum et aquam peregrine rapior, aliquid scribam, atque sic nec inutilis admodum vivam? Et si de Euplio scripserim, qui adeo de religione optime meritus et de patria immortalem sibi gloriam sanguine comparavit? Sic et ego quandoquidem de martyre aliquantisper meritum adquisivero, si ita ad suos recentioribus vestibus indutus vel comica rediverit!

Hisce mecum ipse prolatis, statim sum opus alacer adgressus, et vel inter quoque fluctuum iactationem viatorumque iactantium clamorem, primas scenas descripsi, quas mox Alexandriam adpulsus, in meliorem formam redegi et prope in nonum et amplius mensem pressas tenui. Nunc tandem in vulgus prodit, atque utinam cum lectorum adprobatione!

Tres actus sunt, nec adeo breves nec longiores, quos facillime pueri qui apud nos in scholas gymnasii incumbunt, actitare optime possent, dummodo sub ductu consilioque prudentissimi magistri. Sic vel ipsi bacchanalium ludi in utilitatem vertent, et tempora quae saepius in rebus inanibus teri consueverunt, ad animorum sapientiam atque sanctitatem revocabuntur.

Si placet hanc de Euplio comoediam edere, ipsam tibi, *Vox Urbis*, libenter do, dedo, dedico, eique et Tibi candidissime omnia fausta auspicor, nec non ab ipso sanctissimo christianae religionis adsertore largissime precor. Vale.